



BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
24 F
11

OPERE

DEL PROPOSTO

LODOVICO ANTONIO MURATORI

GIA' BIBLIOTECARIO

DEL SERENISSIMO SIGNORE

DUCA DI MODENA.

TOMO QUINTO.





IN AREZZO MDCCLXVIII.

PER MICHELE BELLOTTI Stampat. Vesc. all' Insegna del PETRARCA.

CON LICENZA DE' SUPERIORI.

ANTONII LAMPRIDII DE SUPERSTITIONE VITANDA, SIVE CENSURA VOTI SANGUINARII IN HONOREM IMMACULATAE CONCEPTIONIS DEIPARAE EMISSI, A LAMINDO PRITANIO ANTEA OPPUGNATI, ATQUE A CANDIDO PARTHENOTIMO THEOLOGO SICULO INCASSUM VINDICATI.

FERDINANDI VALDESII EPISTOLAE, SIVE APPENDIX AD LIBRUM ANTONII LAMPRIDII DE SUPERSTITIONE VITANDA, UBI VOTUM SANGUINARIUM RECTE OPPUGNATUM, MALE PROPUGNATUM OSTENDITUR.



AD LECTOREM
PRECES AUCTORIS.





I quisquam ad hoc Opusculum legendum accedet, certe duplex hominum genus erit. Alterum eorum, qui Sanguinarium Votum *nunquam suscepere, suoque nondum examini subjecerunt. Ab his nihil mihi, nihil lucubrationi huic timendum est. Immo ut ad illorum Tribunal potissimum caussa ista deferretur, in votis mihi esset; quum enim in neutram partem hactenus eorum judicia declinarint, nemo aequius quam illi & rationes perpendere, & sententiam hac de re ferre possit. In classe ista, ni fallor, potiorem Catholicorum partem videre mihi videor. Alterum illorum est, qui jam se hujusmodi Voto obstrinxerunt, & quanquam plerique sine ullo examine in illud censerint, mentibus tamen praeoccupatis ipsum tueri, quacunque ratione possint,*

 suum

ſuum ducent. Non querelae, non iratae tantum voces ab iis expectandae, ſed & quidquid humana ſagacitas, & potentia praeſtare queat ad eliminandum, opprimendumque Librum, in re praeſertim Pietatis, ſuis oppoſitum placitis. Sed ſi quid meae preces poſſunt, quemlibet ſupplex rogo, ut antequam ad haec legenda ſe conferat, ſecum reputet, quanto honore, quove amore digna ſit Veritas. Hanc enixe expiſcari, hanc anteferre, idque libenter, opinionibus ſuis, eſt hominis bene compoſiti, ſeque ac ſua recte amantis. Si ſapis amicum dicas, non hoſtem, qui te vera aut meliora doceat. Quod non ideo dictum velim, quaſi a Lectore exigam, ut antea perſuaſum habeat, a me ſtare Veritatem, quam ſententiae meae rationes exceperit. Id unum ego precibus meis conceſſum velim, ut pacato duntaxat animo Lector iſta legat, ipſoque in limine lectionis praeconceptas tantiſper ſeponat Opiniones, eaſdem recepturus e veſtigio, niſi me propiora vero, ſive ſolidiora tradentem agnoverit. Porro iniquum foret mihi iraſci, quod tacentibus aliis iſtam ego provinciam ſuſceperim. Intereſt profecto Reipublicae Catholicae in examen adduci, quidquid novitii occurrit in Doctrina Fidei, magnique momenti eſt in Doctrina Morum. De Vita hominum in eo Voto agitur. Num id tibi leve, num contemnendum videatur? At inquis: Pietatem ſententia mea praefert. Audio. Sed quid ſi Superſtitionem? Huic adverſari, totiſque obſiſtere viribus, inficiare, ſi potes, quin verae Pietatis, quin rectae Rationis ſit opus. Reliquum ergo eſt, ut uno Veritatis amore ductus pacifice haec legas, in eam denique conceſſurus ſententiam, quam non Affectus, ſed Regina ipſa Veritas amplectendam ſuadebit.

PRAE-



PRAEFATIO.





IGINTI & ſeptem jam excurrunt Anni, ex quo primum prodiit Lutetiae Pariſiorum Tractatus meus *de Ingeniorum moderatione in Religionis negotio*, alibi poſtea recuſus. Ibi Libro II. Cap. VI. pag. 254. palam prodidi, improbari mihi eorum conſilium, qui vovent ſe daturos Sanguinem pro tuenda ſententia, tribuente immunitatem ab Originali culpa Beatiſſimae Virgini Mariae. Nullus me livor, nullius odium, me ad hujuſmodi Votum improbandum permovit. Una illius, ut mihi videbatur, & adhuc videtur, deformitas verba cenſurae alioqui placidae miniſtravit. At poſt complures annos, hoc eſt Anno 1729. emerſit tandem Siculus Scriptor, immo Theologus, & *ſacrae Theologiae Profeſſor*, qui ſub nomine *Candidi Parthenotimi* in arenam adverſus me deſcendit, edita Panormi *Diſſertatione Theologica*, cui titulus *Votum pro tuenda immaculata Deiparae Conceptione ab oppugnationibus Lamindi Pritanii vindicatum*. Sero ad me delatus eſt Libellus, iſque etiam me invenit aliis negotiis, curiſque diſtentum, e quibus Eruditorum Reſpublica, ſi Deus dabit, aliquando fructum recipiet. Alienum praeterea me ſentiebam a ſuſcipienda ejuſmodi pugna, non quod putarem, quidquam ereptum veritati ac ſoliditati ſententiae meae; ſed quod jam longa experientia didici, adeo compoſita eſſe, immo male diſpoſita ingenia, animoſque mortalium, ut quam

ſemel

ſemel opinionem imbuerunt, atque firmarunt, fere ſemper retineant, ac potiſſimum ſi concertationibus res agatur. In incendium quippe maximum facile tunc erumpunt homines; & amore ſui, ſuaeque famae tutela urgente ita abripiuntur, ut Veritatem vel ante pedes poſitam ſaepe non agnoſcant. Jam judicarunt pro illa ſententia, firmumque ei aſſenſum praebuere, immo & alios docuere: moleſtiſſimum deinde eſt, atque intolerandum, judicare contra ingenium proprium, contra ſe ipſum. Stat ante oculos exiſtimationis propriae periculum; mentemque agitat ac premit dirum illud phantaſma: quid de me docti, quid Populus ipſe dicturus eſt, ſi vincar, eoque plus, ſi me victum fatear? Quare effugia omnia quaerunt; ratiunculas quaſque ſibi oblatas arripiunt; & quum nihil aliud ſupereſt, invidiam adverſario creant; odiumque hominum, ſi quo pacto poſſunt, in eum concitant. Nullam denique artem, nulla externa auxilia negligunt, quibus importunum Cenſorem opprimant, atque conſternant. Quod mirum eſt, ea infelicitate ſaepe homo laborat, dum gravi adeo affectuum tumultu in pugnis literariis exaeſtuat, ut minime ſe putet a Veritate, aut Juſtitia, aut Caritate diſcedere, vel quum iniquae cauſſae patrocinium ſuſcipit, & contumelias, atque calumnias telorum loco in hoſtem uſurpat. Equidem neſcio, num gravius doleam naturae noſtrae corruptionem, an ipſius Veritatis quotidiana vulnera, ſive pericula, quam tamen omnes & amare, & ſincero animo inquirere profitemur.

Et haec quidem tacite concinebam mihi. At ubi factum eſt mihi aliquantulum otii, ſimulque recogitare coepi, non de re levis momenti, ſed de hominum Vita quaeſtionem obortam fuiſſe, aliquid rurſus decrevi mandare literis, quod ad hujuſmodi controverſiam dirimendam opportunum atque utile non tantum videatur mihi, ſed & ab aliis cenſeri poſſit. Acceſſit etiam & amicorum aliquot impulſus, putantium, non omnium eſſe agnoſcere, in quo deficiat Parthenotimi Diſſertatio; ac rei publicae conſequenter intereſſe, ſi forte is doctrinam minime probandam tueatur, ab ea adoptanda deterrere ceteros Catholicorum filios. En ergo onus ſubeo. Uter ex nobis rectius ſenſerit, decernet poſtquam haec legerit, quiſquis nullo partium ſtudio ductus inter me atque illum aequus judex ſedebit. Et pari quidem facie ambo pedem hactenus contulimus larvatus ego, larvatus & ille. Nimirum, ut unuſquiſque, neutiquam ſpectata in alterutro humilitate, aut ſplendore nominis, ſed una rationum vi, ſententiam liberis votis ferre poſſit. Miretur autem Lector, cur haec de me in

Prae-

Praefatione pag. XIV. scripserit *Parthenotimus: Ille quidem latere sub Lamindi Pritanii nomine maluit; quonam id fecerit consilio, nil confert ad praesentem controversiam indagare*. Lepide profecto, quum aeque & ipse latere sub *Candidi Parthenotimi* nomine maluerit. Ubi is nobis revelarit, quonam id fecerit consilio, tunc & ipse a me responsum habebit. Attamen quando is semetipsum oblitus, mihi paene crimen inferre videtur pag. 103. Lamindum dictitans *hominem recentem, qui vero sub nomine apparere veritus est*, hunc etiam locum topicum censoriae illius prurigini mature eripiam. Itaque lubens, apertum volo urgenti Parthenotimo, sub *Lamindi Pritanii* Anagrammatico nomine latere *Antonium Lampridium*. Quod quum revelo, habebit nihilominus in *Lampridio* Theologus Siculus hominem obscurum, & *vix notum de nomine*, uti is *Pritanium* pag. 75. appellavit: neque Opus erit, Panormitanos iratis redarguere verbis, quasi nimium deferant auctoritati Lamindi Pritanii, uti jam fecit idem Parthenotimus pag. 101. ubi in haec fulmina erumpit: *Erras, quisquis es, Lamindi addictus jurare in verba Magistri, si umquam credis, quod Orbi Catholico Lamindus sit ille bonus vir Horatii*,

Quo multae, magnaeque secantur Judice lites.

Bono sit animo Parthenotimus: sive cum Pritanio antiquo, sive cum nupero *Lampridio* manus conferat, ei certamen erit cum homine vix noto de nomine, & qui rationibus tantum, non vero sui nominis majestate pugnet. Sed jam itineri nos committamus.

Dixi, offerre heic se nobis rem non levis momenti; immo maximi dicendum mihi fuit: id quod nullo negotio unusquisque, dum tantillum consideret, vel me tacente deprehendet. Non agitur heic de privata cujusquam hominis Opinione, in latebris conclusa, & paucis nota: quamquam & in istam exerere arma cuicumque liceret, quoties eam adversari rectae doctrinae persuasum haberet. Agitur de Opinione, quae jam in editis Libris disseminata est, quae Populis integris ingenii conatu e sacris suggestis suadetur, inculcatur, tanquam eximium Christianae Pietatis experimentum, & quam propagare nonnulli quantis possunt viribus adhuc pergunt. Mutinae auditus est mihi sacer quidam Orator, e Campania ad nos profectus, Populo sublime ejusmodi (ut is putabat) sacrificium pluribus commendans. Suasit quidem, at non persuasit: doctis interea mirantibus atque improbantibus informem illius zelum atque sententiam. Nunc tibi aliquantisper finge, sanguinariam hanc Opinionem pugnare cum Dogmatis

tis Catholicae Ecclesiae: teterrimum jam sentis monstrum in Italiam invectum, & fieri posse, ut plura hominum millia ad mortem sine ratione incitentur, & horreant cunctorum animi ad incautam hanc & temere quaesitam mortalium carnificinam. Nam quod nullus nunc timor instat caedium, ac nondum natum credere fas est Tyrannum quemquam hac de caussa in Catholicam gentem debacchaturum, propterea innoxiam atque ferendam hujusmodi Opinionem immerito quisquam censeat. Si imprudens, si temeraria est, continuo abjicienda, ac ejuranda est, ne altas radices agat, quas comprimere, ac evellere, quum velis, non liceat; & ne probare nunc videaris, quod aliquando sis abominaturus. At enim, inquies, & nunc, & futuris quibusque temporibus stat ac stabit haec Opinio, utpote solidis fundamentis nixa. Ita censes, & bona fide, ut arbitror. An ita judicaturi sint alii, sitque deinceps omnibus judicandum, investigatum nunc pergo. Interea ne tu quidem inficias ire potes, quin gravissimi ponderis sit hoc argumentum, maximique referre, non perfunctorie, sed attenta meditatione, in illud aciem intellectus converti, ut qui hactenus a Voto isto effundendi Sanguinem sibi caverunt, si forte illud temeritate nequaquam carere perspiciant, eo diligentius in posterum ab eo sibi caveant; & contra qui incaute illud concepere, prudenter suae conscientiae consulere possint. Grandis flagitii reus esset Theologus, qui vel unum e Fidelibus sua doctrina impelleret ad Mortem temere subeundam. Quid postea, si integrum Populum?



IN-

INDEX CAPITUM

QUAE IN HOC LIBRO CONTINENTUR.



CAPUT PRIMUM.

CA-

CAPUT XIV.

CAPUT XV.

CAPUT XVI.


CAPUT XVII.

CAPUT XVIII.

CAPUT XIX.

CAPUT XX.

DE



DE SUPERSTITIONE VITANDA.

CAPUT PRIMUM.

Decreta Romanorum Pontificum, & Concilii Tridentini servanda in Quaestione de Immaculata Deiparae Conceptione. In quo sita Controversia inter Pritanium & Parthenotimum. Votum de tutanda, voce & calamo, sententia favente Immunitati Marianae laudatum. Improbatum Votum Sanguinarium pro illius tutela.



Sed antequam in argumentum ipsum invadam, praeoccupanda difficultas est, quae instituenti disputationem de *Voto Sanguinario* e vestigio occurrit. Nempe fieri non posse, ut sententia de Conceptione Immaculata Sanctissimae Virginis saepe non recurrat, quum super ipsa sententia innitatur Votum, de quo sermo nobis futurus est. Delicata profecto materies, pluribus Romanorum Pontificum edictis, poenisque non unius generis circumsepta: quae omnia heic innuere tum ad meam, tum ad legentium cautelam necessarium duxi. Primus Sixtus IV. Papa anno 1483. edita Constitutione, *Grave nimis*, ana-

thema statim incurrendum indixit cuicumque *praesumenti affirmare*, *eos, qui crederent, aut tenerent Dei Genitricem ab Originalis peccati macula, sua Conceptione praeservatam fuisse, propterea alicujus Haeresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare*. Deinde Pontifex idem *simili poenae ac censurae subjicit eos, qui ausi fuerint asserere, contrariam Opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum Originali peccato fuisse conceptam, Haeresis crimen, vel peccatum incurrere mortale, cum NONDUM sit a Romana Ecclesia, & Apostolica Sede decisum*. Subinde sacrum Concilium Tridentinum Sessione V. Constitutionem Sixti confirmavit, inquiens: *Declarat tamen haec ipsa Sancta Synodus, non esse suae intentionis, comprehendere in hoc Decreto, ubi de Peccato Originali agitur, Beatam & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem; sed observandas esse Constitutiones felicis recordationis Sixti Papae Quarti sub poenis in eis Constitutionibus contentis, quas innovat*. Praeeunte potissimum Sancto Pio V. & Cardinali Pallavicino in Historia Concilii Tridentini novimus, ne tunc quidem definitum aliquid fuisse de celebri ista Quaestione, sed eam in illo statu relictam fuisse, in quo jacuit sub Sixto IV. Successit idem Sanctus Pius V. Pontifex Maximus, qui anno 1570. edita Constitutione *Super speculam*, ut cohiberet contentiones & scandala in Populo, quae hujus quaestionis occasione quotidie oriebantur, edixit, *Quatenus nemo cujuscumque ordinis, gradus, conditionis, vel dignitatis existat, in popularibus Concionibus, vel ubi promiscua virorum & mulierum multitudo convenire solet, de hujus controversiae alterutra parte disputare, rationibus, vel Doctorum auctoritate, asserendo propriam sententiam, & contrariam refellendo, aut impugnando, vel de hac ipsa quaestione, cujusvis pietatis aut necessitatis praetextu, vulgari sermone scribere vel dictare praesumat. Qui contra fecerit, Suspensionis poenam a divinis absque nova declaratione ipso facto incurrat &c.* Infra addit: *Ceterum QUAMDIU per Apostolicam Sedem altera pars definita non fuerit, oppositaque sententia condemnata, liceat viris doctis, in publicis Academiae disputationibus &c. ubi scandali nulla subest occasio, de illa quaestione disserere, & argumentis utramlibet partem vel asserere, vel impugnare; dum tamen neutra veluti erronea praedicetur, serventurque illa omnia, quae a dicto Sixto praedecessore nostro statuta sunt &c.* Praeterea perstringit ibi Sanctus Pontifex illos, qui, *cum de gloriosae Virginis Mariae Conceptione sermo inciderit, tam pertinaciter pro alterutra parte contendunt, ac si de illis Dogmatibus esset, quae corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem necessarium est. Quibus*

bus illud Prophetae convenire videtur: Dicunt, ait Dominus, cum ego non sim locutus; cum Sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Magistra, & doctrix disciplinae, de ea hucusque non definierit, nemo AB-SQUE TEMERITATE praejudicare, vel alterius partis sententiam damnare potest; & quasi desint praeclarissima Inventricis gratiae (hoc est Virginis Deiparae, quam hoc titulo Sanctus Bernardus, ac alii donant, utpote quae invenit ineffabilem gratiam apud Deum, qualem nulla filiarum Adam unquam consequuta est, aut consequetur) *merita, quae nec Angelica quidem Lingua satis digne referri possunt; & cum* (an potius *quasi?*) *ex illo uberrimo fonte, puteoque aquarum viventium non* (aut *non* haeic expungendum) *possint saluberrimas haurire aquas, quibus Populus magna cum utilitate, atque dulcedine reficeretur: ad dissipatas cisternas occurrunt, stultas videlicet, & sine disciplina quaestiones, quae generant lites, quas nec frequens multitudo intelligere, nec viri sapientes, qui capiunt, utiliter percipere valeant. Praesertim, quoniam, ut experimento didicimus, ipsorum Concionatorum, qui ad quaestiones hujusmodi proponendas facilius erumpere solent, major numerus materiae difficultatem prorsus Ignorantes, neque intelligentes, quae loquuntur, aut de quibus affirmant, simplicium animos Indiscretae Devotionis obtentu, vel potius loquacitatis & ostentationis affectu, ad tumultus & simultates concitant &c.* Haec Sanctus Pius V. cujus Constitutio in Bullario Romano legitur.

Verum quum rixae nihilominus & scandala in dies graviora hac de caussa ferverent, Paulus V. Pontifex Maximus anno 1616. edita Constitutione *Regis pacifici*, tenorem Bullarum Sixti IV. & Pii V. referens, atque confirmans, poenis jam propositis addidit contra inobedientes *privationem facultatis concionandi, publice legendi, seu docendi & interpretandi, & vocis activae & passivae in quibuscumque electionibus*. At quia ne sic quidem serpenti morbo satis efficax medicina parata fuerat, Gregorius XV. Pontifex Maximus anno 1622. Decretum edidit, numero 29. in Bullario Romano, in quo perspectis *scandalis, jurgiis, & dissensionibus*, quae manabant ex unicuique relicta *libera facultate tenendi, atque etiam asserendi utramque partem; propterea volens hujusmodi scandalis ex debito sui muneris, providere, decrevit ac praecepit omnibus & singulis &c. ut in posterum, DONEC articulus hujusmodi a Sancta Sede Apostolica fuerit decisus, vel per Sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & aliis quibuscumque actibus publicis asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit*

concepta cum Peccato Originali. Contrafacientes autem eadem Sanctitas sua voluit & declaravit subjacere debere, & subjecit Censuris & poenis contentis in supradictis Constitutionibus suorum praedecessorum, & sua, ipso facto incurrendis. Per hujusmodi tamen provisionem Sanctitas sua non intendit reprobare alteram Opinionem, nec ei ullum prorsus praejudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu & terminis, in quibus de praesenti reperitur &c. Ulterius sub eisdem Censuris & poenis mandans, quod negantium Opinionem, videlicet quod non fuerit concepta cum Originali Peccato, in praedictis publicis actibus asserentes aliam Opinionem, non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, vel tractent. Sed nulla favorabilior Constitutio pro sententia affirmante Deiparam immunem a Culpa Originali adferri potest, quam quae ab Alexandro VII. Pontifice Maximo anno 1661. promulgata fuit. Cujus exordium est: *Solicitudo omnium Ecclesiarum.* Ibi summus Pontifex haec habet: *Sane vetus est Christi fidelium erga ejus Beatissimam Matrem Virginem Mariam Pietas, sentientium, ejus animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia & privilegio, intuitu meritorum Jesu Christi ejus Filii, humani generis Redemptoris, a macula Peccati Originalis praeservatam immunem: atque in hoc sensu ejus Conceptionis Festivitatem solemni ritu colentium & celebrantium. Crevitque horum numerus, atque hujusmodi cultus, post editas a felicis recordationis Sixto Papa IV. praedecessore nostro in ejus commendationem Apostolicas Constitutiones, quas sacrum Concilium Tridentinum innovavit, atque observari mandavit. Aucta rursus & propagata fuit Pietas haec & cultus erga Deiparam, post erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, Monasteria Religiosorum Ordinum, & Confraternitates, ac concessas ab iisdem Indulgentias, ita ut accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academiis ad hanc sententiam, jam fere omnes Catholici eam complectantur.* At quia non obstantibus Praedecessorum edictis, pergebant in Hispania *aliqui contrariae illius Opinionis assertores tum privatim, tum publice praefatam sententiam aut impugnare, aut vellicare, & favorem a Romanis Pontificibus cultui & Festo secundum illam praestitum ita interpretari, ut frustrentur; immo Ecclesiam Romanam huic sententiae & cultui, juxta illam Beatae Virginis exhibito, favere negant*: propterea Pontifex offensionibus, jurgiis, & scandalis, quae inde timebantur, obviare volens, subdit: *Nos considerantes, quod Sancta Romana Ecclesia de intemeratae semper Virginis Mariae Conceptione Festum solemniter celebrat, ac speciale ac proprium super hoc Officium olim ordinavit juxta piam, devotam, & lau-*

dabi-

dabilem institutionem, quae a Sixto IV. praedecessore nostro tunc emanavit; volentesque laudabili huic pietati, & devotioni, & Festo, ac culti secundum illam exhibito in Ecclesia Romana &c. favere, nec non tueri Pietatem & Devotionem hanc colendi & celebrandi Beatissimam Virginem, praeveniente scilicet Spiritus Sancti gratia a Peccato Originali praeservatam &c. Decreta a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, & praecipue a Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in favorem sententiae asserentis, animam Beatae Mariae Virginis in sui creatione, & in corpus infusione, Spiritus Sancti gratia donatam, & a Peccato Originali praeservatam fuisse, nec non in favorem Festi & cultus Conceptioni ejusdem Virginis Deiparae secundum PIAM ISTAM SENTENTIAM, ut praefertur, exhibiti innovamus, & sub Censuris & Poenis in eisdem Constitutionibus contentis observari mandamus. Et insuper omnes & singulos, qui praefatas Constitutiones & Decreta ita pergent interpretari, ut favores per illa dictae sententiae, & Festo, seu cultui secundum illam exhibito frustrentur, vel qui hanc eamdem sententiam, Festum, vel cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo, directe vel indirecte, aut quovis praetextu, etiam Definibilitatis ejus examinandae, sive Sacram Scripturam, aut Sanctos Patres, sive Doctores glossandi, vel interpretandi, denique alio quovis praetextu, seu occasione, scripto, seu voce, loqui, concionari, tractare, disputare, contra eam quicquam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo, & insoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo disserendo, ausi fuerint; praeter poenas & Censuras in Constitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos subjiciendos volumus, & per praesentes subjicimus, etiam concionandi, publice legendi, seu docendi, & interpretandi facultate, ac voce activa & passiva in quibuscumque electionibus privatos esse volumus &c. Denique addit: *Vetamus autem, Sixti IV. Constitutionibus inhaerentes, quempiam asserere, quod propter hoc contrariam Opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum Originali Peccato fuisse conceptam, Haeresis crimen, aut mortale peccatum incurrant, cum a Romana Ecclesia, & ab Apostolica Sede nondum fuerit hoc decisum, pro ut Nos nunc MINIME DECIDERE volumus aut intendimus. Quin potius contrariam illam Opinionem Haeresis, aut Peccati Mortalis, aut impietatis damnare audentes, praeter poenas, quibus eos subjecit Sixtus IV. aliique praedecessores nostri Romani Pontifices, gravioribus aliis poenis subjicimus, quas in contrafacientes huic nostrae Constitutioni superius inflixi*mus.

Haec fusius fortasse quam opus esset a me repetita hoc in loco videri

videri cuiquam possint. At ego illa cum sub meis, tum sub Lectorum oculis volui; nihil enim enixius cupio, quam ea, qua par est, veneratione omnia intacta servare in ejusmodi disputatione Romanorum Pontificum praecepta, eorumque menti ac imperio demisse me in omnibus conformare. Non ergo heic disputatio erit, fuerit ne concepta, an secus, sine labe Originali gloriosissima Dei Mater Maria. Una inter me, ac Parthenotimum controversia est ac erit, utrum amplectenti sententiam de Immunitate Virginis ab Originali peccato liceat Vovere ac jurare, se pro hujus sententiae patrocinio Sanguinem quoque & Vitam, quoties occasio ferat, daturum. Quaestionem hanc nemo Romanorum Pontificum attigit, liberumque propterea cuicumque futurum est in ejus examen ferri; immo utile, ac necessarium Christianae Reipublicae nemo non sentiat, ne forte sub specie Pietatis temere Christi fideles Vitae discrimen subeant. Quamobrem, uti jam fassus fueram in Libro *de Ingeniorum Moderatione*, iterum lubentissime fateor, sententiam patrocinantem Immaculatae Conceptioni Virginis non solum *Piam*, sed *summe Piam* in Ecclesia Dei esse. Rectissime faciunt, qui eam Populo in publicis Concionibus, aut editis Libris depraedicant, atque commendant. Neque adversus illam quoquomodo dimicare amplius licet, quanquam liceat aliter sentire in intimis cordibus. Parendum est Pontificibus, Christiani Populi Magistris, qui non aliam potiorem viam hactenus invenire ad avertendas simultates, & ad arcenda scandala, quae olim crebro inter Theologos Catholicos ob ejusmodi controversiam fluebant. Ab eorum Decretis ne latum quidem unguem discedere mihi quoque animus, ac firma voluntas est. Hoc unum ergo mihi propositum est, videlicet ostendere, ab iis Decretis reapse deflexisse ac deflectere, qui pro Sanguinario Voto, aut olim, aut nunc propugnant; quippe abutentes silentio, contrariae parti indicto, licere fortasse sibi putant quidquid volunt, quasi Romani Pontifices, dum piae sententiae favent, licentiam quoque tribuerint quidlibet superaddendi, neminique futurum fas sit contra haec superaddita hiscere, vel quum a veritate & rectitudine doctrinae Catholicae aberrare creduntur. Exemplum dabo, quod postea fusius infra recurret. Theologis quibusdam parum visum fuit docere, Virginem Sanctissimam *ab Originali Culpa*, singulari inter filios Adam privilegio, praeservatam fuisse, quod sane laudandum est: illam etiam *a Debito ejusdem Culpae* immunem fuisse contenderunt, quod hanc sententiam gloriosiorem Virgini censerent. At gravior, meliorque Theologorum chorus adversus Opinionem istam incaluit, eamque

non-

nonnulli gravi etiam nota inusserunt. Ita superadditum est sententiae de Immaculata Virginis Conceptione Votum de ipsa tuenda, vel Sanguine effuso, quod hisce verbis ego antea indicaram Libro Secundo, Capite Sexto, de Ingeniorum Moderatione. *Satis quibusdam non fuit, calamo & rationibus Immaculatam Deiparae Conceptionem tueri: quod procul dubio cum vera Pietate consonat. Nescio quid etiam illustrius invenisse sibi sunt visi, quo suum in Virginem testarentur obsequium. Sacramento videlicet se se obstrinxerunt, atque voverunt, se pro hujusmodi Opinione tuenda Sanguinem, & Vitam daturos, quoties occasio posceret.*

Heic mihi se obvium e vestigio facit Pathenotimus pag. 10. scribens, non legi *in Academiarum formulis, quas fere omnes refert Latius de Conceptione a* §. 1412. *particulam illam Usque ad Sanguinem.* Egregie sane. Multas ego illi gratias habeo, quod minime rogatus, rem fassus sit peropportunam ad controversiam hanc dirimendam; idque Lectores animadvertant velim diligentissime, neque excidere e memoria sinant. Si Academiae, in quibus Theologorum, ac Litteratorum hominum potior pars numerari solet, a Voto Sanguinario abstinuere, legitime inde argumentari licet, non alia de causa ab eo abhorruisse doctissimos illos viros, nisi quod illius deformitatem ac temeritatem probe sentirent. Quin devotione erga Virginem excellant omnes ii Sapientum coetus, nemo neget, nemo sibi non persuadeat. Attamen voverunt ii quidem se tutaturos piam sententiam. Dum autem Sanguine testari illam fugerunt, jam satis indicarunt, ultra germanae Pietatis metas sibi videri, Vitam quoque velle pro illa ponere. Proinde vel ex hoc ipso intelligat Lector, me in acie non stare contra Opinionem per Catholicorum Regna & Academias placide exceptam, sed contra paucorum persuasionem, cui si forte adversetur Catholicae Ecclesiae doctrina, obsistendum est, ne morbus propagetur. Quod autem Parthenotimus de tot Academiis liberalissime confessus est, ne ipsum, rogo, pigeat idem perpendere in tot celeberrimi & Sanctissimi Instituti sui Sociis per Italiam, Galliam, Hispaniam, & Germaniam diffusis. Non is, ut reor, credat, aut dictitet, tot viros doctissimos (ut alios aliorum Ordinum Theologos summe pios praeteream) Pietate erga Deiparam paucis Siculis suis concedere. Tuentur & illi concordi studio sententiam Immaculatae Conceptioni Virginis faventem, & quantum possunt Devotionem erga ipsam Dei Matrem tum in se, tum in aliis alunt & augent. Cur vero non & ii *Magnanimum Votum* emittunt, quo glorioso nomine suum Votum Siculus Theologus exornat? Ita me Deus amet, non quod minori af-

fectu

fectu in Mariam Sanctissimam ferantur, sed quod majori cura saniorem doctrinam scrutentur, ejusque Voti minime sibi ignoti consectaria perversa agnoscant, & abominentur. Addit Parthenotimus, non deesse, qui Votum de Vita danda concipiant; Equites enim de Calatrava hoc pacto vovent. *In qua CERTISSIMA VERITATE tuenda ad honorem tantae Virginis usque ad Mortem decertabimus*. Ita Equites Sancti Jacobi Votum edunt *Defendendi hanc VERITATEM non solum intra privatos nostros parietes, sed etiam publicitus animo & ore, Vita & Morte, juxta uniuscujusque sexum & conditionem*. Haec ille, e certis, ut puto, monumentis depromta adfert. Auctor Histor. Controvers. Conception. nullam de Sanguine effundendo ab iis Equitibus mentionem habet, & fortasse verba illa *Vita & Morte* tantum significant *in vita & in Morte*. Praeterea die 16. Novembris anno 1624. ut constat e Lib. 1. Cap. 8. Libri, cui titulus *Palermo Divoto*, Auctore Canonico Antonio Mongitore, Viro ex aliis etiam Libris notissimo, *Illustrissimus Senatus Panormitanus Immaculatam Conceptionem vel ipso Sanguine defensurus, ejusque privilegium jejunio celebrandum suscepit*. Neque segnius, addit Parthenotimus, *hanc animi constantiam professa est pietas Capituli Primariae Metropolitanae Ecclesiae Panormitanae anno 1698.* in haec verba vovendo *Ac etiam si opus fuerit, usque ad Sanguinis & Animae effusionem, Dei gratia cooperante, defensuros spondemus*. Praeterea pergit Parthenotimus: usque ad *Sanguinis effusionem, post emissam professionem Fidei, vovent, jurantque, quotquot in Canonicorum ejusdem Metropolitanae Ecclesiae numerum referuntur*. An ita se res habeat, videat nobile illud Canonicorum Collegium. Equidem apud praelaudatum Mongitorem hoc unum reperio additum Formulae Fidei apud eos & reliquos consuetae. *Insuper ego idem N. sponte profiteor, & affirmo, Beatissimam Virginem Mariam Dei Genitricem absque Originalis peccati macula in primo instanti conceptam. Et hanc VERITATEM me non modo numquam impugnaturum sed in privatis etiam colloquiis, & publice, dum spirabo, opportune docturum esse & propugnaturum, juxta Decreta Summorum Pontificum jam edita, aut deinceps edenda*. Denique subdit Parthenotimus. *Ad Sanguinem usque, vel ipso Sanguine, se primaevum Virginis candorem millies defensaturos promiserunt Episcopus Cephaletanus, Siciliae Regni Praeses; Dominus Franciscus Gisulfo, & post ipsum Frater Dominus Martinus de Rhedin Siciliae Prorex*. Expectabam ego gravissimorum Theologorum nimbum, qui suo calculo, ac professione, Sanguinarium Votum probassent, suaque auctoritate me ac ceteros ab eo alie-

alienos absterrerent. At videant recti rerum aestimatores, quibus Theologis, quibus exemplis nitatur Votum tanti ponderis, quale est profundendae Vitae. Immo quando Equestris Ordinis Viri heic memorantur, qui sese hujusmodi Voto obligant, agiturque de militaribus viris, inquirendum foret, num ita vovendo eorum animus sit tolerandae duntaxat mortis pro pia sententia, an etiam inferendae aliis, & in arma ruendi, si quis contra sentiret. Postremum enim hoc quantopere a recta ratione absonum foret, nemo monitore me indiget, ut illico perspiciat. Interea mihi rogandus est Siculus Theologus, ut edicat, quare Joanettinus Doria S. R. E. Cardinalis, Archiepiscopus Panormitanus, & Prorex Siciliae, anno 1624. & Dux de Infantado Siciliae Prorex anno 1655. & Martinus de Leon, & Cardenas Archiepiscopus Panormitanus, & Dux de Ossuna anno 1656. & Dux de Ascalona anno 1701. & Franciscus de Judice S. R. E. Cardinalis anno 1702. & Marchio de Bedmar anno 1705. & Dux Sexti anno 1707. Siciliae Proreges, quum Votum tuendae Scotisticae Sententiae nuncuparunt, quod eorum verbis conceptum refert ante memoratus Mongitor, nullam de fundendo Sanguine pro illa mentionem fecerint. E Pietatis tepore si quisquam reponat, vix credendum. Verisimilius est, ab eo illos abstinuisse, quod paucorum praedecessorum neque exemplis, neque Opinione moverentur. Unum proinde illi praestitere Votum de tuenda sententia: quod & Academiae praestant; at Sanguinem pro Fidei duntaxat articulis, si oporteret, fundendum servarunt.

Duplex ergo Votum concipi potest pro tutela Immaculatae Conceptionis Mariae: alterum tenendi ac defendendi sententiam illi faventem, neque contrariam amplectendi aut docendi; alterum impendendae etiam Vitae in hujus ipsius sententiae patrocinium. Audi nunc Parthenotimum numero X. *Hanc*, ait, *Votorum distinctionem Lamindus omisit. Ejusmodi omissio muneri Moderatoris Ingeniorum nescio an congruere possit.* At hinc mature discere Lector poterit, an rectum e Theologo nostro sit sperandum judicium, quando in ipsius quaestionis vestibulo caecutientem se prodit. Haec mea prima verba Libro II. Cap. VI. de Ingenior. Moderation. quae repetere juvat, atque opus est. *Satis quibusdam non fuit, calamo & rationibus Immaculatam Deiparae Conceptionem tueri: procul dubio cum vera pietate consonat. Nescio quid etiam illustrius invenisse sibi sunt visi, quo suum in Virginem testarentur obsequium: Sacramento videlicet se se obstrinxerunt, atque voverunt, se pro hujusmodi Opinione tuenda Sanguinem & Vitam daturos, quoties occasio posceret. Novitium certe Martyrum genus &c.*

Quid est ergo quod Parthenotimus ait, me non *distinguere*, me non *explicare mentem meam, an pium sit defendendae Virgineae Immunitatis Votum extra mortis periculum?* Si calamo & rationibus tuentes Immaculatam Virginis Conceptionem laudo; si unice verba mea feruntur in illos, qui *Sanguinem* se daturos pro eadem Sententia pollicentur, quis continuo non perspiciat, mihi primum Votum minime improbari, alterum vero neque mihi, neque aliis probandum credi? At morem geramus homini quaerenti nodum in scirpo. Itaque dico, Prudenter agere, qui voce & scriptis propugnaturos se vovent sententiam eximentem a Peccato Originali Deiparam; Prudentius agere, qui eandem sententiam tuentur, sed Voto omisso; Prudentissime denique agere Academias, si pacis caussa tutelae ejusdem sententiae Votum adjungunt. Primi commendandi, quod Piae, atque admodum Probabili Opinioni studium suum addicunt, in cujus Probabilitate asserenda non falluntur. Secundi, ut reor, Prudentiores, quod eandem protegentes sententiam, libertatem ingenii sibi servant, quam multis aut imperium Principum, aut aliae humanae caussae ademerunt. Videlicet nescii, quo inclinaturum aliquando sit judicium definitivum Apostolicae Sedis, & Veritatis super omnia cupidi, quam post acrius & sincerius studium deprehendere aliquando possent in opposita sententia, Probabili & ipsa, nolunt ita sese obligare ad patrocinium unius Opinionis, ut integrum sibi non sit, infirmioribus perspectis rationibus in contrariam (quod faciunt meliora edocti Sapientes) deflectere. Demum laudanda maxime Academiarum Prudentia, quod ad Scotisticam sententiam amplectendam ac profitendam sese obstrinxerint, ut ita e Scholis removerentur jurgia & scandala, olim e conflictu utriusque Opinionis progenita: quae caussa etiam Romanae Sedis prudentiam adduxit olim ad eripiendam vocem Thomisticae Sententiae, eamque uni relinquendam Scotisticae. Haec autem nil rei habent cum *Voto Sanguinario*, quod unum & Lamindo Pritanio, & praesenti Opusculo argumentum scribendi praebuit.

Ceterum majoris eruditionis copiam optassem in Theologo Siculo, dum tanquam certum propinat Lectoribus suis, Academiam Parisiensem anno 1346. tam tenaciter triumphis ac sententiae Joannis Duns Scoti Doctoris subtilissimi adhaesisse, ut sese *Voto ac Sacramento* obstrinxerit, ad eam in posterum tuendam, atque docendam. *Academiam*, inquit, *vovisse*, *ferunt antiquae tabulae*, *quas integras refert Raynaudus Tom. VIII. pag.* 280. *anno* 1346. Atqui in Decreto, quod idem Raynaudus adfert, disertis verbis scriptum est, *quaestionem hanc*

paucos

paucos post annos in sacro Basileensi Plenario Concilio agitatam fuisse. Qui ergo ad annum 1346. aut 1396. spectare potuit Facultatis Parisiensis Decretum? Errorem hunc etiam erravit Wadingus in Annalibus Minorum, quem propterea falsi postulavit Natalis Alexander, ejusdem Facultatis Doctor in Histor. Ecclesiastic. Tom. VII. pag. 150. ubi ostendit, anno duntaxat 1497. Academiam Parisiensem primum imperasse alumnis suis Juramentum de tuenda sententia Immaculatae Conceptionis; neque solidis fundamentis niti decantatam illam disputationem ac triumphum Joannis Scoti, qui etiam non ea, quam Vulgus credit, confidentia sententiam suam proposuit, ac tutatus est, sed eximia moderatione, scribens: *Si auctoritati Ecclesiae, vel auctoritati Scripturae non repugnet, videtur Probabile, quod excellentius est attribuere Mariae.* Paria habet Du-Pinius Doctor & ipse ejusdem Facultatis, in Biblioth. Scriptor. Ecclesiastic. Tom. XI. ubi de Joanne Scoto loquitur.

CAPUT II.

Pietatis nomine propugnatum frustra a Parthenotimo Votum Sanguinarium. Vera Pietas cum ceteris Virtutibus jungenda. Inter Defectum & Excessum posita. Vitii utriusque exempla.

UNICUM ergo Votum de Sanguine fundendo pro tutela sententiae statuentis Virginem sine labe conceptam, hisce ego verbis aggressus fueram Lib. II. Cap. VI. de Ingenior. Moderatione: *Novitium certe Martyrum genus, quod nusquam Majores nostri somniarunt, nunquam posteri nostri, si quidquam sapiunt, probent. Neque Evangelium; neque ratio recta nos docent, adeo levibus de caussis animam prodigere. Non pro Opinionibus nostris, sed pro divinitus revelatis, legibusque sanctissimis, profundendus est Sanguis. Hominum enim Opiniones tam falsum quam verum complecti possunt, & hominis parum prudentis est pro incerta Opinione (quae falsa esse potest, & certe necessario defendenda non est) ultro jugulum offerre carnifici.* Ad ista respondet Parthenotimus pag. 18. *Quis unquam somniavit, pro incerta Opinione fas esse jugulum offerre Carnifici? At mori pro Pietate, quae certo inest Actui Opinativo, ut se morituros spondent pie voventes, & Majores*

nostri docuere, & Posteri nostri, dummodo dociles, discent. Infra addit. *Non Martyr esset pie vovens, quia assentitur Immaculatae Beatae Virginis Conceptioni, nec pro ejusdem directa Certitudine, quae nondum est de Fide, mortem oppeteret: sed pro defensione Sanctitatis Marianae, quae Virtutem Religionis sapit: & haec est illa Veritas, pro qua moreretur.* Subdit etiam. *Virtutis opus est, Virginem ut a labe immunem venerari, quia pium est, ipso fatente Pritanio. Virtutis opus est, vovere actum Virtutis, & Votum servare.* Vovete & reddite. *Quid ergo impedimento esse potest, ut pro his Virtutis actibus mortem quis subeat, & MARTYR nuncupetur? Vel ipse Pritanius non negat, pro legibus sanctissimis fundendum esse Sanguinem. Numquid inter leges sanctissimas non est, Virginem venerari? Virginem venerari ut Sanctam? & exequi Deo promissam venerationem erga ejus Matrem?* Haec Parthenotimus. Grandia hercle nomina, & quae mentem oculosque feriunt Lectorum. *Mori pro defensione Sanctitatis Marianae:* mori *pro Pietate:* mori pro *Virtutis actibus;* nemo istis neget gloriosum *Martyris* nomen. Ita Parthenotimus edicit. Qui leviter doctrinis Theologicis imbutus est, immo & qui iis operam diutissime dedit, nisi consistat, nisi haec singula meditatione intenta perpendat, minime intelliget, quam tenebrosa, quam inania sint ista: fortassis etiam, quamquam ab hisce novis Martyribus admittendis interna se sentiat formidine absterreri, dubitare tamen primum incipiet, an excipiendi potius sint, quam repellendi. Curabo ego, quantum meae vires ferent, ut nemini fucum faciant merae voces; & an jure ad quaestionem nostram dirimendam magnifica haec verba adhibeantur, ut spero, ostendam.

Et primo *Pietatis* nobilissimum nomen, quando illud in hanc rem Parthenotimus usurpavit, ne ego quidem refugio; atque illud accipio pro Virtute docente ac reddente cultum debitum Deo, nostro omnium parenti, ejusque beatis Servis. Nam etsi eum cultum praescribere, atque exercere spectet ad Virtutem *Religionis*, teste tamen Sancto Thoma (post Sanctum Augustinum) 2. 2. Quaestion. 101. Artic. 3. *Pietas*, magistra cultus debiti parentibus & patriae, *transfertur excellentius ad Deum, quia Deus excellenter dicitur Pater noster.* Promiscue ergo liceat heic mihi nominibus *Religionis* & *Pietatis* uti; sed ita ut praecipue *Pietatis* vocabulo significare velim eam devoti ac bene affecti animi propensionem, quam vulgaris Lingua appellat *Divozione*. Animadvertendum autem est, *Pietatem*, reliquarum Virtutum more, in medio consistere debere; quippe circum obsident illam quoque duo extrema vitiosa, nimirum *Defectus* & *Excessus*. Ad haec,

ut Pie-

ut Pietas dicenda sit germana Catholici hominis Virtus, necesse est, ut cum *Veritate*, cum ceteris *Virtutibus*, cum *Praeceptis Dei & Ecclesiae*, arctissimum foedus ineat, uno verbo, cum doctrina, quam Catholica Romana Ecclesia, errandi nescia, tradit. Necesse vero super omnia est, ut eam *Prudentia* ducat, omnium Virtutum futura comes. Si ex his aliquid desideretur, grandibus quidem buccis nonnulli *Pietatem* sonabunt, suisque Ritibus aut Opinionibus sanctum hoc nomen obtendent; & nihil minus quam Pietas vera ac laudanda in iis occurret. Nam datur etiam *Pietas falsa*, *Pietas imprudens*, *Pietas superficialis*, & non solida; & quae interdum *Pietas* creditur, *Error* est, *Temeritas* est, *Superstitio* est, *Fanaticismus* ac *Deliramentum* est, sub specie videlicet Pietatis pestis aliqua in Mundum invecta. Haec autem monstra modo ex Ignorantia ac simplicitate nimia prodeunt, modo ex aestu ultra fines exuberante Ingenii, sive Devotionis. Utrumque sane extremum solicite cavendum vitandumque homini Christiano. Praestabit tamen exemplo aliquo meliori in lumine collocare materiem, alioquin utilissimam, atque ampliorem, quam primo aspectu videatur, & dignam prae multis aliis, quae justo aliquo Tractatu exhauriatur.

Devotus erga *Christum Dominum* animi affectus, ejusque Amor, ac in illum spes, & ad eum preces, quanti sint ponderis, neque utilitatis tantum, sed & necessitatis homini ad coelestia, atque ad perennem in ejus Regno vitam adspiranti, vel tirones Catholicae Religionis norunt. Atque utinam nos, ac totus exardesceret Orbis *Amore Jesu*. Ipse via nobis ad Coelum, ipse propitiatio pro peccatis nostris: per ipsum nobis datur quidquid in Regno Dei habemus, quidquid speramus; & sine ipso nihil boni salutaris, nihil salutis. Quamobrem, qui in hujus amore proficit, praecipuo Christianae Religionis officio fungitur, & per tramitem rectum, ad divina ac sublimia contendit. Ac propterea in paucorum mentem suspicio subeat, posse cum hoc beatissimo ac necessario Amore, & cum tanto Pietatis dogmate commisceri aliquem ex Defectu errorem. Attamen & heic error occurrere potest (atque utinam inter possibilia tantum numeretur) non quod satis amari, satis coli, satis exorari a nobis possit divinus iste Redemptor, sed quod solus a nonnullis ametur interdum atque invocetur. Profecto rarum inter Catholicos invenies, qui Deum Unum & in personis Trinum non fateatur, seque ejus sacro nomine saepe non signet, & *Gloria Patri &c.* quotidie etiam non recitet; haec enim ab ineunte aetate aut a parentibus, aut in Catechismi schola didicere. Verum

sive

five quod excelsum divinae Trinitatis Mysterium pueri nihil intelligentes ebiberint, & doctrinam hancce ad majores annos deducti nunquam amplius explicari audiant; sive quod unum Christum in Eucharistia, sacrisque Imaginibus passim spectent, Deum vero invisibilem excogitare, aut retinere nesciat; sive etiam quod interdum audiant nonnullos ex iis, qui sacra tradunt, in Concionibus, aut in Poenitentiae foro unum fere semper alloqui Christum, & ab eo culparum veniam, & beneficia petere: fieri potest, ut rudis minervae homines, aut sagaces etiam in Seculi rebus, sed incuriosi in divinis, etsi millies quoque Deum aut memorent, aut ab animarum Pastoribus memorari audiant, sub hoc tamen nomine Christum tantummodo concipiant, & de ipso uno omnia dici arbitrentur. Consequenter etiam fieri potest, ut aliqui unam tantummodo adorent ineffabilis Triadis personam, ad illam unam amore ac precibus ferantur, neque unquam cogitent de ejus divino Patre, & Spiritu Sancto, hoc est de Trinitate necessario nobis credenda, atque adoranda. At quis non intelligat, quam informis & manca, atque aliena a principiis Christianae Religionis esset ejusmodi Pietas? Si de salute aeterna hominis Theologi dubitant, aut actum putant, cujus Fides aperte integram Triadem non amplectitur: quid de eo dicendum, qui non integram etiam veneraretur & amaret? qui Filium Dei, consubstantialem quidem, ejusdemque naturae cum Patre & Spiritu Sancto, adoraret, aeternum vero illius Patrem, divinitatis principium, & omnium conditorem & rectorem, minime agnosceret, aut nunquam recogitaret, nunquam coleret, nunquam invocaret? *Haec est vita aeterna* (inquit de patre suo ipse Dominus, Joannis Cap. XVII. vers. 3.) *ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*. Atque in hunc finem potissimum Filius Dei missus est, ut Patrem suum clarificaret, atque ut Mysterio sacrae Triadis aperto, humanum genus excitaretur ad agnitionem, amorem, & adorationem non Geniti tantum, sed & Ingeniti, & Procedentis. Proinde rite faciunt, qui tum suo exemplo, tum praedicatione ita Populum ad amorem sanctissimum Domini nostri Jesu Christi veri Dei, verique Hominis, sollicitant, atque accendunt, ut simul doceant, quam impense amandus quoque & invocandus sit illius ineffabilis Pater; ne Christianus, dum unum curat, sibi desit in altero praecipuo sanctae Religionis nostrae officio. Depraedicanda quoque indesinenter spes in divinum Mediatorem Dei & hominum Christum Jesum, a quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Sed ea cautela, ut Populus sibi nunquam persuadeat, ignorari ac negligi posse

ame-

amorem, ſpem, & confugium ad coeleſtem ejus Patrem, ad quem nos eruditura pleraſque ſuas orationes Eccleſia convertit, adjecta in fine efficaciſſima clauſula illa, ſe petere ac ſperare quae petit *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*; & ad quem ipſe divinus Magiſter noſter nos docuit dirigendam eſſe caeleſtem illam, ac omnium ſanctiſſimam Orationem *Pater Noſter* &c. Solemni hoc ritu edocti intelligimus, fundendas ſaepiſſime eſſe preces ad immaculatum illum Agnum, qui peccata Mundi tollit, ac praecipue quum ad ejus Menſam venerabundi accedimus. Sed ſimul ſaepiſſime etiam genua eſſe flectenda, ac preces deducendas ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, patrem miſericordiarum, qui amore unigeniti & conſubſtantialis Filii ſui, hominis pro nobis facti, nos adoptavit in ſortem filiorum Dei, illiuſque meritis gratiam omnem in nos eſt effuſurus. Saepiſſime etiam adorandum atque invocandum omnipotentem Deum, quo nomine tres beatiſſimae Triadis perſonas intelligimus. Heic neminem e doctis peccare in Pietatem ex Defectu puto; at poteſt Populus non ſatis eruditus.

Contra, obnoxia quoque Exceſſibus eſt ipſa *Pietas*, niſi doctrinam Eccleſiae Catholicae diligenter veſtiget, & prae oculis habeat. Dogma Catholicum eſt, juſtum & laudabilem eſſe honorem Sanctis exhibitum, & quum fert occaſio, cultum eis impendere jubemur, & negare crimen foret; cultum, inquam, Duliae Beatis illis Dei Servis, & Hyperduliae ſanctiſſimae Virgini parenti Salvatoris noſtri. Eorum quoque pro nobis implorare opem ac interceſſionem apud Deum, & *bonum*, & *utile* eſt, ut decrevit ſacroſancta Synodus Tridentina. Quapropter laudanda Devotio & Pietas erga illos, ſuadenda quoque omnibus eorum invocatio; nam ſi vel piorum viventium precibus nos commendare & licet & prodeſt; quanto plus licebit ac proderit praeſidium apud Deum petere ab iis, qui ad illius aulam jam adſciti, ejus gratia ac beneficentia mirum in modum fruuntur, & quam Caritatem in terris coluerunt, longe uberius in coelis exercent? Maxime vero & amore & veneratione digna beatiſſima Redemptoris noſtri Mater, quam *gratia* novimus *plenam*, & cui *magna fecit Qui Potens eſt*, ut divina Scriptura teſtatur. Mater Dei eſt: quale majus elogium proferas? & in amanda & honoranda illa quis e Chriſti Fidelibus non certet? Eam quoque orare filiali affectu, ut pro nobis Deum exoret, utiliſſimum & decentiſſimum eſt, quum plura per ejus interceſſionem ac merita, Filii ſui meritis conjuncta, nobis beneficia a Deo ſperanda ſint, quam reliquorum Sanctorum precibus. Anathema ſit cuicunque, Devotionem ac Pietatem veram erga Deiparam & Sanctos improbanti ſive minuenti. Ve-

ti. Veram dixi; poteſt enim & haec ipſa Devotio erga illam ceteroſque Sanctos excedere fines ab Eccleſia ſtatutos, & in Superſtitionem etiam dilabi. Ea de cauſſa *Honor Reginae judicium diligit*, ajebat Sanctus Bernardus Epiſtola 174. ſignificaturus judicio utendum eſſe ac modo vel in ipſa Virgine honoranda; & celebratum illud antiquorum *Ne Quid Nimis*, locum in ejus quoque cultu eſſe habiturum. Certe Bernardum in honore ac amore Virginis ſanctiſſimae frigidum ac ſegnem nemo appellabit. Atque huc reſpiciens Theophylus Raynaudus vir doctiſſimus (Diptych. Marian. Caut. 2.) in nonnullis damnavit *aliquem Deiparae amorem intemperatum*, *ac minime probandum*. Subdit; *Hanc erga Sanctos intemperantiam amoris & honoris*, *vigere maxime erga Deiparam in iis*, *qui illam non ſecundum Scientiam diligunt & colunt*. Quam ſententiam atque cenſuram ille confirmat auctoritate Petri Cellenſis, Sanctorum Anſelmi, Bernardi, Epiphanii, ac aliorum, quorum verba repetere in praeſentia nihil attinet. Itaque cum Eccleſia dicimus, colendos eſſe Sanctos, potiſſimum vero peculiari honore & amore proſequendam Deiparam, ſingulari Dei privilegio ſupra reliquos Sanctos, & ſupra Angelos ipſos exaltatam tum dignitate tum ſanctitate. Sed & ipſa Eccleſia cavendum docet, ne huc ſe ingerat error, ſive ex ignorantia, ſive ex intemperanti Devotionis ardore, ſive e novitatis deſiderio, ne alias pejores cauſſas commemorem. Si quis enim ſibi, aut aliis, exempli cauſſa, perſuaderet, devotionem ſolam erga Sanctum aliquem, ac praecipue erga Chriſti Matrem, tanti futuram vigoris, ut de evitanda ſubitanea morte, aut morte in peccatis, aut de Infernis poenis minime ſubeundis, firmam, cautionem praebeat: errabit profecto, & ultra limites Pietas temeraria excurret. Gravius etiam a vera Pietate deflecteret, ſi hanc fiduciam in ſuperficiali quadam devotione conſtitueret, qualis eſſet diurna aliquot precum recitatio, labiis tantum perſoluta, dum interim in flagitiis vivit, certamque nihilo ſecius ſibi ſponderet in coelis ſedem. Errabit etiam, quotieſcunque honores, Deo debitos, improvide Sanctis, ipſique Deiparae impendat; errabit, qui nulla poſſe niſi per eos, & in primis per Virginem Sanctiſſimam impetrari a Deo beneficia doceat, aut credat; errabit, qui laudibus immodicis Sanctos oneret, eoſque Deo pares facere videatur. Plura alia praetereo. At haec improbat, haec damnat Catholica Eccleſia. Habemus, quid illa ſtatuerit de Sanctorum Invocatione. Ad hanc normam exigenda noſtra devotio, & invocatio, & laudes eorum; neque ſinendum, ut affectus pius exorbitet, aut opiniones ab ea diſcordes invehantur, ſive nutriantur. Certe

ſacrum

ſacrum Tridentinum Concilium Seſſione XXV. poſtquam mandavit, ut Fideles diligenter inſtruantur *de Sanctorum interceſſione*, *invocatione*, *Reliquiarum honore*, *& legitimo Imaginum uſu*, quorum omnium germanam proponit atque explicat doctrinam, haec ſubdit: *In has autem ſanctas & ſalutares obſervationes ſi qui abuſus irrepſerint, eos prorſus aboleri Sancta Synodus vehementer cupit, ita ut nullae falſi dogmatis imagines, & rudibus periculoſi erroris occaſionem praebentes, ſtatuantur*. Haec regula Fidei, expreſſa e divinis Scripturis, & Traditione Patrum; atque huc ſi recentiores Haeretici ſincera voluntate oculos converterent, a tot calumniis temperarent, quibus in Catholicorum Eccleſiam utuntur, non alia de cauſſa, quam quod interdum deprehendant aut in rudi popello, aut in parum caſtigatis nonnullorum Libris, quaſdam Pietatis anomalias & exceſſus, quos plenis buccis crepant, in concionibus aut Libris editis, ludicrum ex his genti ſuae ſpectaculum facientes. Quo in genere impiae ac ridendae eruditionis excelluit noſtris temporibus Miſſonius quidam Calvini Sectator, dum iter per Italiam a ſe ſuſceptum deſcripſit, ne quid dicam de nupero falſae Reformationis Apologiſta Jacobo Picenino, ſive quiſquis ſit ille impius Catholicae Eccleſiae hoſtis & accuſator. Plumbea haec tela ſunt; noſſe quippe & fateri coguntur vel ipſi Heterodoxi, non e privatorum ritibus ac opinionibus, ſed ex ipſa Eccleſiae doctrina, in Conciliis potiſſimum & Catechiſmis firmata, deducendum eſſe, quid eadem Eccleſia tradat, ac ſentiat. Nemo tamen e noſtris neget, quin cederet in ſingularem Eccleſiae utilitatem, ſi univerſam hanc aeruginem deterſam e regionibus noſtris cerneremus; ſemperque optandum eſſe, ut docti ea heic ſeveritate & circumſpectione utantur, quam praelaudata ſacra Synodus exigit, ne ulla falſi dogmatis, ullave Superſtitionis & periculoſi erroris occaſio rudibus praebeatur.

Fuit mihi olim amica contentio cum Viro non minus Pietate quam Doctrina ſpectatiſſimo. Laudabam ego in illo animum effuſum in obſequium & affectum erga Deiparam. Quis enim in Eccleſia Catholica non laudet & amet colentem & amantem illam, cujus encomium Angelus in Evangelio contexere coepit, & quam Sancti Patres ornare laudibus non ceſſant? Ejus cultus, amor, & honor, ad Fidem Catholicam ſpectat. Verum minime, mihi in illo probabatur, ita extollere Devotionem erga Mariam, ut ſine iſta ſperanda ſalus aeterna non foret, & cum iſta Coelum e manibus Fidelium elabi nequiret. Aſſerebat ille in hanc rem Sancti Anſelmi verba: *Sicut, o Beatiſſima Virgo, omnis a te averſus, & a te deſpectus, neceſſe eſt, ut intereat*;

ita omnis ad te conversus, & a te respectus, impossibile est, ut intereat. Similia sunt & alia ejusdem Sancti verba e Libro de quatuor Virtutibus Beatae Mariae deprompta: *Impossibile est, ut aliquis homo ad eam conversus, & ab ea respectus damnetur*. A Sancto quoque Augustino (ita ille addebat) eadem Beatissima Virgo in Sermone XVIII. de Sanctis appellatur *Spes unica peccatorum*. Ac de ipsa dicitur Eccli. XXIV. vers. 31. *Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt;* & alia, quae commemorare superfluum foret. Quibus ex verbis ultra quam par esset, ut mihi videbatur, auditoribus suis fiduciam Regni coelestis adipiscendi faciebat, dum ejusmodi devotioni ac laudibus Virginis quisque insisteret. Contra ego ajebam, componenda haec esse cum vera sanctissimae Ecclesiae nostrae doctrina, atque ita explicanda, ut adversus eam nulla ex parte pugnent. Non ignorasse Sanctum Anselmum, quae hac de re sententia Ecclesiae foret, neque censendum ab ea discedere voluisse. Si quid crudum nimiumque exciderit Sanctis viris, sive devotionis fervore, sive Oratoria licentia in laudandis Sanctis, emolliendum esse ad canonem Orthodoxae doctrinae, & nihil verbis iis insistendum, sed eorum intentioni, ut scite monuit Cardinalis Bellarminus Lib. I. de Sanct. Beatit. Cap. XVII. aliique Theologi Polemici. Neque omnes Sanctos in Sanctorum Patrum coetum esse inferendos; & quanquam eum honorem Sancto Anselmo deferre malimus, illius tamen verba sano illo sensu accipienda & explicanda esse, quem supralaudatus Theophylus Raynaudus, haec ipsa Anselmi, aliorumque similia loca expendens, sapienter, & secundum Ecclesiae mentem iis tribuit in Diptych. Marian. Punct. x. num. 37. pag. 237. Quod est ad Sancti Augustini locum, etsi prodesse multum nobis possit apud Deum patrocinium Sanctorum, ac praesertim Deiparae: Fidei tamen dogma esse, praecipuum & maximum Christianae Spei fundamentum in misericordia & clementia Dei, ac in meritis divini Redemptoris nostri esse collocandum; usque adeo ut quidquid ii nobis impetrant a Deo, impetrent per Christum Dominum nostrum. *πᾶσα γὰρ ἡμῶν ἐλπὶς ἐν χριστῷ: omnis namque spes nostra sita est in Christo*, ajebat Sanctus Cyrillus Alexandrinus in Concilio Ephesino Cap. V. pag. 313. Editionis Labbeanae; atque ad Fidei Dogma spectat appellare *Jesum Christum Spem nostram*, uti jamdiu Apostolus in 1. ad Tim. 1. 1. ipsum appellavit. Haec doctrina Catholicae Ecclesiae, cujus verba sunt in Concilio Tridentino Session. XIV. Cap. VIII. *Omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos poenitentiae, qui ex illo*

vim

vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre. Quare illud de Maria dictum *Spes Unica Peccatorum*, si cum rigore acciperetur, sententiam complecteretur a Fide omnino absonam, quippe quae in injuriam divini ipsius Mediatoris evidenter vergeret. Ad haec minime tribuendus est, uti neque a doctis Viris tribuitur, Sancto Augustino Sermo ille, uti ex editione Patrum Benedictinorum constat. Denique illud ipsum verbum *Unica* mitiori illic significatione accipiendum, ut non *Unum* seu *Solum* significet, sed ut *Grande*. Suis nimirum precibus Deipara Virgo prae omnibus aliis Sanctis spem nobis uberiorem facit veniae a Deo per Jesum Christum impetrandae. Ita Natalis Alexander Ordin. Praedicator. in Append. Tom. II. Theolog. Dogmat. Epist. 49. *operae pretium duxit exponere*, quid significent in *Salve, Regina*, verba illa *Spes nostra salve; ne in Errorem Fideles inducantur, & ne vera Devotio in Superstitionem degeneret.* Praeterea nihil confici posse ex iis divinarum Literarum verbis. *Qui me elucidant, vitam aeternam habebunt.* In illo enim Ecclesiastici loco ad literam sumto, de *Virtute Sapientiae* agitur, non de Maria; de *Sapientia Dei*, aut de *Verbo Dei*, increata *Sapientia*, non de Christi Matre. Quod si Ecclesia Capitulum illud, ut & alia e veteris Testamenti Libris hausta, legit in Virginis beatissimae festis diebus, id ob eam caussam facit, quod Mysticus & Symbolicus sensus interdum insignes & incomparabiles Virtutes, praerogativas, ac merita Virginis jam aliunde nota, adumbrare potest, uti complures e Catholicis jamdiu ostenderunt. Ceterum si quisquam insistere, & superaedificare vellet Mystico sensui verborum illorum, quasi literaliter ea de Virgine pronunciata fuissent, ibique fundare praerogativam non aliunde notam Ecclesiae ac certam, is profecto in nubibus aedificaret; immo divinis Libris abuteretur, in quibus non quod nos pie optamus, sed quod litera sonat, ac Traditio Patrum agnoscit, Deus edocere nos voluit. Propterea etsi complures ad Deiparam secundum Mysticum sensum referant verba illa Cant. IV. 7. *Tota pulcra es amica mea, & macula non est in te.* Ecclesia tamen hisce nunquam usa fuit, aut utetur ad fundandum Dogma aliquod; quippe constans Ecclesiae Catholicae regula est, e literali Scripturae sensu, non vero e Mystico & Symbolico petendas esse Veritates divinitus revelatas. Denique recte nos agere, si devotionem erga Sanctos, & praesertim erga Sanctorum Reginam, Populo suadeamus & commendemus; sed hoc non sine prudentia ac moderatione faciendum, ne incertam aut periculosam doctrinam disseminemus; aut ne indocti heic statuant praecipuum suae Pietatis nego-

tium; negligantque amorem & obsequium, quod debemus ante omnia, & super omnia, & ex praecepto, Creatori & Conservatori nostro Deo, ac Mediatori Dei & Hominum Christo Jesu. Haec & alia amice disputata sunt; atque ut in altero profunda Humilitas ac Docilitas cum ceteris Virtutibus certabat, ita gratias mihi amice monenti habüit, & egit, ac in meam sententiam concessit, idque opere deinde confirmavit.

CAPUT III.

Vita hominum quam pretiosum Dei donum. De illa custodienda ac minime prodigenda, naturale ac divinum praeceptum. Quando mors potius eligenda. Joannis Baptistae, aliorumque exempla commendata. An Carthusiano in discrimine vitae comedendae sint carnes. Sancti Elphegi, aliorumque exempla in examen adducta.

NIHIL est ergo quod Parthenotimus *Votum Sanguinarium* magnifico *Pietatis* titulo tueri se posse putet, nisi prius certum habeat ac faciat, *Pietatem* hanc cuncta germanae Pietatis lineamenta complecti; quippe datur etiam Pietas imprudens, temeraria, fanatica, a qua cavendum nobis, Theologiae Catholicae documenta concordia clamant. Atque haec eadem consideratio cadit in Theologorum ipsorum varias Opiniones. Pietatem praeferre possunt, piasque appellare primo aspectu liceat; si vero componantur cum aliis inconcussis Theologiae Catholicae dogmatis, iisque adversari deprehenduntur, tunc frustra adhibeas *Pietatis* nomen ad avertendam ab ejusmodi Opinionibus notam erroris, fabulae, imprudentiae, superstitionis. Multum hac de caussa debet Literatorum ac Fidelium Respublica Cl. V. Theophilo Raynaudo e Societ. Jesu, quem supra laudavi, & qui mihi non semel laudandus occurret. Is enim imperterrito calamo duobus Tomis, quibus titulus est *Heteroclita spiritualia ac terrestria*, aggressus Opiniones non Vulgi tantum, sed & eorum, quorum munus est alios doctrina coelesti imbuere, plurima somnia, falsas, aut periculosas sententias; actusque superstitiosos, aut certe minime laudabiles deprehendit, atque repressit. Addidit insuper & alium Tomum, *Diptycha* videlicet *Mariana*, quibus exorbitantem nonnullorum Pietatem, ac Opiniones non ferendas de praerogativis sanctis-

ſanctiſſimae Virginis exagitavit, quanquam nemini is concederet Devotione & Pietate in Deiparam ipſam. Haec ille edidit non ſine utilitate & plauſu totius Eccleſiae; quae qui diligenter evolvat, temporis profecto prodigus non erit; intelligetque, nullo negotio in *Anomalias Pietatis* (quo nomine recte utitur idem Raynaudus) Chriſtianorum Devotionem ac Zelum ſine ſcientia abripi poſſe. Quare antequam Siculus Theologus obtenderet Voto ſuo venerandum *Pietatis* nomen, diſpiciendum ei fuit, num inter Anomalias Pietatis numerandum quoque ejuſmodi Votum foret. At, inquit ille, Pritanius ipſe cum reliquis Catholicis, quin ſententia de Immaculata Conceptione Virginis, *ſumme pia* ſit, non negat, immo diſerte fatetur. Qui ergo mortem oppetat pro illa tuenda, Sanguinem prudenter ac legitime dabit, quippe dabit pro cauſſa pia; atque adeo pro *Pietate*, quae procul dubio Virtus eſt, occumbet. Haec illius argumentatio, ſplendidis terminis, & eo aſpectu veritatis concepta, ut mirum non ſit, ſi in illa conquieſcat is Scriptor, & poſtquam illudi ab ea ſe paſſus eſt, illuſionem forte eandem in alios quoque parum attentos transfuderit. Verum quanta lateat in ejus argumentatione aequivocatio & falſitas, meum erit aperire, & ſuo loco prodere, quid *Pietas* in ſententiis ſignificet, & quam inani effugio Parthenotimus declinare cenſuram ſui Voti contendat. Statuamus interea Quaeſtionem, quae re vera ipſum contra me ad arma excitavit: Nempe, *An liceat homini Chriſtiano vovere ſe daturum Sanguinem & Vitam pro tuenda Sententia Scotiſtica de Conceptione*. Affirmat Parthenotimus, Pritanius negat. Quae rationes Pritanium ad negandum impellant, nunc Judicibus aequis perpendendas offero. Atque ante omnia ſtatuendum eſt, eam eſſe mentem voventium mortem pro tutela ſententiae hujus, ſcilicet ſe ita credere *Veram ac Certam* eandem ſententiam, ut prompti ſint ad eam ſuo Sanguine teſtandam. Germanum hoc & verum eſt Voti illius objectum, non vero ſententiam hujuſmodi tantummodo eſſe *Piam* ipſae voventium formulae evincunt. Supra vidimus Vota ab Equitibus Calatravae, & ſancti Jacobi concepta, atque ab ipſo Parthenotimo adducta, videlicet *de Certiſſima Veritate tuenda*; *Defendendi hanc Veritatem*. Neque alia mens eſt reliquis voventibus, ſe illam ſententiam nunquam dimiſſuros, & ſemper defenſuros, quanquam ſine *Sanguinis* mentione: nam & iſti ad illud Votum feruntur, perſuaſione ducti, ſe propugnaturos *Veritatem*, quam ineſſe ei ſententiae credunt, ſive eam putent *Certam*, ſive *Probabilem* tantummodo ac *Piam*: quod faciunt quicunque circumſpecto judicio in Veritatis inquiſitione procedunt. Quantum vero a Ca-



a Catholicae doctrinae luce atque ab Ecclesiae mente ejusmodi Votum Sanguinarium absit, luculentius perspiciemus, si aliqua prius praemittantur.

Primo igitur statuo, maximum bonorum temporalium omnium esse *Vitam* naturalem hominis, sive maximum appetibilium inter bona corporalia; & contra omnium terribilissimum inter mala temporalia esse *Mortem* naturalem. Proinde Vita nostra pretiosior est quam honor & fama, & res exteriores, uti docet Sanctus Thomas 2. 2. Quaest. 73. Art. 3. Secundo, Vitam nobis adimere semper gravissimum crimen est, semper Malum; adimere vero aliis, regulariter est crimen, idque gravissimum. Homicidium quippe a Deo atque Natura vetitum est, primumque locum tenet inter Peccata in proximum commissa. Tertio, a legibus ipsius Naturae ac Dei homo jubetur non solum sibi manus nunquam inferre ad mortem sibi consciscendam, sed etiam caute servare propriam Vitam, neque eam scienter periculis exponere, neque arbitrio suo aliis tollendam offerre. Postremae hujus conclusionis ratio manifesta est; nam, ut ait idem Angelicus Magister 2. 2. Quaest. 64. Art. V. *Vita est quoddam donum divinitus homini attributum, & ejus potestati subjectum, qui occidit, & vivere facit. Et ideo qui se ipsum Vita privat, in Deum peccat: sicut qui alienum servum interficit, peccat in dominum, cujus est servus; & sicut peccat ille, qui usurpat sibi judicium de re sibi non commissa. Ad solum enim Deum pertinet judicium Mortis & Vitae.* Haec ille de interimente semetipsum, sed ratione, quae etiam militat contra subeuntes arbitratu suo necem ab aliis, immo & exponentes se sine justa caussa periculo evidenti necis. Donum enim grande sibi a Deo collatum custodire debent, neque illud sine injuria veri Domini, idest Dei, in manifestum discrimen, aut in mortem certam adducere possunt. Quippe contra Virtutem Justitiae peccant; peccant & in Virtutem Caritatis, qua quilibet se ipsum diligere debet. Quid enim differt ab interimente se suis manibus, eligens mortem ab alienis sine necessitate, sine legitima caussa? Quid, qui se ultro in flumen aut in incendium praecipitat, ab eo differt, qui ab alio praecipitari se vult & curat? Illud est se physice, ac immediate necare, hoc se necare moraliter & mediate. Quarto, quum tamen praeceptum custodiendae Vitae affirmativum sit, legitimae caussae occurrere possunt, cur interdum liceat non servare Vitam, immo & Mortem eligere ab aliis intentatam sit opus. Hasce leges doctrina Ecclesiae suppeditare debet. Sunt autem hujusmodi. Si agitur de cavendo *Malo Certo*, quod

in

in comparatione Mortis corporalis longe majus sit; tunc non solum licet; sed necesse est Vitae praesentis jacturam subire. Quare quum peccare in Deum, ejusque in nos iram provocare, sit omnium Malorum maximum: potius offerre caput securibus jubemur, quam Vitam servare, si servanda est cum aperta Dei offensione. Veniat impius mortem nobis comminando, nisi Catholicam Fidem, aut unum ex ejus articulis ejuremus, nisi Idolis sacrificemus, aut falsum testimonium dicamus, aut alia patremus, quae Lege Dei certa prohibentur: Minime obtemperandum est: fortiter Vita est danda. Mandat quippe Dominus, Matthaei vers. 28. ut nolimus *timere eos, qui occidunt Corpus, Animam autem non possunt occidere;* sed potius timeamus *eum, qui potest & Animam & Corpus perdere in gehennam.* Sunt etiam quaedam gravissimae & sanctissimae leges Ecclesiae, pro quibus servandis Vitae minime parcendum est: qualis est obligatio non revelandi Confessionem Sacramentalem, aliaeque Leges, pro quarum tutela gloriosam mortem oppetiere Sanctus Thomas Cantuariensis, Sanctus Joannes Nepomucenus, & alii. Constat enim, Ecclesiae mentem esse, ut harum gravissimarum legum custodia, quoties necessitas exigat, amori vitae nostrae anteponatur. Certissimae sunt nobis ac notissimae hujusmodi leges; etiam cum vitae periculo sunt observandae. Ad haec dantur Opera quaedam Virtutis, spectantia ad Religionem, aut ad Caritatem erga proximum, ad quae etsi divina aut Ecclesiastica lex Christianum minime obliget, certum tamen est e doctrina Ecclesiae, haec adeo placere Altissimo, ut liceat pro iis exponere sese periculo Mortis, immo ipsam mortem subire, aeternamque a Deo mercedem inde sperare; aut saltem ejus sunt generis Opera ista, ut ex consensu Theologorum mors aeterna prudenter eadem facientem nequaquam maneat. Exempli caussa eligere potius mortem ab impio inferendam, pro Virginitate amore Dei servanda; aut mortis discrimini sese exponere, Caritate impellente pro juvandis peste infectis, pro praedicanda Fide Christi inter Infideles, aliaque id genus. Universi autem conatus Parthenotimi eo collineant, ut ad hanc ipsam regulam deducatur *Votum Sanguinarium*, & sub ejus umbra defendatur. Is quidem fatetur, sententiam de Immunitate Mariana non esse de Fide, ac propterea neminem ad eam Sanguine propugnandam adigi: quum tamen *opus Virtutis, Pietatis, Caritatis, Honestatis* sit eam tueri, propterea contendit, licere in ejus defensione Vitam quoque impendere, atque ob egregium hoc facinus praemium esse sperandum in coelis. At quantopere haec Opinio a Veritate atque a Do-

ctrina

ctrina Ecclesiae abhorreat, an ostendere nunc possim, sensim Lectores, nullo partium studio corrupti, judicabunt.

Ad hoc enim ut Vita nostra objici periculis gravibus ultro ac licite possit, eoque magis, ut certae morti destinetur in casibus, in quibus neque ab ulla Divina, neque ab Ecclesiastica lege id facere jubemur: necesse est, ut legitima ratio id faciendum suadeat, & *Prudentiae* leges in re tanta exactissime observentur. Scilicet *Bonum*, quod effusione Sanguinis & Vitae quaerimus, futurum est *Bonum Certum* ac *Majus* ipsa nostra temporali Vita. *Prudentia* quippe Virtus est, quam ducem & comitem ceterae Virtutes habere debent, ejusque lumine cuncta sapientis Christiani opera regenda sunt. Hanc Prudentiam Deus ipse nobis praescribit, & Ecclesia summopere custodiendam jubet. Christo Domino praecipiente curandum est, ut simus *Prudentes sicut serpentes*; & Apostolus ad Roman. XVI. vers. 19. ait: *Volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo*. Et quid, quaeso, Consilia, Opera, Opinionesque hominum erunt, si sine Prudentia ineantur, quae ab Augustino definitur *appetendarum rerum & vitandarum scientia*, & Virtus, *qua dignoscimus inter Bonum & Malum*? Si ergo dat homo Vitam suam corporalem pro consequendo Bono Certo, simulque Praestantiore: tunc prudenter agit, legitimamque caussam habet incurrendae Mortis, quum Prudentis sit commutare, si velit, minus Bonum cum majori, dum utrumque sit certum. Contra ubi Vitae nostrae conservatio majus Bonum sit, quam alterum, quod quaerimus; aut Incertum sit ipsum Bonum, quod quaerimus; tunc Sapientiae ac Prudentiae legibus injurius est, ac se ipsum inconsulte laedit, immo aperte Deo displicet ac peccat, qui Certo Bono, hoc est Vitae, renuntiat, pro Incerto Bono; aut minus, inferiusve Bonum eligit, dimisso majori. Ad hosce Canones componere se debet cura Vitae nostrae, simulque Pietas, quae nisi legibus istis regatur, in vitium & ipsa degenerabit; atque evadet, uti supra innuimus, Pietas imprudens ac temeraria; interdum quoque a Superstitione ac Fanaticismo non aberit. Ad haec Prudentiae munus atque obligatio est, non tantum eligere Bonum Certum, atque comparatione Majus, sed etiam circumspicere circumstantias agendi, hoc est Tempus, Locum, modum &c. Fieri enim potest, ut ratione ejusmodi circumstantiarum Bonum illud aut desinat esse Certum, aut non retineat majoris pretii praerogativam, quae primo occurrerat. Utique Pium opus est Orationi insistere, atque in sacris Templis incruento Sacrificio devote interesse. Nemo neget, quin hoc sit Certum Bonum, & Majus quam secularibus nego-

negotiis operam dare. Verum ubi agatur de viro, qui labore manuum suarum alimenta filiis praestare debet; aut de femina, cui onus custodiendi parvulos filios, aut nubiles filias, incumbit; aut de Magistratu, cujus est Populo solicite ac indefinenter ministrare justitiam: si tempus immoderate in Templo sive in Oratione impendent, Pium erit quidem illorum Opus, sed simul imprudens, & culpabilis dicenda erit eorum Pietas. Ratione nimirum circumstantiarum Certum ac Majus Bonum, quost est ad illos, erit quaerere victum liberis, curamque habere diligentiorem familiae aut muneris sui, quam piis illis occupationibus tantum temporis dare. Illud, non istud, exigit ab iis Deus; ac propterea Pietatis nomine ii frustra methodum suam excusarent.

Congerit heic Parthenotimus exempla, quibus ostendat, non solum licere, sed laudabile esse mortem oppetere pro Virtute, pro Pietate, pro Honestate operis alicujus. Haec libenter accipimus, visuri nunc, an ex his subsidium rite possit peti ad dealbandum Sanguinarium Votum. Primum est Sancti *Joannis Baptistae, qui non Martyr est, quia fassus est, Herodem esse adulterum; nec pro certitudine adulterii mortem subiit; sed pro illius reprehensione, quae Virtus est. Et haec est illa Veritas, pro qua occisus est Joannes, ut loquitur Divus Gregorius*. Haec Theologus Siculus pag. 19. Utique Martyr Praecursor, utique pro reprehensione Herodis is vita exutus: ut nihil in ejus Martyrio desideratum sit Veritatis, Justitiae, atque Prudentiae. Circumstantias respice. Pro reprehensione occisus est; sed addendum pro reprehensioae criminis certi, & scandali certi inde manantis; & quod praecipue animadvertendum, pro reprehensione, quam uti Propheta, atque homo *missus a Deo*, facere potuit ac debuit. Iis quippe non secus ac Hieremias, destinatus a Deo, ut evelleret, destrueret, & disperderet, & aedificaret, atque plantaret. Proinde impellente Deo, suo muneri est functus, ac *pro lege Veritatis, pro aequitate, pro justitia* occisus, ut ait Sanctus Augustinus Enarrat. in Psalm. CXL. Nunc etiam si quisquam Episcoporum, quibus animarum cura divinitus commissa est, Regem adulterum aut homicidam redargueret (quod Sanctus Ambrosius ac alii fecere) si ob id interficeretur, gloriosa morte periret, dum tamen Prudentiae legibus satisfecisset, circumstantiis bene perspectis, propter quas reprehendendi obligatio cessare potest, aut ipse reprehensor imprudens videri. Contra, si quis privatus homo, nulla fultus auctoritate, Regem adulterii aut homicidii argueret, praecipueque si palam, atque in se iram illius propterea provocaret: nemo

sapiens illum laudaret, immo temeritatem ac zelum sine prudentia in illo quisque deprehenderet. Secundo, quoties Christianus mallet vitam dare, ut Virginitatem amore Dei servaret, ejusque custodiam Matrimonio, ne dicam fornicationi, anteponeret, laudabile opus Fortitudinis, Religionis, ac Prudentiae exerceret. Virginitatis amor ex amore Dei procedens, testante Apostolo, & concinente Ecclesia, praestantius Bonum est quam Nuptiae; & quidem Bonum Certum, ita ut pro illo conservando recte Vita impendatur. Tertio, inquit Parthenotimus pag. 63. *Carthusianus dum non pro Veritate, sed pro custodia veteris religiosae consuetudinis a carnibus abstinet, & mavult mori, quam carnibus vesci*, ex Theologorum consensu laudandus est, ac Numini placebit. Haec ille, sed nulla distinctione adhibita, & quasi nulla inter Theologos sit de hujusmodi casu disputatio. Nam ubi aegritudine vexetur Carthusianus, censeatque Medicus, eum moriturum, nisi carnibus vescatur, prudentissime religiosus vir faciet, si abstinere ab iis pergat, dummodo alii adsint cibi, quibus pasci possit. Falsum quippe est, homini mortem obventuram, nisi carnibus vescatur, quum tanta non sit virtus solis carnibus, ut aegrotantem a morte eximere possit, quando, ut suppono, ad vitam sustentandam alii cibi praeter carnes tunc non desint. Deinde statuendum prius est, sitne apud Carthusianos abstinentia a carnibus Votum ab Apostolica Sede probatum, an religiosa tantum Consuetudo; quae inspectio diversitatem sententiae secum feret. Verum sub alio aspectu casus hic est exhibendus.

Et praestat imprimis audire Thomam Tamburinum Siculum Soc. Jesu, ita scribentem Lib. VI. Explicat. Decalog. Cap. II. §. I. ubi Homicidium sui damnat. *Neque*, ait, *opponas*, *Carthusianos*, *vel in periculo mortis laudabiliter*, *sive ex Voto*, *sive ex pia Consuetudine a carnibus abstinentes. Ita Fagund. Lib. V. in Decalogum Cap. XI. num.* 19. *&* 20. *citans Sayrum*, *aliosque. Azor. part. II. Cap. III. quaest.* 13. *&* 14. *Ne hos*, *inquam*, *opponas. Nam pari modo affirmo cum Thoma Sanchez in Consil. Lib. V. Cap. I. Dub.* 34. (cui addi potest Filliucjus Tract. XXIX. Cap. V. in Decalogum) *eos debere in periculo mortis carnes comedere*, *si alius aptus cibus absit*, *ut si essent in deserto*, *ubi nonnisi carnes haberi ex venatione possint &c. Scio*, *Joannem Sanchez Dist.* 3. *num.* 7. *Gerson. Tract. de tempor. Carthus. Probabiliter sentire*, *etiamsi nulli alii sint cibi*, *atque adeo in necessitate extrema*, *posse*, *immo & teneri suum Votum* (*si tamen Votum est*, *ut sentit Lessius Lib. IV. Cap.* 3. *D.* 2. *n.* 12. *Nam si sit mera regula*, *ut putat Gerson. loco citato*, *& Thom. loc. cit. num.* 2. *certum est non tene-*

teneri) a carnibus abstinendo custodire: quia saepe licitum est ob justam caussam (ut esset heic ob conservandam religiosam disciplinam, publicumque bonum ac fervorem suae Religionis) non conservare vitam: quod non est occidere se (ajunt) directe vel indirecte. Verum prior sententia mihi magis placet. Adde & Cardinalis Bellarmini votum, qui Lib. II. Cap. XXXII. de Monachis haec habet. *Dices, si jejunii lex, aut Votum, corporis valetudini vehementer noceat, potest, ac debat non servari: cur igitur non idem dicatur de Voto Continentiae? Respondeo non esse eamdem rationem Jejunii & Continentiae: nam cibus ordinatur per se ad salutem individui; idcirco illo non uti, cum necesse est ad salutem conservandam, Vitium est, non Virtus, proinde nec Voti materia.* Et Lessius Lib. IV. Cap. III. Dubit. 2. testatur, *a multis Doctoribus censeri Invalidum & Illicitum vovere, se nullo eventu, etiamsi mors impenderet, carnes esurum.* Videat ergo Parthenotimus, an rem certam nobis propinet, dum licere putat Carthusiano, vel in casu certi & extremi periculi vitae, abstinere a carnibus. Quod plus est, Gersonius ipse, qui in calce Opusculi *De non esu carnium apud Carthusienseus* Tom. II. Oper. pag. 717. inclinare videtur in sententiam affirmativam, in Libello tamen Regular. Moral. Tom. III. pag. 94. diserte scribit. *Votum Carthusiense de non esu carnium; Votum insuper aliorum Religiosorum de multis observationibus duris, alias licitis; Votum denique particularium personarum de certis cibis non edendis in aeternum, in certis casibus necessitatis extremae, probabiliter, si Vota haec tenerentur, imminentis, DEBENT IMMUTARI. Non enim licet alium contra Dei Praeceptum occidere; quanto minus se ipsum? Secludimus tamen in omnibus scandalum pusillorum.* Immo Auctor idem in praelaudato ipso Opusculo *De non esu*, Conclusionem secundam ita efformat, ut licere neget Carthusiano in extrema cibi necessitate posito, a carnibus abstinere, si nihil aliud sibi offeratur ad vescendum, quam carnes. Quare in hanc ille sententiam concesserit, referre juvat, Lectoresque rogo, ut attente hoc animadvertant. *Si diceret aliquis* (ita is subdit) *quod potius eligere habebit mori fame; dicere eumdem oportebit ex consequenti, quod in se ipsum manus injiciet, & suimet erit occisor; juxta illud vulgatum Augustini: Pasce fame morientem, Si non pavisti, occidisti. Nec ad se minus, quam ad alios Praeceptum hoc extenditur. Praeterea Consuetudo aut Constitutio generalis Ecclesiae de non comedendo carnes in die Veneris, non obligaret ad sui observationem in casibus prioribus extremae necessitatis; immo nec excusaret aliquem ab homicidio, qui quum posset salvare vitam per*

D 2 *esum*

esum carnium, se, vel alium mori spontanee permitteret abstinendo: secludendo tamen semper casum grandis scandali in Fide, de quo dicetur postea. Porro de Votis idem est argumentum. Est autem fundamentum radicale praefatae rationis in hoc, quoniam a Lege Divina nulla Lex aut Obligatio pure humana potest absolvere, aut excipere, vel instituere, quod non observetur. Sed haec est Lex Divina, Non occides, Deuteron. XX. 13. *a qua Lege non legitur per aliquod aliud divinum Jus facta exceptio, ita ut pro observatione Constitutionis aut Consuetudinis pure humanae supervenientis, eam transgredi liceret, & se mori sinere fas esset.* Alia addit Gersonius, apud eum legenda, quae praetereo, quum haec satis sint ad infirmandam eorum Opinionem, qui contrarium sentiunt. Atque haec diligenter adnotanda, utpote magni ponderis ad controversiam dirimendam, quae inter Parthenotimum & me agitur. Eo in loco Gersonius objectionem sibi opponit, nec solvit; curabo ego pro viribus infra, ut ei faciam satis.

Quarto addit Parthenotimus pag. 81. *Captus a Barbaris Elphegus Cantuariae Episcopus noluit, appenso ingenti litro, vitam redimere. Caesus a Barbaris est. Hinc suborta dubitatio, an Elphegus Martyr esset. Martyrem non esse, contendit* Lanfrancus (Cantuariensis & ipse postea Archiepiscopus, & vir doctissimus.) *eo quidem nomine, quod immoderatum litrum negasset. E contrario Martyrem eam ob caussam esse, tuitus est Divus Anselmus, quia pro justitia Elphegus dicitur occubuisse: dum, ne latrones ditaret, suas deglubere noluit oves. Nec ullus comparuit Pritanius, qui Divi Anselmi Opinionem superstitionis accusaret.* Nullus sane prodiit, neque prodibit Pritanius, qui Sancto Elphego Martyrii gloriam neget, aut Sancti Anselmi justae sententiae adversetur. Sed prodibit quidem contra Parthenotimum, undique conradentem laudanda & sancta exempla, ut Opinionem suam minime laudandam incautis gratam efficiat. Accipe Eadmeri verba in Vita Sancti Anselmi Lib. I. Ajebat Beatus Lanfrancus, *ab inimicis Dei Paganis factam Elphego potestatem se redimendi; at immensam pro hanc ab eo pecuniam expetiisse, quam quia nullo pacto poterat habere, nisi homines suos eorum pecunia spoliaret, & nonnullos forsitan invisae mendicitati subjugaret, elegit vitam perdere, quam eam tali modo custodire.* Tum Anselmus *ita respondit. Palam est, quod is, qui ne leve quidem contra Deum peccatum admittat, mori non dubitat; multo maxime mori non dubitaret, priusquam aliquo gravi peccato Deum exacerbaret. Et revera gravius peccatum videtur esse, Christum negare, quam quemlibet terrenum Dominum, pro redemptione vitae suae, homines*

nes suos per ablationem pecuniae illorum ad modicum gravare. Sed hoc, quod minus est, Elphegus noluit facere: Multo igitur minus Christum negaret, si vesana manus eum ad hoc mortem intentando constringeret. Unde datur intelligi, miram pectus ejus justitiam possedisse, quando vitam suam maluit dare, quam spreta Caritate proximos suos scandalizare. Nec immerito, ut reor, inter Martyres computatur, qui pro tanta justitia mortem sponte sustinuisse veraciter praedicatur. Addit Eadmerus, *causam necis Beati Elfegi non illam solam, sed aliam fuisse ista antiquiorem. Nam non ideo tantum quia se pecunia redimere noluit, sed etiam, quia Paganis persecutoribus suis, Civitatem Cantuariam, & Ecclesiam Christi in ea sitam concremantibus, Civesque suos atroci morte necantibus, Christiana libertate obsistere, eosque a sua infidelitate convertere nisus est, ab eis captus, & crudeli exanimatione est occisus.* Et profecto haec potior caussa, immo germana, referendi inter veros Martyres Elphegi. Sed consistamus in unica Sancti Anselmi ratiocinatione. Supponit ac praemittit, Elphegum *Peccati* reum fuisse futurum, si redemtionem suam tam gravi suorum hominum incommodo procurasset; neque *Scandalum* absfuturum, si tam caro emisset sui corporis liberationem. Hoc autem etsi non tam grave Peccatum fuisset, quam Christum negare, Peccatum tamen esse non desiisset. Atqui Christianae Legis dogma est, mortem potius subeundam, quam *Peccato* vel levi in Deum consentire: Ergo recte inferebat Anselmus, Elphegum sancte elegisse mortem, & *pro tanta justitia* sanctissime vitam sibi eripi passum fuisse. Accedat nunc Parthenotimus, & quaeso dicat, num *Peccatum* sit non credere immunem ab omni macula Conceptionem Mariae? Exploratum est, inquiet, ut puto, inter Catholicos, nullum heic occurrere *Peccatum*. Immo si quisquam forte contenderet, locum heic esse Peccato, sciat se anathemate constrictum, quo Romani Pontifices percellunt quencumque affirmantem, *Haeresis aut Peccati* reos esse, qui Mariam credunt cum Labe Originali conceptam. Frustra igitur hujusmodi exemplo Sanguinarium Votum, nimium ab eo diversum, cohonestari posse confidit.

Quinto, Parthenotimus pag. 98. ait. *Velit nolit Lamindus, cum Theologis necesse est consentiat, quod extra Fidei aleam licitum sit sinere, se occidi, ni velit damnare Militem, qui ne a statione discedat, ab hostium manipulo perimatur. Ni velit christianum strenuumque pectus criminari, quod ut peste affectis inserviat, ipsa contagione necetur.* Infra addit. *Fidei perfusa lumine Christiana Theologia statuit, quod in carcerem, maxime justum, redeat, qui jurarit, se illuc rediturum,*

quan-

quanquam esset ibi occidendus. Quod est ad inservientes amore Dei pestilentia infectis, immo quod est ad quoscumque alios, qui eadem Caritate ducti, Proximo aut aegrotanti aut periclitanti opem ferunt, ut ei salutem Animae procurent, immo interdum & Corporis, uti in Nosocomiis accidit. Dogma Fidei est, eis in tam laudabili Christianae Caritatis exercitio morientibus ingens in Coelis paratum esse praemium. Rectissime quippe Minus Bonum, idest corporalis Vita nostra impenditur, ut Proximo nostro inde Certum ac Majus Bonum obveniat. Quo tamen in ministerio summe pio Prudentia quoque est adhibenda; scilicet tam generosis Christianis Caritate ferventibus, solicite & quantum fieri potest, custodienda est propria vita ac salus, tum ut Caritati, quam quisque habere debet erga se ipsum, satisfiat, tum etiam ut reliquis indigentibus idem subsidium conferri diutius possit. Ad Militem vero quod attinet, eligentem in excubiis sibi demandatis mori, non ille tantum, sed & ceteri milites in bello regulariter se licite exponunt certo vitae discrimini, immo quoties occasio se exhibet, sese exponere debent, sive ex pacto licite inito cum Principe legitimo, sive quia id exigit conservatio Reipublicae, quae Certum ac Praestantius Bonum est, quam Vita privati hominis. Exemplum vero carcerem repetentis, in quem se rediturum juramento pollicitus fuerat, etiamsi esset ibi occidendus, ad regulam supra notatam referendum est: nempe eligendam esse mortem, ne in Deum peccemus. Jusjurandum quippe juste interpositum fraudari sine injuria Dei in illo casu non potest. Publica fides praeterea humani commercii Certissimum Bonum est, immo ejus pretii, ut anteponenda sit illius conservatio conservationi Vitae. Quare non solum redire in carcerem tunc licet, sed opus est ei, qui rediturum se juravit; ipsumque redire, & mortem tolerare, si ita casus ferat, Virtutis opus est appellandum. Atque hactenus exempla a Parthenotimo adhibita, quibus honestari Votum Sanguinarium posse, ille sibi persuadebat. Verum quam inani successu, jam partim intelleximus, & partim infra intelligemus.

CA-

CAPUT IV.

Ut Vita prudenter detur, pro Bono Majori, & aeque Certo danda est. Exempla mortis imprudenter electae. Tenuitas pii operis consideranda, ne contra leges Prudentiae quisquam in mortem incurrat.



EGULAM posuimus, videlicet ad hoc ut Prudenter homo pretiosum Vitae corporalis depositum sibi eripiendum aliis offerat, cum laude apud homines, & merito apud Deum, aut saltem sine Peccato, duo concurrere debere. Alterum, ut Bonum, quod per mortem corporis appetimus, sive servatum volumus, sit *aeque Certum* atque ipsius Vitae nostrae conservatio. Alterum, ut sit *Majus ac Praestantius Bonum*, quam conservatio ejusdem Vitae. Si enim agitur de Bono duntaxat pari, cujusmodi foret, Vitam suam dare, ne alter propria privetur, tunc disputationes multae incurrere possunt, quas delibare nihil in praesentia refert. Ex hac autem Regula fluit consequenter altera: Videlicet, tunc Temere ac Imprudenter, idest sine laude ac merito, immo non sine Peccato, exponi Vitam nostram certae neci, quoties Bonum per eam expetitum, sive servandum, sit leve ac Minus, quam Bonum ipsius Vitae, aut non sit aeque Certum, atque est ejusdem Vitae conservatio. Tanti enim ex institutione Naturae, atque ex ipsius Dei praecepto, facienda est Vita nostra (ingens sane Bonum nobis a Deo commodatum) ut illam abjicere, nosque ultro mortem subire pro leviori ac Minori Bono, aut error non ferendus, aut crimen etiam sit. Idque in operibus ipsis *Pietatis* ac *Religionis* locum habet, in quorum consideratione constrictam nunc volo orationem meam. Nimirum opera dantur, quae certissime ad Pietatem spectant, & nihilominus ejus non sunt ponderis, ut fas sit, aut laudabile sit, Vitam potius exponere gladio, quam illa omittere, dummodo tamen contemtus Religionis, & grave Scandalum inde absit; Nulla dubitatio est, quin sancta sit Oratio Angelica, sive *Ave Maria*, & sancta precandi formula *Rosarium* sanctissimae Virginis; certissimum quoque est, piam & sanctam rem esse Orationis illius, atque Rosarii recitationem ex devotione factam. Finge tibi Tyrannum, aut furiosum quenquam, comminantem ense exerto mortem recitanti, ni cesset, & cessare nolen-

lentem interfici. Prudens ne existimabitur, qui sine ulla necessitate pium illud opus peragens, mortem potius elegerit, quam silere? Neutiquam sane. Exigebat Prudentia, ut ille ea occasione ab opere quanquam pio desisteret, quum in aliud tempus & locum differri posset pium illud opus; neque tanti sit ipsum, ut profusione Vitae, quam nobis Deus servandam mandavit, sit peragendum. Dixi, dum secludatur contemtus Religionis & grave Scandalum. Si enim constet, Tyrannum recitationem illam ideo vetare, quod impiam rem putet Orationem Angelicam, sive Rosarium; tunc non licebit solum, sed opus erit pati potius se trucidari, quam a pia illa recitatione desistere; nam in iis, quae ad doctrinam Fidei spectant, non datur parvitas materiae. At secluso ejusmodi contemptu, & ex alio fine interdicta recitatione illius Orationis, Prudenti homini desistendum tunc est, & Vita servanda; quum nihil detrimenti in Religionem, nihil Scandali in Populum inde sit obventurum, atque alia ratione commode possit eidem Devotionis operi satisfieri. Ita visitare sacras Aedes, uti ibi preces ad Deum fundantur, Pium opus procul dubio est. Si quis igitur statuat visitare Templum, & quanquam monitus latrones latere in itinere, qui sine misericordia certissime viatores spolient, ac trucident, obfirmato tamen animo proficisci velit, mortemque incurrat; Imprudens erit illius Pietas, ac temere is mortem subibit. Quod plus est, etiamsi Votum in ejusmodi piis non magni momenti operibus intercedat; tunc obligatio Voti cessat; ut si quis voverit invisere verno tempore Lauretanum Templum, & non fallax nuntius habeatur, infestari quotidie a Turcis, aut a saevis praedonibus viam, ita ut aut captivitas, aut mors certa proficiscenti juste sit formidanda: complendum minime tunc erit Votum, atque ad tempora pacatiora reservanda erit illius solutio, aut illius petenda commutatio. Quod si quis Votum conciperet peregrinationis sacrae, quanquam certo praenosset, se in certum libertatis aut vitae discrimen adducendum: Votum illud erit nullum, utpote Prudentia repugnante emissum. Ratio est, quam supra Gersonius attulit, nempe nullam obligationem pure humanam posse nos absolvere a Lege divina. Est autem divina Lex, nos Vitam nostram debere ab imminenti certoque periculo arcere; & tunc solum opus esse eam ultro dare, ne peccemus; aut licere eam dare, si commutanda sit cum Certo ac Majori Bono. Atqui visitare illam sacram Aedem non est opus pium tanti ponderis, ut sit captivitas aut mors eligenda, ne ab illo desistamus, quum Pietati nostrae erga Beatam Virginem in alia sacra Aede consuli prudenter tunc possit,

sit,

sit, aut ad meliora tempora differri pium illud opus. Quae hactenus dixi, auctoritate firmantur Martini Magistri in Tract. de Fortitud. Quaest. V. ubi & is agnoscit quaedam opera Virtutis ac Pietatis tam parvae necessitatis & utilitatis, ut non liceat secundum dictamen rationis pro iis se exponere morti, & ratio ipsa nos doceat, esse omittenda. Cardinalis autem Cajetanus in 2. 2. quaest. 124. art. V. idem fusius confirmat, scribens, *opera Bona ex suo genere tantum non esse universaliter opera Virtutis, nisi sint etiam Bona ex circumstantiis, quoniam bonum consurgit ex integra caussa. Immo si absque debitis circumstantiis fiant, Mala moraliter sunt, quoniam saltem sunt contra Prudentiam, quae forma est Virtutum Moralium &c.* Proinde & is statuit, non opus Virtutis tunc fieri, sed Peccatum, moriendo pro illo opere, quod e circumstantiis definit esse opus Virtutis.

Atque ad hanc ipsam regulam referendum puto, quod Gersonius idem sibi objiciebat, dum quaereret, an Carthusiano liceat eligere potius mortem, quam carnibus vesci in extrema necessitate cibi: *Quum etiam non vovens*, ait, *possit licite pati mortem pro conservatione Castitatis perpetuae, quamvis hoc pati nequaquam obligetur, vellem, ut nobis darent diversitatem rationis in Castitate & Sobrietate, quare non utrobique erit similis hujus divini Praecepti transgressio: Non occides.* Haec mihi ratio diversitatis creditur: nimirum esse quidem pium, & sanctum opus tam Virginitatis & Castitatis conservationem pro Dei amore, quam abstinere a carnibus intuitu ipsius Dei; non idem tamen esse pretium utriusque operis. Praestantissimum enim Bonum est, teste Apostolo, Conciliis, ac Patribus, Castitatem Deo dicare, unde uberes fructus spiritualis vitae emanare solent; at quanquam abstinentia a carnibus sit Bonum ac laudandum opus, longe tamen altero inferius est, neque in genere abstinentiae tanti est, ut cum Castitate perpetua sit aequiparandum. Idque patet ex ipsius Ecclesiae ritu; nam etsi illa praecipiat abstinere a carnibus Feria Sexta, & Sabbato, atque in Vigiliis, si tamen iis diebus Mortis periculum immineat homini, nullum alium cibum praeter carnem habenti, tunc ei non solum licet, sed opus est ab interitu Vitam suam eripere comedendo carnes. Aliter faciendo peccaret, si monitus in electione mortis pervicaciter persisteret. Contra semper laudabit Ecclesia quoscumque vitam ponentes pro Castitate Deo dicata, hoc est eximium illud spirituale Bonum praeferentes Vitae suae corporalis conservationi. Ad haec renuntiari Castitati non potest, nisi peccando, aut nubendo. Primum nullo pacto licet; alterum per usum debiti matrimonialis custodiam

Castitatis plenae perpetuo tollere potest; Castitatis inquam, omnem actum venereum propter amorem Dei aversantis. Verum etsi Carthusianus, in extrema necessitate positus, carnes comedat, ut mortem tunc evitet, poterit necessitate sublata reliquum vitae agere sancte ab iisdem carnibus abstinendo.

Exempla haec pauca, quibus alia id genus adjicere nullo negotio unusquisque possit, jam satis sunt ad agnoscendum, quam dubio ac fragili scuto Sanguinarium Votum Parthenotimus tuendum susceperit, dum inquit, licere, ac laudabile esse *pro Pietate mori*. Quod pium sit aliquod Opus, non continuo sequitur, prudenter aut licite pro illo Vitam posse impendi, & potissimum si alteram conditionem repetamus, Christiano homini necessariam, ut secundum Prudentiam, neque temere, aliis occidendum se praebeat. Nimirum necesse est, ut Bonum, pro quo subeunda mors est, non solum pretio superet Bonum Vitae nostrae, sed etiam sit aeque ac illud Certum. Si enim Incertum ac dubium Bonum sit, quocum commutanda est Vita, quis rogo non Imprudentem, aut Fanaticum, aut Dementem eum appellet, qui Bonum tam pretiosum & Certum, & cujus possessio manu tenetur, quale est Vita nostra, deponere sponte velit, ut Bonum consequatur, de quo dubitatio est, an existat, & fieri potest, ut nunquam existat? Ad haec Certissimum est divinum Praeceptum servandae, & non projiciendae Vitae nostrae, quum nos domini illius non simus sed Deus; ita ut in Deum peccet, qui sine certa & legitima caussa a Deo probata jacturam illius facere velit. Quomodo ergo non injustitiae, non temeritatis, ac imprudentiae arguendus erit, quicumque Mortem eligat pro re, quae Incertum est an placeat Deo, quum nullum Dei Praeceptum aut Consilium adsit de praeferendo objecto illo conservationi Vitae nostrae? Certum est divinum Praeceptum de non sacrificando Idolis, de non neganda Fide Christi, de non fornicando, uno verbo de non peccando. Certum est divinum Consilium de Castitate Deo dicanda, laudante Domino illos, qui se castraverunt propter Regnum coelorum, & praeferente Apostolo eandem conjugio. Certum Consilium, interdum & Praeceptum Caritatis de procuranda Vita spirituali Proximo nostro. In hisce casibus veri ac prudentis Christiani est Vitam impendere, si occasio id postulet, quia Certum quidem Vitae nostrae Bonum datur, sed datur pro altero Bono aeque Certo, ac insuper majori ac praestantiori, quam Vita nostra; aut evitatur Morte nostra Malum Certum, simulque longe majus, quale est Peccatum. Constat etiam, ita agentibus paratam esse in coelis in-

gen-

gentem a Deo remuneratore mercedem. Haec certa. Attamen plerumque in Prudentiam peccaret, qui palam praedicare Christi Fidem inter Turcas vellet. Cur quaeso? nisi quia esset incertum, an quidquam spiritualis fructus inde consequeretur, & contra esset certa illius mors, certoque discrimini exponerentur reliqui Fideles in Turcarum ditione degentes. Et quanquam norit unusquisque Fidelium, confiteri Christum coram hominibus, Vitamque dare pro ejus nomine esse gloriosum opus Amoris Dei & Fortitudinis, cui non deerit aeternum ac ingens a Deo praemium: attamen ne arbitrio quidem nostro dare Vitam pro Christo licet, sed tum solum quum certum est, Deum exposcere a nobis, aut gratum habiturum esse hujusmodi sacrificium. Olim minime laudati, immo improbati fuere Christiani, atque e Martyrum Diptychis nonnunquam exclusi, qui sponte, ac sine necessitate, sese Tyrannis necandos offerebant; & contra ii tantum commendati, qui mortem non improvide quaesitam, & quam evitare alia ratione non poterant, nisi peccando in Deum, forti, invictoque animo pro Deo tolerabant. Sunt in hanc rem Clementis Alexandrini, Origenis, Athanasii, Nazianzeni, aliorumque Patrum verba diserta.

CAPUT V.

Ad leges sanctissimas minime spectat effusio Sanguinis pro tuenda Immunitate Virginis. Neque ad tutelam Sanctitatis Marianae. Aliud Pietas Intrinseca, aliud Opinativa. Ad quamnam ex his referenda sententia Scotistica de Conceptione Virginis.



ACCEDAMUS nunc tandem ad Quaestionem, quae huic Opusculo caussam dedit. Censet Parthenotimus, non solum licere, sed laudabile esse, jugulum carnifici offerre pro tuenda Veritate sententiae, excludentis a Deipara maculam Originalis peccati; immo tanti pretii ac meriti futurum hoc opus, ut Martyris nomen negandum non sit pugili tam generoso. Contra sentio ego, non solum laude indignum, eoque magis Martyrii corona atque appellatione, sed ne licere quidem. Cum legibus hactenus propositis conferantur illius rationes. Hoc est perpendatur, num tutela sententiae Scotisticae sit Bonum Majus ac praestantius Vita nostra, ac insuper Bonum aeque Certum ac ea-

dem Vita. *Vel ipse Pritanius* (repeto Parthenotimi verba pag. 18.) *non negat pro legibus sanctissimis fundendum esse sanguinem. Numquid inter leges sanctissimas non est Virginem venerari? Virginem venerari ut sanctam?* Ita ille, ejusque paralogismum facile quisque sentiat. Nam ubinam quaeso sunt *sanctissimae leges*, Christiano Populo mandantes, ut credant Virginem sine labe fuisse conceptam? Conscius sibi est vel ipse Parthenotimus, nullam heic legem occurrere. Liberum est Catholicis e duabus Opinionibus contrariis illam amplecti, quam magis piam ac Veritati propiorem arbitrentur. At, inquit, *numquid inter leges sanctissimas non est Virginem venerari?* Procul dubio. Consequentiam nunc infer: Ergo credere ac tueri sententiam Scotisticam lex est Ecclesiae Catholicae. Quis non intelligat, quam claudo seu nullo pede argumentum procedat? Venerari Virginem lex profecto sanctissima est. At nulla lege jubentur Catholici eam quoque credere sine originali culpa conceptam. Nam & qui contra sentiunt, Virginem venerantur, & cultui erga illam debito nulla ex parte desunt. Ad haec: quando Parthenotimi ratiocinatio vim habitura heic esset, & lex universalis ab eo producta complecti deberet hunc etiam casum singularem venerandae Virginis, eam credendo in Conceptione immaculatam: nonne is videt, non sibi tantum, sed omnibus Catholicis eligendam esse mortem pro tuenda eadem sententia, ne venerationi erga Deiparam desit? At istud ab omni veritate alienum est, neque id Parthenotimus ipse diffitetur. Ergo prima ejus ratio extra officinam rectae raticinationis fabricata est.

Addit ille eadem pagina 18. *Non Martyr esset pie vovens, quia assentitur Immaculatae Beatae Virginis Conceptioni, nec pro ejusdem directa Certitudine, quae nondum est de Fide, mortem oppeteret, sed pro defensione Sanctitatis Marianae, quae Virtutem Religionis sapit: & haec est illa Veritas, pro qua moreretur.* Alterum paralogismum habemus. En ejus argumentatio. Defendere Sanctitatem Mariae spectat sine dubitatione ad Virtutem Religionis; & qui Sanctitatem Mariae suo sanguine testatur, recte facit, & Martyr certissime fuerit. Atqui tueri suo Sanguine sententiam faventem Immunitati Marianae, idem est ac tueri Sanctitatem Mariae. Ergo hanc sententiam suo Sanguine propugnans, recte facit, atque inter Martyres numerabitur. Haec, puto, Theologi Siculi mens & argumentatio, neque alia esse potest. Et sane si syllogismus veritate nititur, longe Majus Bonum est propugnare Sanctitatem Virginis, quam parcere Vitae nostrae. Verum falsitate omnino laborat Minor. Ecquando enim Catholica Ecclesia

sen-

ſenſit, pendere Sanctitatem Mariae ex illius exemptione ab Originali peccato? Sancta & Sanctiſſima ſemper fuit, eſt, & erit ſupra omnes mulieres, ſupra omnes Sanctos, & Angelos, Beatiſſima parens Salvatoris noſtri, ſive fuerit, ſive non fuerit concepta ſine originali peccato. Tot quoque in coelis cum Chriſto regnantes ut Sanctos colimus, quorum Sanctitati nihil detraxit, aut detrahit, incurriſſe culpam primi parentis. Neque ſine temeritate dices, derogari Sanctitati Virginis ab iis, qui contrariae ſententiae de illius Conceptione adhaerent. Nam & iſti nemini concedunt in fovenda ac promovenda veneratione erga Reginam Sanctorum; eoſque non Apoſtolica tantum Sedes, & Eccleſia univerſa ut pios & orthodoxos Catholicos habet, amat, atque honorat: ſecus actura, ſi Mariae Sanctitati contraria illa opinione aliquà ex parte officeretur. Accedit, quod ſi Deiparae Sanctitas cum Scotiſtica ſententia connexa reapſe foret, uti opinari videtur Theologus noſter, inde rurſus conſequeretur, non Parthenotimo tantum, ſed & Catholicis omnibus dandam eſſe Vitam pro tuenda eadem ſententia Scotiſtica, quippe jubemur cuncti Sanctitatem praecelſae Genitricis Dei capite etiam noſtro tueri. Quis autem hoc unquam ſomniavit? Sophiſmate igitur laborat altera haec etiam argumentatio Siculi Scriptoris; immò ſi intime expendatur, in gravem injuriam vergit Apoſtolicae Sedis, perinde quaſi non ſatis ei curae ſit de Virginis honore, ejuſque Sanctitatem minui, aut laedi ſinat a tot Catholicis, qui Thomiſticam ſententiam Scotiſticae praeferunt in ejuſmodi Quaeſtione. Plura non addo; infra enim haec eadem conſideratio recurret.

Tertio Parthenotimus idem pag. 18. nobis edicit, mortem oppetere pro tutela ſententiae a ſe propugnatae, non aliud eſſe, quam *mori pro Pietate, quae certo ineſt actui Opinativo, ut ſe morituros ſpondent pie voventes pro* Immaculata Conceptione. Verum & heic latet ingens aequivocatio, quam neceſſaria diſtinctio prodet! Non enim idem eſt *Pietas*, quae ineſt Dogmati Fidei, & actui Intellectus, credentis illud certum de Fide; ac *Pietas*, quae ineſt objecto tantum Probabili & actui Opinativo de re illa probabili. Prima eſt *Pietas intrinſeca*, abſoluta, & quae connexa ita eſt cum objecto, ut iſtud nunquam poſſit eſſe non Pium, & actus credentis non Pius. Altera vero *Pietas Opinativa* eſt, & quodammodo conditionata, ſive *extrinſeca*, & quae cum objecto ita conjungitur, ut ſeparari ac tolli etiam poſſit. Vim enim ſuam ſive firmam, ſive infirmam recipit praedicatum *Pietatis a Veritate*, quae aut certa, aut incerta ineſt rebus ſacris ſive motivis affirmandi ſive negandi aliquid de iis rebus. Nunquam non

Pium

Pium erit credere, Mariam fuisse semper Virginem, Mariam fuisse Matrem Dei, quia id *Verum* semper fuit, neque *Falsum* unquam id esse potest. At quae in Opinione adhuc versantur, saepe quidem *Pia* credere possumus, & vere Pia sunt non ratione certae ac stabilis Veritatis, sed unius tantum Probabilitatis, quae sane potest Veritatem complecti, exemta tamen non est a formidine Falsitatis. Postremi hujus generis est sententia de Immaculata Virginis Conceptione, quae certe *Pia* est, sed conclusa intra limites Probabilitatis, hoc est innixa motivis Veritatis probabilibus, non ita consequenter firmis ac evidentibus, ut omnis formido absit, ne aliquando possit apparere non Vera, atque adeo non Pia. Quod accideret, si forte Apostolica Sedes, quae judicium de hac re hactenus suspendit, sibique reservavit, contrariam sententiam cum divinis Scripturis ac Traditione concordi Patrum aliquando consentientem inveniens, eam inter Dogmata Fidei referret. Proinde recte quidem *Piam* appellamus Scotisticam de Conceptione sententiam; minime tamen *Pietas* haec aequiparanda est *Pietati*, quae inhaeret objectis ad Fidem spectantibus, atque intrinseca Veritate nixis; & praesertim quum nemo Fidelium vetetur *Piam* quoque credere oppositam sententiam, immo diserte sub anathematis poena illam prohibeamur appellare *Impiam* sive *Haereticam*. Adde, nos animadvertisse, dari *Opera* quaedam Intrinsece etiam & non Opinative *Pia*, non tanti tamen momenti, ut pro iis faciendis morti Vitam nostram exponere liceat. Quanto ergo minus licebit pro *Pietate Opinativa*?

Nam Pietas ista opinione innixa, Probabilibus quidem fulcitur motivis, & sufficientibus, ut Pium nos facere opus credamus, ei sententiae adhaerendo. At neutiquam immutabili Certitudine constat, quum Certum non sit objectum, in quod illa fertur. Proinde non arbitretur Parthenotimus, se per hanc rimam evadere posse; hoc est non putet, sub specioso nomine *moriendi* pro *Pietate*, Sanguinarium a se posse Votum honestari. Ita moriens, adhuc pro Opinione quidem Pia, sed semper pro Opinione Vitam profunderet. Interea animadvertant velim Parthenotimi clientes, jam confessum fuisse illorum Magistrum, non licere Sanguine asserere sententiam Scotisticam *tanquam Veram & Certam*: Nam & ipse agnoscit, nondum illam excessisse e finibus humanarum Opinionum, atque errori propterea obnoxiam esse posse, quando consentit, haberi de ea posse *actum* duntaxat *Opinativum*. Animadvertant etiam, quo effugio ille declinandam curaverit sui Voti censuram, contendendo videlicet, voveri Sanguinem non *pro Veri-*

tate

tate ac Certitudine ipsius Sententiae, sed *pro Pietate*, *quae inest Actui Opinativo*: quod tamen discipuli ejus ignotum plane sibi fatebuntur, ut puto, quum formulae voventium rotundis verbis exprimant tutelam non *Pietatis*, sed *Veritatis*, quae inesse certo creditur eidem sententiae. Haec signa labantis caussae quis neget? Et praecipue quum ipsa Pietas hujus sententiae *Opinativa* sit, neque ejus vigoris, ut pro ea tuenda fas sit commutare Bonum Certissimum humanae Vitae. Quod stuporem augeat, verba tantum dare Theologus noster videtur, quandoquidem veluti oblitus *actus* sui *Opinativi*, alibi contendit, nobis persuasum esse posse, Scotisticam sententiam Certam esse, idque a Voti Sanguinarii sectatoribus necesse esse ut credatur, si mortem sine Peccato, offerente se occasione, tolerare velint. Accedit, quod ipse ex aliorum opinione alio in loco insinuat, posse etiam *divina Fide* credi Certam ejusmodi sententiam. Quare duas ego Conclusiones hanc in rem praemittendas censui.

CAPUT VI.

Minime immunis a crimine, qui vitam daret pro tuenda sententia Scotistica, ac si Fidei Dogma foret. Castrensis & Vasquii in hanc rem auctoritas. Temere quoque agat, qui pro ejus tutela, quando nihil aliud sit nisi Opinio, in mortem incurrere velit.

PRIMO igitur statuo: *Temere quoque acturum, & graviter peccaturum, qui Mortem vellet subire pro tuenda sententia de Immunitate Mariana, ac si ea esset Fidei Dogma.* Non heic multum immorabor; nam vel me tacente quisquis Christianae eruditionis rudimenta hausit, probe etiam novit nunquam spectasse, neque spectare ad Dogmata Fide supranaturali credenda sententiam eandem. Proinde fallaci motivo, fallaci persuasione ductus, imprudenter vitam proiiceret, qui eam ob caussam sive fiduciam ultro in agone periret. Nostrum non est, Articulos Fidei, & Dogmata Ecclesiae procudere; sed quidem id munus est Ecclesiae, quae falli non potest. Et quoniam nemo ignorare potest, aut debet, in censum Dogmatum Fidei sententiam hanc post tantas ac tot disputationes nunquam fuisse invectam, intolerandae propterea temeritatis ac superbiae, & consequenter Peccati reus esset, qui eam per-

pervicaciter esse vellet, qualis non est, suumque judicium praeferret Prudentiae ac Scientiae summorum Pontificum & Ecclesiae. Graviori etiam censura tantam audaciam perculerunt celebres duo inter Theologos viri, atque ambo nihilominus Scotisticae sententiae propugnatores. Horum verba referre non inutile erit ad praesentem quaestionem; eaque ipsis Auctorum verbis accipere Lectorem non taedebit. Primus est Alphonsus de Castro Ordinis Minorum, qui anno 1547. suum Librum *de justa punitione Haereticorum* scripsit, & Carolo V. Imperatori dicavit. Quaerit ille Lib. I. Cap. VIII. *An ille sit dicendus Haereticus, qui alicujus hominis Opinionem tam firmiter tenet & docet, ac si esset Articulus Fidei; & ita pro illius Opinionis defensione est Mori paratus, sicut faceret pro illis, quae ad Fidem pertinere noscuntur.* En quae sit illius sententia. *Ego quidem non dubitarem, talem dicere Haereticum, propterea quod ille talis errat in Fide, & Pertinaciter. Omnis autem, qui post susceptum Baptismum Pertinaciter circa Fidem errat, concordi omnium recte sapientium sententia censetur Haereticus. At, quod iste talis erret in Fide, quia forte aliquis dubitabit, dubitationis caussam tollam testimonio Augustini, qui Errorem definiens in Enchiridio ad Laurentium Cap. XVII. sic ait: „ Nihil aliud est errare, quam Verum putare, quod Falsum est; Falsumque quod Verum est: vel Certum habere pro Incerto, Incertumque pro Certo, sive Falsum sit, sive Verum. " Haec ille. Iste, qui alicujus Opinionem putat esse Catholicam Fidem, & tam firmo animo illam Opinionem ac Fidem Catholicam tuetur, Incerta tenet pro Certis. Ergo juxta Augustini sententiam errat. Praeterea iste sic sentiens, eo ipso Ecclesiae Catholicae contumeliam facit, & illam in Fide errare putat; quia illa, quae juxta istius sententiam sunt Certissima, Ecclesia tenet pro Incertis. Errat ergo judicio istius Ecclesia: quia, ut Augustinus dixit, errare est, Certum habere pro Incerto. Haec autem de Ecclesia, quae divino semper illustratur spiritu, quisquis putaverit, Haereticus ab omnibus Catholicis censebitur: Merito igitur ille dicetur Haereticus, qui alicujus hominis Opinionem tam obstinato animo, ac Fidem Catholicam tuetur.* Ita de Castro. At si quis forte minus intelligat, quid sit *Opinio hominis*, dubitetque, an veniat sub ejusmodi appellatione comprehendenda Opinio de Immaculata Virginis Conceptione, rursus idem Theologus loquatur. Is enim veluti futurorum praescius, homines nondum natos praesensisse videtur, qui pro eadem Opinione Sanguinem se daturos voverent, eosque propterea his aliis verbis, seu telis, mature deterruit. *Ut autem* (ita ille) *clarius ostendamus exemplo, ali-*

quod

quod ob oculos proponere decrevi. Ecclesia nihil de Conceptione Deiparae Virginis hactenus definivit, an fuerit cum Peccato Originali, aut sine illo, concepta; sed libere cuique dimittit, ut, quam voluerit de hac re, teneat Opinionem. Sic enim definivit Sixtus Pontifex hujus nominis Quartus in Extravaganti, quae incipit Grave nimis*: quam Decretalem Extravagantem Concilium Tridentinum Sess. IV. confirmavit. Si quis stante hac Ecclesiae definitione, alterutram Opinionem tam firmo animo tueretur, ut illam putaret esse Fidem Catholicam, & admonitus de hac re, in eadem nihilominus sententia tam pertinaciter perseveret, ut pro illa sit Mortem Subire Paratus: hic talis ABSQUE ULLA DUBITATIONE erit censendus HAERETICUS: quia Ecclesiae definitioni sic parere refugit, ut illam errare pertinaciter credat, quum ea, quae istius judicio sunt Certa, illa* (ideſt Ecclesia) *pro Incertis teneat &c.*

Commentario meo non indigent tam perſpicua Alphonſi de Castro verba. Iis adtexo nunc & quae hanc in rem ſcripſit graviſſimus alter Theologus e Societate Jeſu, quem indicaſſe, laudaſſe eſt. Nimirum Gabriel Vaſquex in 3. p. S. Thomae Quaeſt. 27. Artic. 2. Diſput. 117. Cap. 14. eandem Castrii ſententiam ſub compendio ſibi proponit, poſt pertractatam ſumma cum moderatione Quaeſtionem de Virginis Conceptione, atque in haec verba loquitur: *Mihi MAXIME probatur sententia Alphonsi. Quis enim neget, eum errare contra Fidem Manifeste, qui affirmat, a Deo esse Revelatum, & divina Fide credendum, quod judicat Ecclesia, nondum sufficienter declaratum esse, ut tanquam Revelatum ad Fidem Catholicam pertinere possit? Certe Ecclesia non definivit in praesenti Controversia,* (ideſt de Conceptione Deiparae) *Revelatum esse a Deo, aut de Fide esse, quod neutra pars sit a Deo ullo modo Revelata, aut quod utraque Incerta sit, neque divinae Revelationi subesse possit, ut aliquando definiri queat. Sed judicavit, nondum esse sufficienter declaratum per Ecclesiam, ut tanquam Dogma Fidei a Deo vere Revelatum a Fidelibus credatur. Ad Ecclesiam autem, tanquam ad infallibilem Regulam Veritatis pertinet, unum ab altero secernere, hoc est credendum divina Fide, an non credendum divina Fide. Ac proinde qui dicit, aliquid esse credendum divina Fide, quod Ecclesia definit nondum esse credendum hac Fide, contra Regulam Veritatis & Fidei nostrae opinatur; ac proinde si scienter ita opinetur, HAERETICUS EST. Quum autem Ecclesia definit, nondum satis explicatum esse aliquid, ut credatur divina Fide, Revelationem habet a Deo. Nam Deus per Ecclesiam utroque modo no-*

bis revelat Veritatem, nempe id, quod sufficienter declaratum est, & definitum, ut credatur, & id, quod nondum sufficienter declaratum, & definitum est, ut tanquam Dogma Fidei a Fidelibus habeatur: sed libere de illo opinari licet. Castrensis, & Vasquii sententiam probat etiam contra Suarium Theophilus Raynaudus in Diptychis Marianis.

Consisto heic, & e vestigio fateor, non semel Parthenotimum protestatum fuisse, sibi loco Dogmatis divina Fide credendi non esse sententiam, propugnatricem Immaculatae Conceptionis. Is etiam negat, Votum Sanguinarium ideo conceptum, quod ejusmodi sententia Certa de Fide a voventibus credatur. Mihi contra non videtur, & ne aliis quidem videbitur, esse haec mens ejusmodi Votum concipientibus. Ut infra patebit, non aliunde originem traxit hoc Votum, nisi e quorumdam Theologorum Hispanorum persuasione, quibus Scotistica sententia ad tantam Certitudinem visa est deducta, ut laudandus foret, immo *Martyr* esset dicendus, qui pro ejus Veritate mortem obiret. Nam & Granadus, & alii scripsere, posse Christianum divina Fide credere, sine labe Virginem fuisse conceptam, quoties sibi persuadeat, id fuisse a Deo revelatum. Et nostris temporibus Viva in Trut. Theol. ad Proposit. XXI. damnatam ab Innocentio XI. haec ait: *Equidem censeo, posse Immaculatam Virginis Conceptionem Fide divina credi ab eo, cui moraliter constat, eam esse implicite in Scriptura revelatam.* Quippe, ut idem scribit, *haec probabilissime, immo etiam cum morali Certitudine ex Scripturis eruitur, & est proxime definibilis a Pontifice, praesertim post decretum Alexandri VII. decernentis, cultum Conceptioni Virginis exhiberi ab Ecclesia secundum piam sententiam, quam fere omnes Catholici amplectuntur.* Arripe hanc praemissam: tum ei alteram adjunge e Cardenas in Crisi Theol. Tract. I. Disput. 9. num. 265. *Post Bullam Alexandri VII. quotquot de Conceptione scripserunt (praeter Caramuelem, & Murciam) affirmarunt, Sententiam piam esse in statu Certitudinis, non Fidei* (scilicet manantis ex Dei revelatione, quae sit ab Ecclesia Fidelibus proposita) *sed Moralis, Physicae, & Metaphysicae.* Ergo secundum ista principia inferre quisque poterit: Quicunque firmam Certitudinem de ea sententia habent (ii autem praecipui sunt, qui Votum Sanguinarium edunt pro ejus tutela) possunt credere, atque ut ego opinor, revera credunt Fide divina Virginem sine labe fuisse conceptam. Quod si ita est, videant illi, quei se subducere possint censurae Castrii, Vasquii, & Raynaudi. Neque enim ad eam enervandam prodest afferre Constitutionem Alexandri VII. quum luce meridiana clarius sit, eum mi-

nime

nime retulisse inter Fidei Dogmata sententiam Scotisticam, atque injurios esse Pontifici illi, quando contradictionem in ejus Bullam invehere videntur, quasi is controversiam hanc dirimendam Sanctae Sedi reservarit, & nihilominus eam diremerit, favendo iis, qui sententiam Scotisticam tenent, & secundum illam celebrant Festum Conceptionis. Quoniam vero Parthenotimus agnoscit, non esse hanc sententiam ex iis, quae ad Fidei Dogmata pertinent, ac tacite etiam improbare illos videtur, qui morti sese offerrent pro sententia hujusmodi, contendendo eam esse de Fide; progrediamur.

Dico ergo secundo: *Temere itidem acturum, & peccaturum, qui Vitam suam impendere vellet pro defendenda eadem sententia, quando eam putet, minime Certam esse, neque spectare ad Fidei doctrinam.* Et ratio est, quia sententia Scotistica, etiam post Alexandri VII. Constitutionem, nondum supergressa est limites humanarum Opinionum; ac propterea ita Certa esse non potest, ut excludat omnem formidinem Erroris. Contra Certum de Fide est Praeceptum servandae Vitae nostrae, & de hoc nemo dubitat. Quum vero Certum quoque sit, & extra controversiam positum, Imprudentiae, Temeritatis, & Peccati Reum fore, qui pro Incerto Bono Certum commutet: necessario consequitur, Temere atque Illicite mortem eligi pro tutela ejusdem sententiae. Rursus, ex quo aliquid intra limites humanarum Opinionum concluditur, nunquam potest esse ejus pretii atque momenti, ut aequet pretium tanti faciendum Vitae nostrae. Ex quo enim subesse potest Error Opinioni illi, quantamcunque speciem majestatis ac pulchritudinis objectum gerat, Minus semper erit Bonum istud (quandoquidem Certi nondum simus, aut. esse interim nequimus, quin possit esse Falsum) prae Bono Certissimo, ac summe pretioso Vitae nostrae, cujus curam novimus solicite commendatam, immo sub poena gravis Peccati mandatam nobis a Deo fuisse. Supra vidimus, frustra memorari a Parthenotimo exempla quaedam laudatissima eligentium mortem, quamvis directe in iis de abjurandis Fidei Dogmatis non agatur. Illa nempe tunc jure laudata, quando pro aeque Certo, simulque Majori Bono, Vita datur: quod in casu nostro nequaquam accidit. Atque heic Parthenotimus capitis sibi cari Conclusionem me addere sinat. Is est nuper mihi laudatus Theophilus Raynaudus e Societate Jesu, doctissimus & celebris Scriptor, quem fortassis ego pluris quam Parthenotimus ipse, facio. Itaque ille in Tractat. de Martyrio per Pestem, Part. II. Cap. 2. num. 18. quaerens, quid dicendum sit de oppetente mortem *pro motivo non aperte*

idoneo, *aut dubio*, haec edicit. *Statuendum est*, *Vitam* TEMERE, *nec absque* SCELERE, *atque adeo sine Martyrii fructibus abjiciendam pro assertione alicujus Propositionis*, *cujus Veritas non sit in Ecclesia prorsus rata*, *ita ut non sit exploratum*, *quod ejus assensus a FIDE edicatur*. Quum ergo exploratum sit, ipso Parthenotimo fatente, non edici a Fide assensum sententiae de Immunitate Virginis; certumque sit, ejus Propositionis Veritatem in Ecclesia Dei ratam non esse, hoc est *Firmam* & *Certam*: quid aliud restat, nisi Temeritatis & Sceleris reum esse, qui pro ejusmodi sententia tutanda Sanguinem & vitam fundere velit? Neque pluribus fortasse heic opus, quum in eandem ferme Conclusionem universalem conveniat vel ipse Parthenotimus, scribens pag. 15. *Nullus Theologorum est*, *quod ego sciam*, *qui asserat*, *posse quempiam honeste* (hoc est licite) *mori ob caussam Immaculatae Conceptionis*, *si haec tantum sit Opinio*, & *pro mera ipsa Opinione Sanguinem profundere quis velit*. Idem ab eo infra pag. 18. repetitum videas, & quidem non sine animi commotione. *Quis*, ait, *unquam somniavit*, *pro incerta Opinione fas esse jugulum offerre carnifici?* Immo addit haec praesertim nobis adnotanda: *At mori pro Pietate*, *quae certo inest Actui Opinativo*, *ut se morituros spondent pie voventes* (Sanguinem pro Immaculata Conceptione) & *Majores nostri docuere*, & *Posteri nostri*, *dummodo dociles*, *discent*. Quibus verbis diserte fatetur, eos, qui Voto Sanguinario sese obstringunt, minime vitam dare velle pro *Actu Opinativo* de Immunitate Virginis, quem ne ipse quidem praestare potest nixum fundamento Certo, & in Ecclesia rato; sed quidem *pro Pietate quae certo inest Actui Opinativo*. Lectores rogo, ut confessionem hanc Parthenotimi e mente sua, suisque ex oculis elabi non sinant. Jam enim multum itineris progressi sumus, quando Theologus noster fassus est, non licere mori *pro Opinione*, neque revera suos Voventes *pro Actu Opinativo de Conceptione* Immaculata morti sese tradere.



CA-

CAPUT VII.

Quae vera & germana Pietas sit. Pium est propugnare sententiam, quae statuit expertem maculae Deiparam. Impium pro ea sententia occumbere velle. Opiniones piae laudandae, laudanda earum tutela. Sed minime pro illis Sanguine suo pugnare. Persuasio Veritatis neutiquam idonea ad honestandum Votum Sanguinarium. Neque Probabilitas.

SED quia sacrum nomen *Pietatis* exeruit Parthenotimus, ac sub ejus umbra confidit, ut vidimus, Sanguinarium suum Votum a censura se posse vindicare, jam res poscit, ut dilucidius explicem, quid hoc nomine significetur, ne fucum nobis faciant speciosae quaedam voces, quarum non bene perspecta significatio lites parit, & bene perspecta dirimit. *Pietas* ergo, quae apud Graecos εὐσέβεια, *verum cultum* significat, atque a Sancto Augustino in Epistola CLV. olim LII. dicitur *verus Dei cultus*. Quidquid igitur pertinet ad verum Dei cultum, qui etiam complectitur honorem debitum Deiparae, ceterisque Sanctis, & rebus sacris, *Pium* recte appellatur. *Pietas* autem, uti Virtus, seu uti donum Dei, *est habitualis dispositio animae, qua prompte mobilis est a Spiritu Sancto ad habendum filialem affectum ad Deum, ut ad patrem, eumque colendum, & amandum, ea ratione, qua ipse vult a nobis coli & amari*. Additamentum feci verbis Angelici Doctoris 2. 2. Quaest. 121. Artic. 1. Pietatem definientis, utpote nobis nunc necessarium. Sed sollicite animadvertendum est, non tantummodo *Pium* dici, quidquid certo per Fidem credimus, sed etiam, quod probe & prudenter verisimilibus rationibus ducti opinamur placere Deo, sive sententiis, sive actionibus nostris. *Pietatis* etiam nomine intelligere possumus obsequium & affectum nostrum erga Deiparam, cujus *Veneratio* & *Cultus* revera ad ipsum Deum refertur, & inter munera Christianae Religionis enumeratur, quum in sanctissima illa & benedicta supra omnes mulieres, dona Dei effusiora, quam in reliquos Sanctos, venerari nos jubeat Ecclesia, aut gratum habeat. Quum vero, ut supra monui, Parthenotimus praesenserit, temere Bonum Certum vitae nostrae profundi, nisi hoc demus pro consequendo aeque Certo ac Majori Bono;

no; & rursus animadverterit, ejusmodi Certitudinem desiderari posse in Veritate Sententiae Scotiticae: eo tandem se recepit, ut diceret, *Pietatem* esse illud Bonum Certum, pro quo Voti Sanguinarii fautores putant licere sibi Vitam commutare. Quis enim neget, quin *Pia* sit Scoti sententia, quando *Piam* Alexander VII. ut alios omittam, eam appellavit? Ad haec venerari Virginem, ejusque privilegia & gloriam depraedicare atque tueri, *Pietatis* opus est, illudque *Certum*. Ergo pro isto Certo Bono prudenter & cum laude jugulum Tyranno offeratur. *Certe*, inquit ille pag. 59. *facinus est Opiniones aequare Veritatibus Fidei. At Vovens, non pro Opinione, sed pro Deiparae Cultu moreretur*. Et pag. 58. *Etiam Religio Virtus est: ad Religionem, aut ad Virtutem huic affinem* (idest ad Pietatem) *pertinet Virginis Cultus*. Et pag. 19. *Virtutis opus est, Virginem ut a labe immunem venerari, quia Pium est, ipso fatente Pritanio*. Ita ille, unicam denique rationem statuens honestandi Voti Sanguinarii in speciosissimo nomine *Religionis*, *Pietatis*, *Cultus Deiparae*. Neque dubito, quin primo aspectu ejusmodi rationem complures acceperint, ut aureum, legitimumque numisma. Sed quid, si & hoc adulterinum, falsumque, ad lydium lapidem Logicae verae, ac verae Theologiae agnoscamus?

Et sane ad hoc ut hominum sententiae ac opera sint actus verae ac germanae Pietatis atque Virtutis, debent, uti praefatus sum, versari in *Cultu vero* veri Dei, ejusque Sanctorum; hoc est exhibere Deo, ac Beatis civibus caeli Cultum illum atque honorem, qui a Deo ipso per Ecclesiam probetur, eique placeat. Si enim Deo aut, Coelitibus, alium honorem, cultumque exhibemus, qui a Deo diserte, sive ab Ecclesia improbetur: non amplius vera, sed spuria est nostra Pietas; neque Virtus, sed Vitium, & quandoque Peccatum & Impietas in Opinionibus, Operibusque nostris deprehendetur. Notissimum est facinus Collyridianorum, qui Mariae sacrificium offerebant. Nempe, ut scribit Sanctus Epiphanius Haeresi LIX. sive LXXIX. *mulieres quaedam currum sive sellam quadratam adorantes, ac linteo desuper extento, sollenni tempore per aliquot dies panem proponunt, & in Mariae nomen offerunt. Tum ad unam omnes illo vescuntur*. Liquido non constat, in quo situm foret muliercularum illarum delirium; attamen quum ex hujusmodi actione aut constaret, aut probe inferretur, illas uti Deum habere, ac adorare Mariam: propterea Epiphanius in eas invehitur, earumque stolidam aut impiam oblationem exsecratur, in haec tandem verba desinens: *Maria in honore sit; Dominus adoretur*. Pium opus se peragere, ut puto, arbitrabantur mulieres illae: at quia

opus

opus illud a Deo minime probabatur, etsi affectus bonus fortassis erat, actio tamen non Pia, sed Impia evadebat. Quare omnes intelligunt, Parthenotimum nihil pro sua caussa agere, quum licere ait, ac laude dignum esse, mortem oppetere pro tuenda sententia Scotistica de Conceptione Virginis, quia illud est mori pro *Pietate* pro *Cultu*, *pro Veneratione* Deiparae. Adhuc enim inquirendum atque ostendendum restat, num pro illa sententia mori sit verus Cultus ac Veneratio Mariae, hoc est, an Opus sit a Deo per Ecclesiam probatum, ac Deo gratum. Heic rhodus, heic saltus. Certissimum quippe est, spectare ad Religionem Catholicam Cultum Beatissimae Matris Dei; at minime Certum est, quaecunque homines sentiunt, aut agunt pro illius Cultu ac honore, placere Deo, ac Virgini ipsi; quum multa quoque sint, quae Christiani sensere, scripsere, aut egere, persuadentes sibi, se honorem deferre Virgini; & nihilominus aut temeritate ac imprudentia, aut superstitione, aut impietate non caruerunt eorum Opiniones atque opera. Vide *Diptycha Mariana*, mihi semper laudanda, Theophili Raynaudi e Societate Jesu. Felicia nimium forent deliramenta omnia in Religionis negotio, si eis per portam, quam nimis amplam Parthenotimus aperuit in sacrarium Pietatis ingredi liceret. At heic Siculus ingeminet: Nonne & tu fateris, *Pium* esse amplecti, docere, ac tueri sententiam excludentem a Virgine labem Originalem? Utique, & lubens repeto. Ergo subdet ille, Pium quoque, & Pietatis opus erit, Vitam pro ejus sententiae tutela impendere. Consequentiam nego, & addo: Immo scelus erit, & a Pietate alienum, atque adeo imprudens facinus, simulque Peccatum, Sanguine suo eandem propugnare sententiam.

Animadvertendum quippe est, occurrere heic duas Quaestiones inter se plane diversas. Prima, *an Pium sit tueri voce & scriptis sententiam de Immunitate Virginis*. Altera, *an Pium sit*, *eandem Sanguine etiam & Vita tueri*. Prima affirmative resoluta, sine dubitatione Certa est apud omnes Catholicos, firmata nimirum suffragio Apostolicae Sedis, ea tamen conditione, ut eam tueamur, non uti Fide divina credendam, sed uti Probabilem ac Piam. Altera negative resolvenda est: non enim ullum Ecclesiae suffragium pro ea adferri potest; neque haec cum superiore confundenda est; & perperam fluere ista creditur ex altera. Nam in istam Propositionem novum subjectum, atque illud illicitum, confertur, per quod omnino immutatur innocens ac honesta qualitas prioris Propositionis. Nimirum Pium & innoxium est, pugnare voce & scriptis pro sententia Scotistica, quia teste Romana

mana Ecclesia nondum constat, an eadem adversetur Scripturae Sacrae, immo cohaerere cum ea posse videtur: licitumque propterea est ac laudabile, tenere interea, ac docere (uti fit in tot aliis Quaestionibus Theologicis) quod Verisimilius ac Probabilius creditur, quando certa Veritas adhuc obtineri non potest. Nullum vero inde manat incommodum in Ecclesiae doctrinam, nullum in Reipublicae tranquillitatem ac regimen, sicuti neque manat e tot aliis Quaestionibus & Quodlibetis (ut appellant) quae a multis Seculis agitantur in Scholis. At alterius plane generis est tutela Immaculatae Conceptionis, quando eam vis Sanguine ac Morte tua propugnare. Etenim Pium non est, immo est Impium, prodigere Bonum Certum ac pretiosum Vitae nostrae pro Opinione, seu pro Bono Incerto ac Minori, quam ipsa Vita. Pium est, ac Virtutis opus, ut exemplo utar, e propriis fortunis Eleemosynam propter Dei amorem pauperibus praebere. Contra desinit esse Pietas, ac Scelus evadit, Eleemosynam conferre inopi e bonis non nostris, eorum domino minime consentiente. Quia non sunt facienda Mala, ut eveniant Bona; neque licet furari, ut Eleemosynam faciamus. Pium est, sacrarum Reliquiarum possessionem sibi procurare. At eas dolo aut vi aliis eripere (quod olim in more fuit) crimine & Impietate non caret. Ita Pietatis ac Religionis opus est tueri rationibus sententiam de Conceptione Scotisticam; nefas contra est illam tueri Sanguine nostro, quia Mandatum Dei *Non Occides* obstat: & Suicidii reatum non effugit, qui alienis manibus occidendum se offert sine necessitate, sine Ecclesiae suffragio, atque adeo suo tantum arbitrio, atque imprudenter, ut Opinionem videlicet propugnet, cujus est adhuc Veritas dubia. Quonam ergo abeat decantatum suum *Mori pro Pietate*, *Mori pro Cultu*, *ac Veneratione Virginis*, ex his intelligere potest Parthenotimus: intelliget saltem, qui sine ullo amore ac odio ista meditetur. Ille verus est Dei & Virginis Cultus, quem Ecclesia probat: Vitam vero dare pro Opinionibus, nunquam probavit Ecclesia, Prudentiae magistra. Quod si non est verus Deiparae cultus, Vitam pro incerta adhuc sententia Scotistica impendere, consequenter neque erit vera Pietas, sed quidem facinus imprudens, & in quo non immerito Superstitionis vitium sapientes timeant, aut intueantur.

Ut autem evidentius Lector perspiciat, quam falsam Regulam Parthenotimus in sententiae suae praesidium adsciverit, illius consectaria perversa perscrutari pergamus. Innumera sunt Miracula, & Acta Sanctorum, in divinis Libris minime comprehensa; innumerae sunt

eorum

eorum Reliquiae; innumerae Opiniones Theologicae in Scholis, aliaque multa ad Historiam Ecclesiasticam spectantia. Quotiescunque verisimili ratione spectare ista noscantur ad cultum & gloriam Dei atque Sanctorum; neque appareat figmenta esse, aut repugnare doctrinae Ecclesiae: possunt haec omnia in censum venire *Pietatis*. Et quanquam divina Fide credenda non sint, *Opiniones* tamen *Piae* ac laudabiles sunt; easque Ecclesia aut laudat, & gratas habet, favoreque & Indulgentiis interdum prosequitur; aut saltem tolerat, quia etsi materialis aliquis populi Error sese iis immiscere possit, nihil tamen iste orthodoxiae Religionis officere potest. Si legitima foret producta a Parthenotimo Regula, jugulum pro his omnibus offerre liceret. Et quidni? Esset hoc *Mori pro Pietate*, *quae certo inest actui Opinativo*, ut is ait pag. 18. Esset actus *Virtutis*, *Religionis*, *Cultus Dei*, aut *Sanctorum*, ut is alibi scribit. Verum abeat ac absit e Christi Fidelium mentibus enormis haec Regula, & fallacissima doctrina, quae aut stoliditatis, aut Superstitionis, aut Fanaticismi dedecus ac reatum, aut saltem Imprudentiae culpam saepe in nos derivare posset. Habemus enim Opiniones non paucas de una re contrarias in Scholis, quales sunt, exempli caussa, de Quaestione illa: *An etiamsi Adam non peccasset*, *Verbum Divinum sumturum carnem humanam fuisset:* & quales peperit celebris controversia *de Auxiliis*, sive *de Gratia & Libero Arbitrio*. Contrariae autem Opiniones istae, quia ad cultum Dei pertinent, atque ad sacram doctrinam, neque in Fidei Dogmata ulla ex iis impingere censetur, *Probabiles* propterea ac *Piae* appellari non injuria possunt ac debent. Quid ergo Catholici, eoque magis quid Heterodoxi dicerent, si quos cernerent pro hisce oppositis sententiis tuendis Vitam vovere, aut reapse Mortem subire? Omnium animos, ut puto, horror invaderet. Ad haec inter tot objecta *Pietatis Opinativae* fieri non potest quin multa, aut saltem aliqua ex iis Errori sint obnoxia, & Falsitatem contineant. Vastum ac insigne Opus percurre, hoc est, Acta Sanctorum a Patribus Antuerpiensibus Societatis Jesu collecta ac illustrata. Ibi occurrent non una unius Sancti Corpora, & multiplicatae per varios Populos eaedem sacrae Reliquiae, quibusque contendentibus legitima ac vera esse sacra illa Coelitum pignora, quae ipsi possident. Et sane unicuique licet habere suis honorem, veteremque de iis Opinionem Piam tueri. Immo Apostolica ipsa Sedes Indulgentias, aliosque favores non raro eam ob caussam diversis iis Populis atque Reliquiis elargitur. Da nunc mihi homines, qui pro tuenda Pia ac Probabili Opinione, quam fovent de Sanctorum suorum

Lipſanis, mori etiam eligant: nonne meridiano Sole clarius eſt, ex illis aliquos pro Errore ac Falſitate Vitam daturos? Unum tantummodo ex iis ſacris Corporibus aut pignoribus Verum ſit, cetera Falſa, neceſſe eſt. Fortaſſis etiam interdum ne unum quidem e controverſis praeſtare Verum ac Certum poterimus. Eorum ergo, qui pro hiſce Opinionibus prodigi forent Vitae, quis non argueret Zelum ſine ſcientia, Pietatem ſine Prudentia? Aut depravatae imaginationis, aut temerariae pervicaciae facinus eſſet mors eorum ſpontanea. Et niſi invincibilis ignorantia illos excuſaret, reos ſe proderent male cuſtoditi Depoſiti, & quidem pretioſi, ſibi a Deo crediti, quando illud pro Errore perderent.

Uſus autem & hoc ipſo argumento fuerat Pritanius, quum contra Votum Sanguinarium ſcripſit, in haec verba loquens Lib. II. Cap. VI. pag. 256. Editionis Pariſienſis. *Et tamen ſi hoc ferendum eſt, non video, quei in immenſum protendere non liceat novum hoc Martyrii genus. Nam & alii vitam vovebunt, atque exponent, quo exempli cauſſa Lauretanam Aedem ſuſtineant Servatoris Conceptione illuſtratam revera fuiſſe; & Franciſco Aſſiſſinati, atque Catharinae Senenſi, Stigmata fuiſſe divinitus impreſſa, & ab aliis Sanctis viris miracula quaedam procul dubio fuiſſe patrata. Quod certe in Eccleſia Dei nunquam tolerandum, ne idem divinis atque humanis habeatur honor, neve temere, & pro Mendacio interdum projiciatur pretioſa hominum Vita.* Heic inſurgit Parthenotimus, atque inter cetera reſpondet pag. 79. *In primis homo, qui non moderati ingenii tantum, ſed Moderator ingeniorum videri vult, caſtigatius, reverentiuſque hoc loco loqui debuit; & non Mendacii nomine ſugillare directam ipſam ſententiam de Virginis Immunitate, etiamſi permitteremus eſſe meram Opinionem.* Sed parcat Parthenotimus mihi verenti, ne docti Panormitani, immo & reliqui Litterarum cultores, ad hunc locum continuo exclament: Quei Theologum iſtum idoneum ad hoſce nodos extricandos, & Veritatem in quaeſtione iſta detegendam arbitremur, quando is ſibi videre viſus eſt, Pritanium *Mendacii nomine ſuggillantem directam ipſam Sententiam de Virginis Immunitate?* Proſtant ejus verba. Caecutiat oportet, qui Pritanii verba non videt cadere in Opiniones Pias, a Scotiſtica de Conceptione omnino diverſas. Harum infinitus eſt numerus; & quum inter eas aliquae ſaltem Falſo niti poſſint motivo, etiamſi Piae dicantur, quicunque pro iis tuendis occumberet, *pro Mendacio* occumberet. Haec in omnium oculos incurrunt, praeterquam unius Parthenotimi, qui quum calumniam heic dedita opera ſtruere voluiſſe creden-

dus

dus non ſit, fateatur ſaltem, ſe non ea tranquillitate animi & ingenii ad controverſiam iſtam acceſſiſſe, quae ad Verum e Falſo diſcernendum neceſſaria eſt. Ego interea perpendam, quae is habet de Lauretana Aede; inquit enim pag. 76. *Si cui perſuaſum ſit, Deiparae honorificum eſſe tueri, quod Lauretana Domus fuerit ſervatoris Conceptione illuſtrata, eſſet item honeſtum hanc ob cauſſam mori. Lauretanae Domus exemplum, quo Lamindus adverſus pie Voventes utitur, in Lamindum pie Voventes hoc pacto remittunt. Honeſtae mortis periculum ſubiret, ut barbarum arceret militem, qui Lauretanae Domui minaretur excidium: & nedum quia dulce & decorum pro patria mori, Horat. Od. 2. verum etiam, quia pro ſervanda ab excidio Domo, quae fertur Servatoris Conceptione illuſtrata, moreretur. Cur ergo honeſtum non erit mortis ſubire periculum, immo & mori, ut ab omni labe defendatur Immunitas Virginis?* Diſparitatem exempli nemo non videat. Licitum eſt, omnium Theologorum conſenſu, non Lauretanam tantum, ſed & reliquas ſacratas Aedes, & patriam, & vitam propriam, immo & fortunas ſuas tueri cum periculo etiam vitae propriae, ſi eis injuſtus aggreſſor excidium inferre velit. Parum dixi: licet etiam injuſtum ipſum aggreſſorem removere, inferendo ei mortem, dum fiat cum moderamine inculpatae tutelae, & de re maximi momenti agatur. At qui in Lauretana Domo tuenda mortem incurreret, Vitam non daret pro tutela piae Opinionis ſuae, ſed pro defendendo celebri illo Chriſtianae Pietatis loco, ejuſque ſacra Imagine, atque theſauro: quae omnia quum Certa ſint ac pretioſa bona, propterea pro iis exponere periculo Vitam licet. Contra, ſi tutor iſte Lauretanae Aedis, ſine armis, ſine ſpe ac animo pugnandi, ſeſe objiceret Turcarum turmae, ſacrum illum locum invadenti, barbaris indicens, prius ſe trucidandum, quam fores intrent; Vitam temere ac imprudenter projiceret. Excuſandus fortaſſe foret, non certe laudandus, quippe neque ad tutelam ſacratiſſimae Aedis, neque ad tutelam piae Opinionis ſuae, ſe trucidandum offerret impiis, ſed ut improvido Zelo ſuo ſine ulla neceſſitate aut utilitate ſatisfaceret.

Verum nihil eſt quod ad emendicatum atque inopportunum exemplum Parthenotimus heic recurrat. Teneat germanum, quod Lamindus propuſuit. Si Tyrannus (quod Deus avertat) Panormi Parthenotimum ipſum ad ſuum tribunal deductum interrogaret, an credat quae de origine Lauretanae Domus feruntur, mortem minatus, ſi credat. Satis ille jam prodidit, quaenam futura foret reſponſio ſua; nempe ſe nihil horum pro certo habere, officioſe recuſaturum dulce

donum mortis sibi a Tyranno oblatae pro tutela tam Piae Opinionis. At inquiat ille: mihi persuasum non est, sive propugnetur, sive non propugnetur haec Opinio, crescere quidquam posse, aut minui Virginis honorificentiam. Ceterum *si cui persuasum sit*, *Deiparae honorificum esse*, *tueri Opinionem de origine illius sacri loci*, *esset honestum hanc ob caussam mori*. Animadvertant heic Lectores, in quo Theologus noster statuat caussam, cur honesta ac laudanda foret hominis mors, videlicet in *Persuasione* de re grata Deo ac Virgini. Principium utique fallacissimum, quia sine ulla restrictione propositum. Si enim *Persuasio* sufficit, quam in cerebro suo procudere quisque potest, pro adducenda prudenter in discrimen Vita sua; jam nulla erit anilis fabula, nulla Superstitiosa Devotio, nullus in Pietate excessus, quem quilibet non censeat se posse legitime vel moriendo tueri. Circumcelliones ipsi non amplius damnandi, sed commendandi forent, uti & qui Idola Ethnicorum sine ulla necessitate frangerent, aut Turcarum Meschitas incenderent. Videat Parthenotimus, quot e principiis suis absurda consequantur, & saniora quaeso nos doceat. Atqui prudentem *Persuasionem*, reponet ille, volui heic designare. Ut lubet. Attamen sapientes iterum ei instabunt his verbis: Etsi *Persuasio* prudens, quod aliquid placeat, sive honorificum sit Deo & Sanctis, sufficiat, ut Opinionem unam alteri praeferamus, ac voce & scriptis tutemur: nunquam tamen sufficiet, ut pro nostra illa Opinione defendenda in necem nostram conspiremus. Hoc enim pacto pro tuendis contrariis de una eademque re Opinionibus, Christi Fidelibus Vitam suam vovere fas esset, quum persuasum tam istis, quam illis esse possit, sententiam suam honorificam esse, aut placere Deo & Sanctis. At quis hoc ferat in sanctissima ac prudentissima Religione, quam profitemūr? Ad haec: si sufficit ista *Persuasio*, jam in manu privatorum hominum jus propriae Vitae relinquitur: atque ut sunt fere omnium superba, simulque levia multorum ingenia, plerique contendent, se prudenter opinari, sibique *prudentem* esse *Persuasionem*, atque adeo licere sibi pro illa in mortem ruere. Anne haec toleranda, quum tam facile Vita possit hac ratione pro *Errore* profundi? Nusquam gentium sane. Parthenotimo ipsi, ut reor, Fanatici, Imprudentes saltem, viderentur Colonienses, qui freti spisso Opere P. Crombachii, ac Opinione Majorum, pro tuenda Historia Undecim millium Virginum, aut pro trium Regum Magorum Corporibus ad se advectis, carnifici collum offerrent: aut Hispani, qui pro tuendis tot Sanctis, nulli veterum notis, & nihilominus in eorum Martyrologium

a Ta-

a Tamayo intrusis, & a Cardoso in Lusitanicum, ex auctoritate duntaxat quorumdam Chronicorum (bone Deus, qualium!) hoc est Flavii Dextri, Liutprandi, Juliani Toletani &c. fortiter, sed temere occumberent. Non ergo deducendum jus voluntariae cladis nostrae per aliorum manus e *Persuasione* nostra, quum Sapientia Proverb. III. edicat nobis: *Ne innitaris Prudentiae tuae*; neque judicio proprio in re tanti momenti fidendum sit; sed tantummodo petendum istud jus e voce Ecclesiae, falli nesciae, quae Dogmata & casus statuit prudentissime impendendi Vitam nostram, si occasio ferat. At haec nunquam profecto decrevit, neque decernet, licere pro Opinionibus jugulo nostro pugnare, quantumcumque persuasum sit nobis placere illas, atque honorificas Deo & Sanctis esse. Prudentiae quippe & rectae Rationi adversabitur, pro sententiis, de quarum Certitudine certos nos Ecclesia non fecerit, Certum & pretiosum pignus Vitae profundere.

Attamen heic Voti Sanguinarii patronus aurem mihi vellit, inquiens pag. 60. *Quod si Lamindus Prudentiam inde impugnet, quod in Re Incerta hic versamur: egregie fallitur. In primis meminerit fas est, ad prudenter operandum non requiri perfectam Certitudinem.* „ Materia moralis (*quae plerumque est materia Prudentiae*) „ talis est, quod non est ei conveniens perfecta Certitudo „, *docuerat D. Thomas Sect.* „ 3. *in Lib. I. Ethic. Aristot. Subscribit Divo Thomae Divus Anto-* „ *ninus* 1. *part. tit.* 3. *cap.* 10. §. 10. „ Certitudo, quae requiritur „ in materia morali, non est Certitudo evidentiae, sed probabilis con- „ jecturae ". Haec Parthenotimus. Fuissem hercle miratus, si Theologus noster clypeum quoque non arripuisset e ditissimo Probabilismi armamentario. Nimirum, si illum audimus, etsi Certitudinem evidentiae non habeat sententia de Immaculata Virginis Conceptione, *Probabilitas* tamen in ea neutiquam desideratur. Atqui Prudenter operatur, qui in materia morali, deficiente Certitudine evidentiae, Probabili conjectura se regit: Ergo Prudenter Vita dabitur pro tuenda Probabili hac sententia. An ita argumentari velit Parthenotimus, perspicax Lector dignoscet. At nobis Theologus iste doctrinam heic propinat, quam ne ipsi quidem laxiores Probabilistae docere sunt ausi. Repetendum quippe est, Probabile esse, Virginem fuisse sine labe conceptam, quum ad conciliandam huic Opinioni justam ac solidam Probabilitatem prudentes conjecturae concurrant, ita ut merito liceat ei intellectu & affectu adhaerere, quamvis contraria altera Opinio vigeat, cui ne sua quidem Probabilitas deest. Sed hoc minime est, quod nunc quaeritur. Altera nos controversia exercet, nempe: An Probabile sit,

licere

licere mori pro tuenda hac, aliisque id genus Opinionibus Probabilibus. In proposito autem argumento Parthenotimus supponit nunc, nos *in re Incerta* versari. Hoc & ego contendo, quod est ad Veritatem sententiae Scotisticae; tum nego, Probabile unquam fuisse, aut esse posse, licere subire certum discrimen Vitae nostrae pro Opinionibus Incertis; neque enim intrinsecae rationes, neque extrinseca auctoritas a temeritate absolvit, qui Certo & Maximo Bono sciens sese Certo privat pro consectando Incerto Bono. Addo, etiamsi Probabilitas aliqua extrinseca adesset Voti Sanguinarii patronis ex improvida assertione alicujus Theologi, non posse tamen Speculativam hanc Opinionem in Praxim sine peccato deduci. Et ratio est, quia agitur de periculo, immo de Certitudine gravis damni, sequendo heic Opinionem Probabilem, relicta tutiori. Quippe ex una parte Certum Malum, illudque summi momenti, sine necessitate incurritur, quum quis ultro animam ponit pro tuenda Opinione Probabili; at ex altera parte Bonum, quod moriendo quaeritur; Probabile tantummodo est, & minime Certum. In Voto Sanguinario nequaquam Vita impenditur pro Certo ac evidenti honore Virginis: nondum enim Ecclesia nos docuit, Deum revera voluisse Mariam maculae Originalis expertem. Damnavit Innocentius XI. in Proposit. I. affirmantes: *Licitum esse in Sacramentis conferendis sequi Opinionem Probabilem*. Statuunt & ipsi Probabilistae, peccare *Judicem* sequentem in judicando sententiam Probabilem, contemta tutiore ac probabiliore: uti & *Medicum* exhibentem aegro Pharmacum Probabile, quando alterum novit, ac praesto habet, Probabilius & tutius ad salutem aegrotanti adferendam. Quae rationes militant, cur damnetur in hisce casibus tum Sacerdos, tum Judex, & Medicus, aeque saltem militant contra eligentes pro re Incerta jacturam propriae Vitae, hoc est maximi Boni a Deo nobis collati, cujus domini non sumus, & cujus cura & conservatio sub gravi praecepto nobis ab ipso Deo mandatur. Quare quicunque sub Probabilismi umbra aditum hominibus aperit ad projiciendam temere Vitam suam, nescio quei effugere possit ac debeat fulmina Apostolicae Sedis. Agitur-ne de re exigui momenti, quum de Vita hominum agitur?

CA-

CAPUT VIII.

An Certa sit sententia Scotistica de illibata Virginis Conceptione. Non ferenda opinio de Certitudine hujusmodi sententiae, ubi de Vita hominum agitur. Nondum ista excessit fines humanarum Opinionum. Aliud Certitudo Objectiva, aliud Persuasio Certitudinis.



UAM infirmo ac inani patrocinio suam hactenus caussam tutatus fuerit Parthenotimus, vidimus. Plures ille vias, nunc istam, nunc illam tentavit, ut a Sanguinario suo Voto censuram, si quo posset pacto, averteret; at nondum, quantum quidem mihi videtur, ullam aptam invenit. Quod potissimum Lector animadvertat velim, curavit ille hucusque perquam sedule, ne quisquam sibi persuaderet, Votum illud emitti pro *Veritate* ac *Certitudine* Sententiae Scotisticae, diserte scribens, voventes tantummodo Sanguinem & Vitam polliceri *pro Pietate, pro Honore, pro Veneratione, & Cultu Virginis*. Idem ab illo repetitur pag. *61*. iis verbis: *Deinde non semel jam diximus, rem, pro qua vovens, de quo loquimur, vitam profunderet, videlicet Honestatem tuendi Piam Sententiam*. Nunquam est ausus dicere pro *Veritate*, pro *Certitudine*, pro *Evidentia* piae sententiae. Sed Proteum nunc intuere in omnes formas sese vertentem, ne quid praetermittat, ex quo speretur nutantis sui Voti ac doctrinae tutela. Is ergo probe praesentiens, quamdiu intra fines Opinionum consistat Pia sententia, neque ea Certa sit voventibus, avolare leves in auras, quidquid ipse hactenus excogitavit pro honestando suo Voto: non uno in loco clientibus suis insinuat, Sententiam de Immaculatae Deiparae Conceptione, non amplius Probabilem, sed *Certam* esse. Negaveram ego hanc Certitudinem. Is vero pag. 20. eam nos assequi posse ait *per Theologos*, inter cetera scribens. *Numquid homo suadet sibi Certam esse Immaculatae Virginis Assertionem, quia ipse fallax Certam sibi esse dicit? Nequaquam, sed quia id insinuant Patres, docent Theologi, fert communis sensus, suadent alia id genus argumenta: quae ea sunt, ut faciant, ne creatura fallacissima, seu quae falli maxime potest, in praesenti fallatur*. Tum distinguit triplicem Certitudinem: primam, quae sit *ex divina Revelatione jam per Ecclesiam proposita*. Hanc senten-

tentiae Scotisticae non adesse fatetur. Secunda oriri potest e divina Revelatione, sed quae non sit Fidelibus per Ecclesiam proposita; atque hanc etsi Parthenotimus amplecti non videatur, ita tamen proponit, & auctoritate Gersonii & Granadi fulcit, ut sibi libertatem retineat eandem amplectendi, hoc est *divina Fide credendi*, *sine labe Virginem fuisse conceptam*, *cum sibi persuadeat id fuisse a Deo revelatum*. Tertiam denique Certitudinem sententiae Scotisticae tribuit, quam *Plerique*, ait, *adstruunt*; videlicet *non ortam ex pura Dei Revelatione in Scripturis contenta*, *& clare sibi nota*, *sed ex consensu Academiarum*, *ex universalibus Patrum locutionibus*, *aliisque non paucis*, *quae hic referre*, *non est praesentis instituti*. Multos enumerat ita sententes, usque adeo *ut scribere Veritus non sit Joannes de Cardenas in Crisi Theolog. Tract. I. Disput. 9. num. 2. 5. Post Bullam Alexandri VII. quotquot de Conceptione scripserunt* (*praeter Caramuelem & Murciam*) *affirmarunt*, *sententiam piam esse in statu Certitudinis*, *non Fidei*, *sed Moralis*, *Physicae*, & *Metaphysicae*. Ita Parthenotimus, qui in tertia ista Opinione conquiescit. Et ne quis dubitet, quid hac in re sentiant, qui Voto Sanguinario sese obstringunt, ait pag. 54. ***Existimat Lamindus***, ***quod pie voventes***, ***& Voti Pietatem commendantes solummodo opinentur***, ***Virginem ab Originali labe fuisse praeservatam***. ***Sed in eruditione Theologica hospes est***, ***aut videri vult***. ***Nam Theologorum plerique Certum id putant & tuentur***. Addit pag. 62. ***Pie voventes ac jurantes jam sibi non ut Probabilem***, ***sed Certam persuadent primaevam Virginis Immunitatem***. Denique pag. 78. haec habet: ***Qui vovet Virginis Immunitatem tueri***, ***necesse est***, ***ut persuadeat sibi***, ***quod re ipsa Virgo immunis fuerit a macula***. Gratiae sint Parthenotimo, qui disertis tandem verbis significat, quae sit sua, & quae sit Voventium mens in emittendo Voto de fundendo Sanguine pro Immunitate Virginis.

Profecto neque illi, neque cuicunque alii Scotisticam sententiam veluti Certam tuenti, ac voventi etiam illius tutelam, quidquam obsistere mihi animus est, dum in ore & scriptis ejusmodi tutela consistat. Hanc sententiam laudavi, iterum laudo, non uti *Certam*, sed uti ***Probabilem*** ac ***Piam***. Non enim desunt graves conjecturae & congruentiae ad eam persuadendam; & quamvis explicite non habeatur in Scripturis sacris, neque in Sanctorum Patrum scriptis, implicite tamen contineri posse in iis videtur. Neque contrariam sententiam explicite habent divini Libri. Quod si Patrum sententiae Immunitatem hanc a Deipara excludere videntur, curant ejusdem patroni, ut illo-

illorum dicta explicent, sibique minime contraria ostendant. Denique piae huic Sententiae favent Romani Pontifices. Quare etsi Certa reputaretur a multis, immo ab innumeris, nullum ex hac persuasione in Ecclesiam, nullum in ejus doctrinam, uti neque in Rempublicam incommodum flueret. Nam ut ait Ephraem Antiochenus apud Photium Codice 228. *Disputatio illa de quaestionibus ad Fidem minime spectantibus, recte quidem se habeat, si optatum finem veritatis assequantur. Sin autem ab eo excidant, id quidem non bene successerit: non tamen in exitium animae vergit.* At quando nonnulli super istam Opinionem, & illius, ut sibi videtur (qualiscunque ea sit) Certitudinem superaedificare volunt, ejusque firmitatem adeo extollere, ut pro ea, non secus ac pro Veritatibus ad Fidem pertinentibus, animam ponere decernant, aliosque ad idem faciendum solicitant: novum hoc additamentum ingentis, immo maximi momenti res est, in quam intentus sit quilibet oportet, ejusque examen suscipere, tum Ecclesiae, tum Reipublicae plurimi interest, ne detrimentum grave aut nunc, aut aliquando in Ecclesiam ipsam & Populum ex hujusmodi doctrina emanet. Etenim si Opinionum fines nondum excessit Sententia Scotistica, & nihilominus Christi Fideles vident, non deesse Theologos, qui sentiant ac suadeant, posse licite pro illa Vitam impendi, dum sibi homo persuadeat, Certam eamdem esse: jam ad credendum induci possent, licere Christiano etiam pro *Opinionibus* tutandis animam ponere (quod falsum omnino ac imprudens est) aut sufficere *Persuasionem*, ut Certum sit, quod adhuc *Dubium* est, atque in linea Opinionis adhuc conclusum; simulque eamdem Porsuasionem satis esse, ut Christianus eligat mori, ac inde speret laudem ac praemium a Deo, immo & nomen *Martyris*. At hoc sane, ut vidimus, minime in Ecclesia Dei tolerandum, quum *Persuasio* ista in rebus ac sententiis ad Fidem minime spectantibus ducere possit incautos ad propugnandum non minus Verum, quam Falsum, Vitamque fundendam aeque pro Errore ac Veritate. Beatissima profecto nunc est pax Ecclesiae, abestque a temporibus & oculis nostris ferale spectaculum illud, quo Fideles, uti olim, pro doctrina Fidei animas generose & prudenter ponebant, ita nunc pro sententia Scotistica de Conceptione atrocissimis tormentis & gladiis Vitam imprudenter exponant. Sed quid, si aliquando id contingeret, neque a temeritate excusari possent sponte pro caussa ista ruentes in mortem? Nonne probris onerandus esset, qui non unum hominem sed integros Populos ad supplicium contra mentem Dei & Ecclesiae adduxisset? Nonne reliqua Christicolarum

larum gens rectius edocta, & a Sanguinario Voto abstinens, hosce tam improvide occumbentes miraretur ac doleret, veluti mentis inopes, aut ab imprudenti Devotionis aestu miserrime extra orbitam abreptos? Quare & Ecclesiae Catholicae decus, & Reipublicae ab omnibus curanda utilitas, poscit, ut ejusmodi doctrina sine mora adamussim Veritatis exigatur, ac potissimum postquam Parthenotimi studio eam palam protectam, ac longe lateque jam disseminatam sentimus. Quod mihi majores etiam animos facit, Apostolica Sedes nunquam agnovit *Certam* eorum sententiam, qui pro incontaminata Virginis Conceptione pugnant; eoque minus quidquam protulit, quo tolerare, nedum probare censenda sit novum hoc, atque ut ego reor, novitium ac falsum Martyrii genus. Probat Ecclesia uti *Piam* sententiam Opinionem de Immunitate Mariana, probo & ego. Vetat eamdem impugnari, non impugno. Id unum mihi sumo, illam ostendere minime Certam, aut saltem non ita Certam, ut prudenter, ac sine temeritate & peccato pro ea Sanguis effundi possit. Hoc minime vetuit Sancta Sedes; immo si ex hoc ipso examine tandem constabit, Sanguinarii Voti patronos abuti favore, quem Ecclesia piae sententiae impertitur, illudque Votum cedere in ipsius Ecclesiae injuriam, atque in perniciem publicam; spes mihi est, non solum aequo animo, sed etiam grato excipiendum hunc meum, qualiscunque sit, pro ipsius Ecclesiae doctrina & gloria laborem.

Itaque praemitto duo certissima in Quaestione de Conceptione Virginis. Alterum est, potuisse Deum eximere a Peccati Originalis macula Matrem futuram divini Filii sui. Qui negare hoc auderet, omnipotentiae Dei contumeliam inferret. Alterum est, aeque potuisse Deum sinere; ut Virgo non diversa a reliquis Adami filiis conditione conciperetur, eam mox sanctificaturus. Quod ubi sivisset, & contigisse pateret, summa adhuc esset Mariae Sanctitas, summa & dignitas; neque ulli, nisi impudenti ac impio in mentem veniret, minoris facere Deiparam, quam hactenus universa Christianorum Respublica fecerit, aut aequitatem desiderare in Deo. Non enim consilia Dei, consilia hominis: quod & ipse per Isaiam Cap. LV. vers. 8. denuntiavit, inquens: *Non enim cogitationes meae, cogitationes vestrae: neque viae vestrae, viae meae, dicit Dominus*. Utra vero ex hisce viis Deo placuerit in Conceptione Deiparae, & quid revera tunc operatus fuerit omnium conditor Deus, non e ratiunculis ingenii nostri est eruendum, sed ex ipsius Dei Revelatione, sive scripta in sacratissimis Libris, sive per Traditionem Patrum ad nos transmissa. Et quidem reve-

revelaverit ne Deus, an non, jam per quinque vel sex Secula disputatur, & adhuc sub Judice lis est. Porro neque ignota Ecclesiae haec disputatio, neque ab ea neglecta; immo notissima, quando tot jam Bullae Pontificum hac de re prodierunt, ipsumque Tridentinum Concilium quaestionem sub oculis habuit. Quid tamen inde? Sixtus ipse IV. Pontifex, Ordinis Minorum, qui primus legitimum de celebri hujusmodi controversia decretum emisit, quanquam ante Pontificatum pro Scoti sententia Librum scripsisse feratur, nihil tamen aliud decrevit, nisi ut nemini liceret eam Sententiam Haeresis aut Impietatis arcessere; idemque de contraria constituit. Exploratum pariter est, subsequutos quoque Pontifices incertam reliquisse utramque Sententiam, quamvis ad evitanda contentionis scandala Thomisticae patronis silentium prudentissime indixerint. Hinc autem duo principia fluunt inconcussa. Primum est, tam sententiam faventem Immunitati Virginis, quam adversantem, tenebris adhuc circumsederi in Ecclesia, & versari adhuc utramque in Incertitudine apud Apostolicam Sedem, quae veri, falsi, ac dubii constituta a Deo fuit index & judex; falli nescia. Secundum est, in incerto esse, ac futurum esse, quamnam in partem inclinatura erit Ecclesia, si quando maturius examen quaestionis hujus suscipere velit, ac definitivam proferre sententiam.

Quamobrem ubi quempiam audimus, cui Certa sit alterutra ex hisce sententiis, animadvertendum e vestigio est, triplicem dari Certitudinem. Prima est *Fidei Divinae*, quum nempe sine ulla dubitatione credimus aliquid a Deo revelatum, testimonio Ecclesiae, quae columna est & firmamentum Veritatis, innixi. Secunda est Evidentiae, quam Philosophi *Objectivam* appellant, videlicet quum objectum adeo clara ac certa demonstratione & cognitione ab Intellectu apprehenditur, ut aliter esse non possit, neque aliter excogitari. Ejusmodi Certitudinem in compluribus, immo & innumeris tam Physicis & Metaphysicis, quam Moralibus notionibus reperimus; atque haec evidentia Intellectum tanta efficacia determinat, ut pariat cognitionem certam atque infallibilem, excludatque omnem merito suspicionem Erroris. Tertia est Certitudo *Persuasionis*, quae *Subjectiva* in Scholis nuncupatur hoc est, quum Evidentia & Certitudine objectiva deficiente, Probabilibus propositionibus nihilominus firmum praestamus assensum, non quod evidenter intrinsecam Veritatem objecti intueamur, sed quod rationes pro illa propositione tam fortes, debiles vero pro contradictoria aut contraria propositione, sese nobis offerunt, ut Intellectus noster in illa non Veritate certa, sed apparentia Veritatis, con-

quiescat, ac se falli vix posse putet. Postrema haec Certitudo locum item habet in plurimis, immo innumerabilibus notionibus tum speculativis, tum practicis, Scientiarum, & Artium, humanique commercii. Veritatem enim nudam, sive Certitudinem Evidentiae, saepissime assequi possibile non est; ac propterea satis est Intellectui arripere Verisimile ac Probabile, sive Probabilius, quando ipsam certam ac evidentem Veritatem non potest. Et quidem ultra quam vulgo credatur, vastissimum est regnum Opinionis. Haec autem *Certitudo Persuasionis*, quae aliud denique non est, nisi *Persuasio Certitudinis*, trepidationem saltem aliquam, ne Error idem Persuasioni subsit, secum semper adducat oportet, quum Evidentia absit, ac propterea objectum possit esse aliud ab eo, quod nobis apparet, ac nobis persuademus. Tot hominum Judicia, sive in Theologicis, sive in Physicis, atque in actibus humanis, perpende. Praeter illa, quae ex Evidentia cognoscimus, aut Fide Divina infallibiliter credimus, innumera sunt alia, de quibus judicamus, & quae multis, non satis circumspecte Veritatem inquirentibus, Certa etiam videntur. At in postremis hisce quanta Incertitudo! quanta Erroris facilitas! Immo non desunt, qui scribant, ipsam Evidentiam ac Certitudinem Moralem compossibilem, ut ajunt, esse cum Falsitate. Proinde Sapiens istis nunquam tam firmum praebet assensum, ut certissimam Veritatem, sive *Certitudinem Objectivam* assequutum se credat, deponatque omnem errandi metum. Qui vero improvide & inconsulte agit, pro Certis quotidie plurima immerito habet, minime animadvertens, judicium suum ex ignorantia proficisci, aut ex neglecto maturiori examine, aut ex animi affectibus Intellectum fascinantibus, aut denique ex praesumtione ac superbia: quum contra alii cautius, ac majori sinceritate & diligentia agentes, eadem aut Falsa credant, aut saltem Dubia ac Incerta agnoscant.

Venio nunc ad geminas de Conceptione Virginis oppositas sententias; ac puto mecum me habiturum concordem Parthenotimum, asserentem, neutram posse sibi tribuere Certitudinem Fidei aut Evidentiae. Ergo superest, ut quam ipse Certitudinem de Scotistica Sententia profert, non aliam appellare possimus, nisi *Certitudinem Persuasionis*. At haec ipsa sine formidine saltem aliqua Erroris esse non potest, ut diximus; & consequenter verbis quidem ea sententia veluti *Certa* a nonnullis appellatur, at re ipsa nihil aliud est, quam *Opinio*, quae formidinem Erroris semper conjunctam habet, aut habere debet. Parthenotimus ipse pag. 18. *Actum Opinativum* habere se fatetur de Immaculata Conceptione, contendens, tantummodo, *Pietatem*,

tem, *Veritatem illam esse*, *pro qua morerentur* Voto Sanguinario addicti, & *quae certo insit Actui Opinativo* de ipsa Conceptione. Tum pag. 62. scribit: *Pie Voventes ac jurantes*, *jam sibi non ut Probabilem*, *sed Certam Persuadent primaevam Virginis Immunitatem*. Ac proinde apud Voventes sita est in *Persuasione* Certitudo illa, non vero in objecti Evidentia, ejusque cognitione; & per consequens Erroris metum excludere non potest, nec debet, prout fatebitur quicunque prudens ac sapiens est. Ita tot aliis Propositionibus Scolasticae & Moralis Theologiae, Physicae, Metaphysicae, Historiae &c. adhaeret Intellectus, servata tamen prudenti aliqua dubitatione, nunc majori, nunc minori, Verum ne, an Falsum sibi persuaserit. Quare nihil est, quod Theologus noster clientibus suis depraedicet, *plerisque Certam* videri Scotisticam Sententiam. Certam quippe ii ipsi ita habere credendi sunt, ut non abjiciant omnem Erroris ac Falsi metum. Et quidni? quum ne ipse quidem Parthenotimus alibi audeat asserere, se illam habere pro *Certa*. Ei tantummodo sufficit dicere pag. 28. *Non est igitur adeo clarum*, *ut sibimet Pritanius blanditur*, *quod pia sententia sit Opinio*, *&* *mera Opinio*, *cui subesse possit Falsum*. Sed quando is etiam Joannem de Cardenas adduxit, scribentem, *sententiam piam esse in statu Certitudinis*, *non Fidei*, *sed Moralis*, *Physicae*, *&* *Metaphysicae*, uti jam asseruerant tres Hispanici Scriptores ab ipso de Cardenas commemorati; atque haec a Parthenotimo adducuntur, ut animus addatur voventibus Sanguinem & Vitam pro ejusmodi sententia: non haec sane toleranda, utpote semina doctrinae, quae in apertum abusum vergunt decretorum Apostolicae Sedis, & credulitatem falsam, & Martyres antea ignotos invehere in Catholicorum Rempublicam possunt. Neque enim Summi Pontifices vetando, ne Scotistica sententia impugnetur, vetuerunt etiam, ne impugnaretur quicunque contra Ecclesiae Romanae mentem Decreta Apostolica interpretatur, atque iis abutitur, ad impellendum temere in mortem nimis credulos Christi Fideles.

CA-

CAPUT IX.

Sententiae Scotisticae minime tribuenda Certitudo formidinem quamvis excludens. Quae Romanae Ecclesiae intentio sit in statuendo Festo Conceptionis. Quantum a Falsitate quavis abhorreat Ecclesia. Vincibilis Ignorantia ac Error tribuentium Certitudinem Intrinsecam Scotisticae Opinioni. Non haec hausta e Sanctis Patribus. Ecclesia Romana tantummodo ut Probabilem & Piam eamdem Sententiam agnoscit.



Ico ergo, deliria esse piae Phantasiae asserta haec Cardenae, neque eum de temeritatis culpa excusari posse, dum Scotisticae sententiae Certitudinem tribuit *Moralem*, *Physicam*, *Metaphysicam*, ubi is suadere velit, aut Evidentiam cum ista Certitudine conjungi, aut nullam amplius superesse dubitationem de Veritate ejusmodi sententiae: nosque ita certos de ea esse, uti certi sumus, Alexandrum Magnum, ac Julium Caesarem Romanorum Imperatorem olim vixisse, & cras Solem oriturum; & unum cum duobus junctum facere tria. Universa enim Catholicorum Respublica evidenter novit, ejusmodi *Evidentiam* ac *Certitudinem* desiderari in sententia Scotistica; immo novit, ipsam evidenter in *Incertitudine* positam, postquam Ecclesia, disputationis conscia, ita sententiam illam probavit, ut suam vim & credibilitatem contrariae nunquam ademerit. Et quidem obtestor ego Proceres in primis omnes Ecclesiae Romanae, tum doctos quoslibet viros, ut edicant, an quisquam Romanorum Pontificum litem istam hactenus diremerit. Negabunt omnes, & Cardenam aut ridebunt, aut audaciae damnabunt, quod ex institutione Festi Conceptionis (cujus tum ipse, tum Parthenotimus pag. 41. ajunt, *obiectum esse praeservationem Virginis ab omni macula* ex Alexandri VII. Bulla) contenderit, ascendisse Scotisticam sententiam ad statum *Certitudinis Moralis*, *Physicae*, & *Metaphysicae*. Immo e praemissis suis plus quam ille intendit potuisset inferre, videlicet Festo Conceptionis a Romana Sede probato, sententiae quoque eidem accessisse Fidei divinae Certitudinem: quod tamen minime factum omnes agnoscunt, neque ipse Cardenas diffitetur. Quod ergo hac in re verum est, Festus dies Conceptio-

ptionis ante aliquot Secula institutus a Singularibus quibusdam Ecclesiis, a Sixto IV. deinde probatus fuit, & peculiari etiam Officio ornatus; demum vero a Sancto Pio V. ad universam Ecclesiam propagatus. Verum sub Innocentio X. ex occasione cujusdam Decreti sacrae Inquisitionis Romanae, interdicentis appellari *Festum Immaculatae Conceptionis*, acris disputatio renovata est, contendentibus quibusdam, sub nomine *Conceptionis* nihil aliud ab Ecclesia celebrari posse ac debere, quam *Sanctificationem* Virginis, non vero *Praeservationem*. Hispanicorum querelis ac precibus fatigatus Alexander VII. anno 1661. controversiam hac ratione sustulit. Nimirum de mente Ecclesiae, quod est ad illud Festum, nihil statuit; sed quidem eorum Fidelium *Pietatem* commendavit, qui *secundum piam sententiam*, tribuentem Deiparae in primo instanti Immunitatem a macula peccati Originalis, & *in hoc sensu* ejus Conceptionis Festivitatem solemni ritu colunt & celebrant; & volens *laudabili huic Pietati, & devotioni, & Festo, & cultui secundum illam exhibito favere*, licitum decernit Festum celebrare, cultumque Conceptioni ejusdem Deiparae *secundum piam istam sententiam* exhiberi; praecipiens, ne quisquam audeat illorum Pietati ac intentioni adversari. Sed ne unum quidem verbum addidit Pontifex, quo alios improbaret, qui secundum alteram sententiam sub diversa consideratione *Sanctificationis* solenne habent Festum illud. Quare etsi aliquando Decretum Apostolicae Sedis Emanaret (hoc autem possibile nemo neget) quo Thomistica sententia de Conceptione Virginis ad Fidem spectare statueretur; attamen ita res composita est, ut adhuc illud Festum in suo vigore una cum suo Officio, ac Indulgentiis conservandum foret. Interea quid de hoc Festo, cujus caussa nobis insultarunt olim ac nuper Heterodoxi, quasi sibi Ecclesia contradicat, dum Festum celebrat, & nihilominus pro Incerta sententiam habet, responderint insignes duo S. R. E. Cardinales, de Polemica Theologia optime meriti, juvat heic repetere. Primus est celeberrimus Cardinalis Bellarminus, Societatis Jesu, (cujus verba etsi Cardenas temere falsitatis arguit, supposito falso ipse innixus) ita loquitur Lib. III. de Cultu Sanctor. Cap. XVI. *Dico secundo, fundamentum hujus Festi praecipuum non esse Conceptionem Immaculatam, sed simpliciter Conceptionem Matris Dei futurae. Qualiscumque enim fuerit illa Conceptio, eo ipso quod Conceptio fuit Matris Dei, singulare gaudium affert Mundo ejus memoria; tunc enim primum habuimus pignus certum redemptionis*. Alter vero est Clarissimus S. R. E. Cardinalis Vincentius Ludovicus Gotti, Ordinis Praedicatorum, nunc vivens, purpurati Se-

ti Senatus ornamentum, qui in Libris de vera Christi Ecclesia contra Piceninum Haereticum Part. II. Tom. II. Art. XIV. §. V. post Bellarmini verba haec addit: *Huc respexit Clemens XI. in sua Constitutione pro ipso Festo die VI. Decembris* 1708. *Cujus Conceptio gaudium annuntiavit universo Mundo. Atque ut nemo in animum inducat, voluisse illum hoc facto dirimere controversiam, non illud appellat Festum Immaculatae Conceptionis Beatae Virginis Mariae, sed Festum Conceptionis ipsius Beatae Mariae Virginis Immaculatae.* Certum porro est, & ab aliis praecedentibus Pontificibus *Immaculatae* titulum detractum fuisse e Conceptionis Festo. Neque exemplo caret ejusmodi genus Festi; nam Graeci, ut erudite monuit idem Cardinalis Bellarminus, celebrant a multis Seculis Festum *Conceptionis Sancti Joannis Baptistae*, quem tamen nemo credit a contagione culpae originalis praeservatum. Ac proinde etsi Graeci ipsi Festum quoque celebrant Conceptionis Sanctae Annae, quam nos Conceptionem Virginis appellamus, nihil ad rem facit exemplum hujusmodi, quum & hoc factum videamus de Joanne Baptista. Adde & a Latinis omnibus idem Praecursoris Festum per plurima Secula celebratum fuisse die XXIV. Septembris; nam ut Cl. V. Daniel Papebrochius e Soc. Jesu adnotavit ad diem XXIV. Junii in Act. Sanctor. Cap. 2. §. 2. Festum *Conceptionis* Joannis Prodromi, diversum ab ejus Nativitate, *inscriptum est vetustis omnibus Latinis Martyrologiis, Hieronymi, Bedae, Adonis, Usuardi, Notkeri, Rabani. Nec invenio, qui Festum illud omiserit notare ad diem XXIV. Septembris, ante Bellinum de Padua*, hoc est usque ad annum 1498. Vide etiam Kalendarium ad calcem Agnelli Ravennatis editum Part. I. Tom. II. Rer. Italicar. pag. 218. ubi idem Festum commemoratur. Quamobrem recte quidem faciunt, qui secundum piam Scoti sententiam Festum celebrant Conceptionis Deiparae; sed nihil ibi insistendum, ut Certitudo aliqua sententiae ipsi concilietur. Hac de re vide praesertim, quae differuntur a celebri Scriptore Societatis Jesu, mihi jam non semel laudato, & saepius infra laudando, qui in *Corona Aurea* Roman. Pontif. Veritat. VIII. pag. 153. inter alia scribit de Conceptione immaculata Beatae Virginis: *Quamvis certum sit, eam non esse de Fide; quia tamen pium est, & admodum probabile, autem etiam moraliter certum, Beatae Virginis Conceptionem fuisse expertem originariae noxae: merito Ecclesiae Rectores religiosum ejus cultum omnibus Fidelibus praescripserunt.* Quippe, ut is ait, cultus ejusmodi *ex prudenti judicio* defertur. Addendum praeterea est, ne unum quidem verbum in Missa & Officio Conceptionis habe-

haberi, unde immunitas Virginis ab Originali peccato deduci firmiter possit; immo illic haberi, quod secus suadere videatur. Nam inter Lectiones Octavae fragmentum legitur Epistolae S. Leonis Magni Papae, hisce verbis ad Pulcheriam Augustam: *Nisi enim novus Homo, factus in similitudinem carnis peccati, nostram susciperet vetustatem, consubstantialis esse dignaretur & Matri, Naturamque sibi nostram, SOLUS A PECCATO LIBER, uniret &c.*

Neque tamen heic stetit quorundam confidentia: nam uti nuper memoratus Cardenas scripsit (quod repetere necesse est) *Theologi praecipue Hispani, jamdiu ostendunt, etiam ante Bullam Alexandri VII. hanc sententiam non esse in gradu Probabilitatis, sed ascendisse ad omnimodam Certitudinem, non Fidei, sed Moralem, Physicam, & Metaphysicam: post Bullam autem Alexandri VII. sententiam piam esse multo evidentiorem.* Immo inter paucos suos Scriptores Bellarminum quoque recenset, qui tamen disertis verbis Lib. IV. Cap. XV. de amiss. Gratiae statuit: *Non haberi apud Catholicos pro re Certa & explorata, ac Fide Catholica tenenda, Beatam Virginem sine peccato fuisse conceptam.* Tum id solum contendit, *Non esse hanc ipsam Opinionem temerariam, sed Piam admodum ac Probabilem, atque adeo contraria sententia Probabiliorem.* Quae plena modestia ac moderatione nemo non videt. Atque hoc unum sufficere posset ad prodendum, quam caute in reliquis adjungenda sit iis fides, qui tanta confidentia *Certitudinem Moralem, Physicam, & Metaphysicam* de sententia Scotistica, nimis incaute genti, & contra Ecclesiae mentem, olim venditarunt, & quidem ante ipsam Alexandri VII. Bullam. Sed undenam nata ejusmodi Certitudinis persuasio? Libere dicam, e fraudibus, quas nonnulli contexuerunt olim, ea spe fortasse ducti, sibi fas esse quidquid vellent etiam temere comminisci, ac inepte effutire, quum obstructa essent ora contra sentientibus. Sed basilice falluntur, qui ita Summorum Pontificum Bullas, ac mentem interpretantur, ut putent, ne licere quidem ulli hiscere, si quando figmenta & commenta exeruntur in patrocinium caussae alioqui bonae atque laudabilis: ac praecipue si quisquam iis abutatur, ut Populum Fidelem in mortem inconsultam miserrime impellat. Felices nimium imposturae forent, si palam prodire possent, revelari, & argui palam a nemine possent. Quis non videat, gravem injuriam sanctissimae Sedi Apostolicae inlatum iri ab eo, qui in animum induceret, atque contenderet, silentio indicto uni factioni per Ecclesiam, alteri relictam fuisse licentiam quidlibet audendi, hoc est fingendi atque mentiendi? subla-

tumque omnibus etiam jus haec ipsa detegendi atque accusandi? Nemo quippe ignorat, quantopere Ecclesia ipsa exsecretur quaecunque in Religione figmenta. Neque illa Veritatis custos unquam patrocinata est, aut patrocinabitur Falsariis, eorumque foetibus abominandis. Praecipue vero quum agitur de Dogmate persuadendo atque statuendo (re videlicet omnium gravissima & delicatissima) uti horrendum facinus est heic aliquid falsi adhibere aviditate victoriae referendae, ita in summum dedecus ac opprobrium Catholici Populi cederet, si pacificus & liber cursus hisce ludibriis apud nos permitteretur, & nemini liceret adversus illa insurgere. Atque hoc ipsum accidisse in Conceptionis Quaestione, & in Hispania praesertim, brevi ostendemus.

Ne quis tamen heic fallatur, neve ego minus videar morigerus erga Summorum Pontificum Bullas, quibus venerationem ac obedientiam deberi ab omnibus, atque a me in primis, agnosco: antequam ultra procedam, monitum haec pauca Lectorem volo. Nempe adesse tanti ponderis rationes, congruentias, & conjecturas pro Immunitate Virginis (*Probabiles tantum*, *congruentesque rationes* eas appellat loco nuper laudato celebratissimus Cardinalis Bellarminus) ut *Probabilem* eam innumerorum mentibus reddiderint; Certitudinem vero illam, quam per vetustiora Secula sententia contraria sibi tribuere videbatur, & ipsam ad *Probabilitatis* limites deduxerint. Quare non immerito, donec accuratius perpendantur utriusque Opinionis momenta, Romani Pontifices decrevere, neutram ex iis inhonesta aliqua gravique censura esse configendam. Has ego rationes veneror, has intactas volo, utpote quas Sixtus IV. aliique Pontifices impugnari noluerunt. At si quis Probabilitate ista, quam etiam majorem contraria credere ac appellare cuique licet, minime contentus, alia fabricat non probata ab iisdem Pontificibus, & praeter, immo contra eorum mentem, audet adeo Certam, exploratam, indubitatamque depraedicare ejusmodi sententiam, ut pro ejus tutela morituris vitam aeternam, immo & coronam Martyrii polliceatur: insurgendum quibusque doctis est, & serio examine novae hujus doctrinae, ejusque consectariorum suscepto, succurrendum est Populo in omnem credulitatem prono, ne imprudenter ferali carnificinae se tradat, & ne incaute Incertum pro Certo assumens, & somniata Certitudine fretus, Verissimum, Certissimum, ac Evidens bonum Vitae suae profundat. Itaque ajo, si quisquam in eum finem, ut Christi Fideles pertrahat ad asserendam Sanguine suo Scotisticam sententiam, eam *Moraliter*, aut *Physice*, aut *Metaphysice* Certam esse contendit, in *Errore* versari,

eoque

eoque *vincibili*; & *Ignorantia* laborare, eaque *vincibili*. Quod aliquis rerum Christianorum minus peritus, atque in Theologia hospes credere possit, pertinere aliquid ad Fidem, quod revera non pertineat, ac pro tali sententia, quam is Invincibiliter Veram credat, mortem subire cum laude possit ac debeat, si occasio poscit, & ego concedo. At ejus Error ac Ignorantia tum solum Invincibilis dicenda, ac proinde excusanda erit, quum diligentiam, quam potest, ante adhibuerit, ut erudiatur a doctis de vera Ecclesiae doctrina. Hanc enim omittens, temere is ac imprudenter morti se tradet. Verum quod Viri docti putent, aliisque persuadeant, tam exploratam esse Veritatem Immunitatis Marianae, ut non solum liceat, sed opus summae Virtutis sit pro ea tuenda gladiis impiorum se offerre, *Vincibilis* est, atque inexcusabilis hic error, ipsique jubentur prius diligenter, ac deposito omni privato affectu investigare, num revera subsistat in Objecto, an tantummodo in Persuasione sua ejusmodi Certitudo. Theologi quippe ignorare non possunt, aut non debent, praeter *Firmitatem Intellectualem* provenientem e clara ac evidenti cognitione objecti, dari etiam *Firmitatem Affectivam*, hoc est quum Voluntas aliquo rapta affectu imperat assensum Intellectui, & vult ut credat, quae sibi proponit: cujusmodi Firmitatem passim in Haereticis deprehendimus, qui pertinaciter credunt vera falsissima Sectae suae Dogmata. Nullo autem negotio Error hic atque Ignorantia deponetur in quaestione de Immunitate Deiparae, si debitae non parcatur diligentiae. Nam quis, rogo, Certitudinem hanc hauriat e *decretis Romanae Ecclesiae*, quando evidens est, Incertam adhuc esse apud illam utramque de Conceptione sententiam? Neque haec Certitudo e *divinis Scripturis* peti potest, quum ex ipsorum hujus sententiae tutorum confessione nullus divinarum Literarum locus adferatur, unde saltem explicite doceamur, Virginem originalis maculae expertem fuisse. Mysticus vero, Allegoricus, & Typicus sensus nunquam aptus fuit ad fundandum Dogma de divina Revelatione, non aliunde nota.

Neque Certitudo haec e *Patribus* exspectanda, uti Parthenotimus censuit, postquam Petavius Vir Cl. e Societate Jesu, quantacunque diligentia usus in deducenda ex iis Catholicae Ecclesiae doctrina, ubi de Conceptione Virginis agit, hoc est Lib. XIV. Cap. II. de Incarnat. nullum ex antiquis Patribus adducendum pro ea sententia novit; immo quos ipse depromsit, in contraria sententia fuisse aut fatetur, aut suspicatur. Et quandoquidem Ferdinandus Quirinus de Salazar anno 1618. vel 1622. spissum Opus edidit pro Defensione Immaculatae

Conceptionis, in quo multa congessit Sanctorum Patrum loca pro eadem sententia, idque & alii postea praestitere, quid de illorum labore sentiat Doctissimus Theologiae Dogmaticae restaurator, aut parens, non est omittendum. *In eorum vero plerisque* (ita ille scribit) *uti Pietatem*, *&* *ornandae sanctissimae Dei Matris conatum & studium probare soleo: sic in illa quaestione tractanda*, *diligentiam & Criticam sagacitatem requiro*. *Nam nec in citandis Auctoribus FIDEM*, *ac delectum adhibent*, *qui omnium maxime necessarius est*; *& quos ex antiquitate idoneos arcessunt*, *eorum dicta FALSIS interpretationibus*, *& alienis ab eorum mente detorquent*. *Non est necesse de singulis hoc loco dicere*. Porro neque ex universalibus Patrum assertionibus ea Certitudo manare potest, quum idem Petavius animadverterit, inferri nihil posse e Latinorum Patrum dictis, aut e Graecorum versionibus, *Intemeratam* aut *Immaculatam* appellantibus Deiparam, quum ejusmodi Voces aut inviolatam Virginitatem, aut ab omni inquinatione peccati actualis, etiam levissimi, immunitatem significare possint. En ejus verba: *Etenim si quid apud veteres*, *Graecos praesertim*, *increpuit*, *quod Beatam Virginem* ἄχραντον, ἄφθαρτον, αμίαντον, *idest illibatam*, *incorruptam*, *impollutam*, *& id genus alia sonare videtur*: *in hoc tanquam secundo Mercurio sibi oblatum involant*, *& ad rem suam accommodant*; *sed non est consequens*. *Siquidem illi etiam*, *quibus placuit*, *originali contactam labe fuisse Virginem*, *partim in utero ipso*, *antequam nasceretur*, *partim sub ipsum Redemptoris conceptum*, *tanta gratiae sanctitatisque copia superfusam esse putant*, *ut omnes originalis morbi reliquiae*, *cum ipso*, *qui dicitur*, *fomite Concupiscentiae*, *sanatae*, *vel in perpetuum compressae fuerint &c*. *Frustra igitur sunt*, *qui iis & similibus ex vocabulis*, *quae summam in Beata Virgine munditiam*, *integritatemque significant*, *confectum sibi negotium putant*, *ut apud quos ista repererint*, *eos sibi in testimonium asciscant illius*, *quem probare volunt*, *intacti*, *immaculatique Conceptus*.

Demum ad eam Certitudinem persuadendam frustra commemoratur *Academiarum & Populorum Consensus*; etenim postquam e prudenti Ecclesiae decreto sublata est contrariae sententiae fautoribus loquendi & scribendi facultas, campusque liber unis Scotisticae patronis est relictus: incertum est, quid Viri docti revera de hujusmodi Quaestione sentiant. Nam quod pleraeque Academiae hanc amplectantur, id factum, quia aut hanc Probabiliorem altera, aut magis Piam arbitrantur: quo more tot alia in Scholis propugnantur, quae Probabilia tantum esse, non Certa creduntur. Et sane referri huc possunt

ſunt Caramuelis verba in Theolog. fundament. num. 312. fund. V. latiori ſignificatione ab eo concepta, ſed a me reſtricta ad ſolam quaeſtionem de perſuaſione Certitudinis. *Hodie, cujus opinionis ſint Doctores, neſcimus. Nam ſi qui contrariam tenent, praecipiuntur tacere, aut loqui nobiſcum, qui piam defendimus. Ego quam opinionem habeam, ſcio; quam habeas, neſcio. Nec ex verbis eam colligere poſſum; nam ſi forte ſeveram teneas, nec licite, nec impune illam prodes. Et ſi prudens ſis, malles in materia Probabili (damnare enim haereſeos piam ſententiam, delirare eſt) & te accommodare Superiorum dictamini, quam coram Deo in conſcientia, coram Mundo in honore & commoditate pati jacturas & cenſuras.* Quanquam haec ſunt ſuperflua, quum fateatur Parthenotimus ipſe pag. 77. *diſſenſionis compeſcendae cauſſa* nuncupata fuiſſe Vota ac juramenta Academiarum, *quemadmodum in Hiſpaniis pro Immaculatae Conceptionis defenſione accepimus nuncupata.* Ac proinde non quod Certam ſine formidine Erroris eam ſententiam putent, Academiae cenſendae ſunt ei adhaerere, ſed quod unam illam tradi poſſe in Scholis, Apoſtolicae Sedi obſequentes animadvertunt. Facultas ipſa Pariſienſis, quae Seculo XV. ac praecipue vigente Baſileenſi Concilio, adeo fervida fuit in tuenda Scoti ſententia, ac deinde Maldonato Viro Cl. e Societate Jeſu neganti hujus ſententiae Certitudinem, negotium non leve faceſſivit, aeſtum illum jamdiu depoſuit, agnovitque & in iſta controverſia, quantum praeſtet non tantum auctoritas, ſed & ſapientia Romanae Eccleſiae, quae decretum Concilii Baſileenſis de Conceptione Virginis expunxit, & pro nihilo habuit. Ita vero ab eo fervore declinavit celebris illa Academia, ut nullam crearit Joanni Launojo moleſtiam, qui circiter annum 1675. Librum edidit mihi minime viſum, ſed ut ajunt, temerarium adverſus eandem ſententiam: quam Pariſienſium Theologorum indolentiam dolet Auctor Hiſtoriae de Controverſia Conceptionis. Denique etiamſi daretur recentiorum conſenſus in iſtam ſententiam, inde tamen inferri illius Certitudo nequit, quum vel ipſi Scotiſticae Opinionis Sectatores Probabilem & Piam agnoſcant etiam Opinionem oppoſitam, eamque apud antiquiores *Communem* fuiſſe non negent, quanquam nunc ſuam magis Piam ac Probabiliorem, quam altera, arbitrentur.

Quod tamen omnium maxime conſiderandum eſt, ſemper ineluctabile illud argumentum recurrit, nunquam tribui poſſe ſententiae Scoticae Certitudinem *Moralem*, neque *Phyſicam*, neque *Metaphyſicam*, quoties ab iſta Certitudine excluſam velis omnem Erroris formidinem, ex quo Eccleſia Romana Veritatis magiſtra pergit adhuc

eam

eam considerare uti Incertam ac Dubiam, eamque duntaxat habet, ut Probabilem ac Piam. Quo posito, Incertum quoque sit oportet, si quando dirimere velint controversiam istam Summi Pontifices, utram e duabus sententiis decreturi sint ad Fidei doctrinam pertinere: quod sibi ipsis reservarunt statuendum. Gregorius etiam XV. anno 1622. hisce verbis scripsit ad Regem Catholicum, instantem & urgentem, ut Immaculatam Conceptionem definire dignaretur: *Cum nondum aeterna Sapientia Ecclesiae suae tanti mysterii penetralia patefecerit, in Dei, Romanorumque Pontificum auctoritate debent fideles Populi conquiescere*. Quid est ergo, quod nonnulli acquiescere nolentes Pontificum auctoritati, incauto Populo tanta confidentia annuntiant, Revelatam implicite fuisse in divinis Libris & Patrum scriptis Immunitatem Marianam, idque jam *ascendisse ad omnimodam Certitudinem, Moralem, Physicam, & Metaphysicam*? Nonne hoc est, apud domesticos, eoque magis apud hostes, arguere, aut traducere veluti caecos & obstinatos non solum adversae sententiae sectatores, sed & socios ipsos, qui eam tantummodo Probabilem censent? Nonne hoc est, Romanam Ecclesiam exponere probris, quasi ipsa aut prae ignorantia illud non videat, quod tamen in oculos audacium ejusmodi Doctorum incurrit; aut defectu Pietatis erga Deiparam, post tot Secula, post tot Populorum, & Regum preces, uti Incertam adhuc & Dubiam vigere sinant adeo celebrem controversiam? Abeat ergo somniata ista Certitudo, & firma stet illa tantum pia Probabilitas, quam in sententia Scotistica agnovere Summi Pontifices, omnesque Catholici agnoscunt. Et ubi Parthenotimus veritatem hanc discere a me nolit, discat saltem a semetipso, dum pag. 55. scribit: *Existimat Lamindus, quod pie voventes, si solum opinarentur, Virginem ab originali labe praeservatam, voverent defendere ut veram certamque Virginis praeservationem. Etiam hic decipitur; quandoquidem dumtaxat iidem putarent, quod dum falsitas ignota est, & apparentia pro Veritate stat praeservationis, licitum & honestum sit illam defendere. Isthuc autem neque periculosum neque falsum est; etenim si deprehenderetur Veritas, & haec esset in sententia Piae contraria, Votum desineret: cum ad mentem & decreta Summorum Pontificum mos sit vovendi ac jurandi.* Heic quaeso Lector consistat, atque animadvertat, consequi ex hujus Theologi doctrina, *neque periculosum, neque falsum* esse vovere etiam Sanguinem & Vitam pro tuenda Immunitate Mariana, tametsi duntaxat apprehendatur ut Opinio: nam, ut is ait, *dum Falsitas ignota est, & apparentia pro Veritate stat praeservationis, licitum & honestum est illam defende-*

fendere. Dixi, iſtud conſequi ex ejus doctrina; ſed reapſe id ipſe directe docere mihi videtur; nomine enim *Voventium* ſignificat eos, qui animam pro pia ſententia tuenda ſe poſituros jurant. At erit eorum, qui e ſpecula vigilant, ne periculoſa & falſa dogmata venditentur in Eccleſia Dei, conſiderare, an tolerandus ſit qui doceat: *licitum eſſe ac honeſtum pro Opinionibus tuendis ultro mortem ſubire*; idque ea ratione firmet, quod *dum Falſitas ignota eſt*, ſatis eſt *Apparentia Veritatis* ad legitime ruendum in gladios. Quis ſapiens non videat, quam periculoſa & falſa ſit hujuſmodi doctrina? Quantum vero ad illos attinet, quos Parthenotimus ait, vovere Vitam pro pia Sententia, quia *Certam ii ipſi putant & tuentur*, potuiſſet ac debuiſſet ipſemet fallaciam deprehendere ritus hujus ac voti. Nonne fatetur ipſe hoc in loco, fore ut Votum continuo evaneſceret, ſi *deprehenderetur Veritas, & haec eſſet in ſententia Piae contraria, cum ad mentem & decreta Summorum Pontificum mos ſit vovendi ac jurandi?* Nonne idem repetit pag. 71. voventes non aliter nuncupare Vota, quam ſub hac, quam paſſim exprimunt, formula: *Juxta Summorum Pontificum Decreta jam edita, aut deinceps edenda?* Ut omnes intelligunt, nihil aliud ſignificat ejuſmodi proteſtatio, niſi ſe tandiu tutaturos eam ſententiam, quandiu illam tueri ſinet Romana Eccleſia; atque ab ea ſe illico receſſuros, ubi ſecus ab ipſa Eccleſia decerneretur. Veniat ergo Parthenotimus, aut quiſquam alius, *Certitudinem* ſine formidine tribuens defenſoribus Scotiſticae Sententiae. Ipſa eorum Vota ac juramenta oppoſitum clamant. Fieri non poteſt, quin ſit Opinio ſententia illa, cujus adhuc Veritas aut Falſitas ignota eſt: quod & fateri coactus eſt illius tutor Parthenotimus, agnoſcens, definitionem hanc judicio Sanctae Sedis eſſe reſervatam, & poſſe per novum ejuſdem Sedis decretum conſtare, *Veritatem eſſe in ſententia Piae contraria*. Interim vero, dum pendet ejuſmodi judicium, ſi quis e Voventibus Sanguinem funderet pro tuenda Scotiſtica ſententia: nonne patet, ipſum pro *Opinione* Vitam profuſurum, ideſt imprudenter, temere, & peccando, ut ſupra oſtendimus, atque ut Parthenotimus pag. 18. ſentire & ipſe videtur, ſcribens: *Quis unquam ſomniavit, pro Incerta Opinione fas eſſe jugulum offerre Carnifici?* Diſcant ergo Sanguinarii Voti clientes a praeceptore ſuo, abeſſe a Voto ſuo *Certitudinem* Intrinſecam, Objectivam, Moralem, Phyſicam, & Metaphyſicam, quando cras poteſt a Romanis Pontificibus deprehendi Veritas in contraria Thomiſtarum ſententia; ac proinde Votum ſuum tantummodo fuiſſe aedificatum ſuper *Apparentiam Veritatis*, cui ſubeſſe etiam poteſt Falſum;

ſum; eaque de cauſſa ſe tradere tortoribus & lictoribus pro tuenda Opinione hac, ideſt Apparentia illius Veritatis, a temeritate ac peccato excuſari non poſſe.

CAPUT X.

Unde perſuaſum multis, dubitationem omnem de veritate ſententiae Scotiſticae ſublatam fuiſſe. E confictis in Hiſpania quibuſdam Hiſtoricis. Ex aliis itidem monumentis commenticiis.

SED quei, denique poſtules, factum eſt, tam firmo aſſenſu Scotiſticae de Conceptione ſententiae adhaeſerint nonnulli, atque inter eos non pauci doctrina Theologica exculti? Ad Populum quod attinet, non eſt heic numerandum illius ſuffragium; is enim credit, quod audit, neque contrariae ſententiae adhuc vigentis rationes unquam audit. De unis ergo doctis eſt interrogatio. Iterum repeto, quod Eruditi omnes in Italia, Germania, & Gallia norunt, ſed Parthenotimo, & aliis ſub alio coelo viventibus adhuc ignotum videtur: repeto, inquam, ut Siculorum, quos magni facio, multumque diligo, neceſſitati ſuccurram: Fraudes, figmenta, falſaeque interpretationes, quae ſeſe in iſtam intruſere controverſiam, rationibuſque legitimis, quas Theologi melioris notae pro Immunitate Virginis attulere, & quas non ſolum Probabiles ac Pias agnovit, ſed etiam intuitu pacis impugnandas vetuit Apoſtolica Sedes, ſeſe addiderunt: in cauſſa fuere, cur Certitudinem, ignotam adhuc Romanae Eccleſiae, omnibuſque rite Eruditis, nonnulli ſibi perſuaſerint ſe intueri in eadem ſententia. Non eſt una auri ſacra fames, quae mortalia pectora ad infanda pertrahat. Interdum & hoc facit immoderata gloriae & exiſtimationis cupiditas. Atque utinam nullum hujus veritatis exemplum in Pietatis regno haberemus. In *Pietatis*; inquam, *Opinativae*; non in *Fidei*, ac *ſolidae* ſive *Intrinſecae Pietatis*; poſtremum enim hoc firmum ſemper fuit, firmumque ſemper erit ex promiſſione Dei, neque portae Inferi adverſus illud praevalebunt. Itaque dico, non defuiſſe olim in Hiſpania homines, qui hac aviditate gloriae mirum in modum ſuccenſi, & potiſſimum cupientes videri apud Populum tum doctrina, tum Pietate erga Sanctiſſimam Dei Genitricem praeſtare contrariae ſententiae fautoribus, nihil intentatum

tatum reliquere, ut victores evaderent in controversia de ejusdem Conceptione. Fieri id non posse recte illi perspiciebant solis rationibus Probabilibus, quas ad ea usque tempora docti viri adhibuerant, & Ecclesia uti verisimiles ac pias exceperat, atque probarat. Quare ad aliam vincendi rationem se contulerunt: congessere quippe e veterum monumentis multa, additisque falsis interpretationibus, eadem in rem suam pertraxere. Multa etiam confinxere; neque enim nova sunt eorum detestanda exempla, qui mentiri pro gloria suae patriae, immo & pro Pietate, non erubuerunt, fortassis etiam licere putarunt. Et quidem tanto successu progressu temporis peracta res est, ut non Populo tantum, sed & piissimis Regibus Catholicis persuasum plane fuerit, nihil dubitandum amplius de Veritate Scotisticae sententiae; immo ejus tutelam ac propagationem esse peculiare officium ac debitum (*Impegno* nos appellamus) generosae Hispaniae gentis, quum Veritatem & Cultum istius Mysterii Hispania, prima omnium, peculiari privilegio ab Apostolis acceperit. Notum est, quantum regionum illarum Populi, quibus & Lusitanos jungo, amore gloriae ferveant, ac potissimum ad hanc inhiare in Pietatis rebus, & recta Fide Catholica in sinu suo conservanda. Sed simul notum est, felicissimam illam gentem, quae acutissimi ingenii viros parit, totque insignes Theologos, duobus praecipue postremis Seculis, Ecclesiae dedit, non adeo felicem semper fuisse in melioris Criticae, solidaeque Eruditionis cultura. Itaque illuc interdum non difficilis aditus ipsi imposturae fuit, dum Pietatis faciem haec praeseferret. Neque vero ibi desiderati unquam fuere gravissimi viri, subacto judicio, & Eruditione praeclari; sed non semper eis licuit nimium praecipiti minus doctorum torrenti obsistere ubi res erat de augenda aut minuenda gloria Nationis. Satius propterea illi duxerunt sibi sapere, & publica odia vitare, aut etiam silere sunt jussi.

Et ne quis putet, me temere heic loqui, uno exemplo rem confirmabo. Anno 1594. cura Hieronymi Romani de la Higuera famosi Impostoris, coepit se ostendere apud Hispanos Chronicon *Flavii Dextri*, cujus Historici mentio est apud Sanctum Hieronymum; idemque post aliquot annos etiam publici juris factum fuit. Successere deinde alia veterum Chronica aut Opuscula felicissime reperta, atque e tenebris eruta, *Marci Maximi*, *Braulionis*, *Liutprandi*, *Juliani Toletani*, *Auberti Hispalensis*, *&* *Helecae*. Nihil gloriosius visum fuit magnanimae genti, quam tot patriae suae antiquitates, tot Sanctos antea ignotos e pretiosis hisce promptuariis accipere. At scripta haec nil

aliud erant, quam solemnes male feriatorum hominum imposturae; atque adversus illa non unus in Hispania ipsa insurrexit. Sed nihil profuit. Adeo afflatus gloriae animos reliquorum invasit, ut meliores diutius stare in acie, immo aliquid contra hiscere periculosum deprehenderint. Rem accipe ab egregio Scriptore Hispanico, qui extra Hispaniam suae gentis honori consuluit, hoc est a Nicolao Antonio, cujus Bibliothecam veterem Hispanicam edidit Romae insignis vir Joseph Cardinalis de Aguirre, qui & ipse ejusmodi figmenta Tomo II. Concil. Hispan. Dissertat. III. libera sinceritate sugillavit. Inquit autem Nicolaus Antonius Hispalensis Canonicus, & Sancti Jacobi Eques, Lib. II. Cap. VIII. *Visa in publica hominum luce illustrium bonorum virorum, alias celebrium, tam propria secundaque rebus Hispaniae nostrae monumenta, veluti ex orci faucibus erepta, mirum quantum exsultare, subsultare omnes, qui aliquo honoris sensu, Pietatisque tangerentur, statim fecere; provincias, urbes, Ecclesiarum Collegia sacra; Religiosorum hominum coetus efferre se, ac nova sibi delata in gremium, clarissimorum civium, sodalium, tutelarium, inclytarum actionum gestorumque olim famae celebris ornamenta jactare, conferreque invicem & gratulari: tanquam si Pyrenaei saltus igne iterum correpti, Hispaniae, quanta est, fines omnium metallorum liquefactorum torrentibus inundavissent.* Addit infra: *At quamvis huic facilitati res tam novas credendi, non unus aut alter ex nostris, cui dextra in parte mamillae cor saliret, indignatus, continere intra prudentiae limites Civium nostrorum Philautiam, quae vere Judicii omnes faciebat partes tam verbis praesentes, quam scripto per litteras diu procuravissent: victi demum, suppressique, & quasi tacere compulsi sunt, praevalente suffragiorum numero, ac lenocinante caeco Patriae amori novae mercis cupiditate. Nisi quod ante aliquot annos re penitus considerata, casuque repertis non quidem levibus suspicionis argumentis, negotium poene jam apud nos confectum retractari coepit, advocata ad partes libere sentiendi, qua rationis compotes sumus, ac dicimur, facultate; fereque jam eo res processit, ut admoneri se nostri Cives non aegre patiantur, a novis his Chronologis Historiae nostrae non laetas vires, sed tumorem inditum; & quae turgida & inflata sit, habitiorem falso apparere.* Haec Nicolaus Antonius: quem *excessisse limites moderatae Censurae* quum ait Auctor Historiae de Conceptione, vereor ne risum Eruditorum commoverit, quibus nemini adulari mos est, sed unam Veritatem scrutari, eamque intrepide annunciare. Si verum est, Hispanos haud aegre nunc pati, se de spuria origine hujusmodi Chronicorum moneri, spe-

ran-

randum est fore, ut aequo etiam animo patiantur se admoneri de falsis monumentis, quae in quaestionem de Conceptione Virginis irrepsere. Vereor tamen, ut hoc omnibus persuadeam. Nam etsi adulterinos illos foetus aut abjecerint, aut impugnarint Joannes Baptista Perez, & multi e Societate Jesu doctissimi Viri, Petrus Ribadeneyra, Joannes Mariana, Ferdinandus de Salazar, Cornelius a Lapide, Melchior Inchofer, Philippus Labbe, atque in primis Clarissimi Patres ex eadem Societate, Bollandus, Henschenius, Papebrochius, ceterique, qui Antuerpiae Acta Sanctorum a tot annis illustrant; & licet Marchio de Mondexar in suis Dissertation. Ecclesiast. imposturam meridiano sole clarius prodiderit; attamen teste praelaudato Cardinali Aguirrio, *imperitorum hominum, aut semidoctorum vulgus, immo etiam alias doctorum nonnulli, in oppositum clamant, voluntque, ea scripta esse cedro digna & veneranda.* Et clamabunt, dum severiori Criticae diligentiorem operam navent, discantque Veritatis amorem Patriae suae amori praeponere. Et revera prodiit anno 1727. Tomus I. Historiae Academiae Regiae Lusitanae, atque ibi pag. 100. quaeritur, quis futurus sit usus ejusmodi Scriptorum, *Dextri, Liutprandi &c.* Multis statuitur eorum pretium. *Et quid refert,* ajunt, *quod Scriptores nonnulli eorum Historias impugnarint? Alii Auctores aeque bonae notae easdem probarunt, ac propugnarunt.* Et numquid non pro illis pugnarunt, ut ii memorant (sed meliorum judicio pro dealbando Aethiope) Bivarius, Carius, Tamayus, Higuera, Ramirez de Prado, Morenus de Vargas, Joannes Marques in Defensorio Augustiniano, Quintanadvegnas in Sanctis Hispalensibus, & undecim docti Viri in Martyrologio Lusitano effermando? En quid faciat immodica gloriae sitis, & quo pascantur interdum homines etiam ingenii sublimis, qui non decus Literaturae, sed dedecus, tanto ardore sibi mercantur.

Age vero paucis innuamus nonnulla, quae aut adulterinae originis producta fuere, aut falsis interpretationibus depravata, per vim pertracta fuere in subsidium Hispanicae potius, poene dixi, quam Scotisticae sententiae. Nam etsi ea sint Eruditis notissima, fortasse tamen alicui minus perito supervacanea non erit brevis illorum commemoratio. Primo itaque venditarunt *Concilium Apostolorum*, in quo definita fuit Immunitas Deiparae ab Originali Peccato. Sosa, Velasquez, & Messias de la Cerda referunt Apostolorum in hanc rem effata, e Granatensibus Laminis, de quibus infra sermo erit, ut puto, excerpta. Sanctus Andreas dixit: *Quando totum humanum genus damnatum fuerat, totum perierat, totum privatum fuerat hereditate: tu sola Vir-*

go a communi omnium damnatione praeservata fuisti. Sancto Matthaeo haec verba tribuuntur: *O Maria Immaculata, scyrpus es nodo carens. Multiplicabuntur festivitates tuae, augebuntur festa tua.* Sanctus item Thomas haec addidit. *Et Adae peccato praeviso non fuisti cum aliis omnibus condemnata.* Denique Sanctus Mathias ait: *In peccato concepta non fuit; omni gratia, & omni sapientia fuit impleta; neque ullum donum creaturae conveniens fuit illi denegatum.* Ineptissimas habes imposturas, quas exsecretur quicunque honorem Ecclesiae vere amat. Et nemo sane e doctis, nisi desipiendo, fidem adiunxit Concilio, apertissime in gratiam Conceptionis confisto. Nam quod apud Surium in Actis Sancti Andreae ad diem 30. Novembris Sanctus idem Apostolus dixisse traditur, nempe: *Quomodo de Immaculata terra factus fuerat homo primus, qui per lignum praevaricationis mortem intulerat: necessarium fuit, ut de Immaculata Virgine natus Christus perfectus homo, qui est Dei Filius, vitam aeternam, quam perdiderant omnes, repararet*: praeterquam quod Acta illa sunt dubiae fidei, nihil ea verba ad Conceptionem Beatae Mariae faciunt, quam *Virginem Immaculatam*, *Virginem Inviolatam*, non nos tantum, sed antiqui etiam omnes agnovere, hoc est Virginem ante partum, in partu, & post partum.

Secundo, ut in Hispanorum corda altius infigeretur Immaculatae Conceptionis tutela, quasi peculiare decus illius gentis, persuasum est Regibus piissimis ac Populo, institutum fuisse vel ab ipsis Apostolis in Hispania Festum ejusdem Conceptionis, & a Sancto Jacobo praecipue depraedicatam fuisse praeservationem Deiparae. *Flavius* Dexter, Sancto Hieronymo synchronus, de quo nuper sermo fuit, in suo Chronico ad annum 308. haec scripsit: *A Jacobi praedicatione celebratur in Hispània Festum Immaculatae & Illibatae Conceptionis Dei Genitricis Mariae.* Cujus pretii sit Chronicon Dextri, nihil attinet, ultra monere. Alter Scriptor, qui Seculo VI. floruisse fingitur, in scenam prodiit, nempe *Marcus Maximus Episcopus Caesaraugustanus*, cujus haec verba ex Hymno quodam referuntur. *Haec*, idest Deipara Virgo, *jam Jacobo Apostolo, & suo consanguineo, Aedem jubet conficere cunctis manentem Seculis. Ostendit ille se hilarem, suoque natalitio Conceptionis aureae templo manent encomia. Conceptionis hinc diem Jacobus Hispanos docet, & praedicat, ceu ceteri, ab omni labe liberam. Hinc mos habet principium, hunc celebrandi jugiter Populis Iberis diem, qui perdurat usque hodie.* Et iste putidissimus est Scriptor, in officina tantum Higuerae natus Seculo XVI. Profertur & Charta, si Superis placet,

cet, vetustissima, exarata videlicet Seculo VII. in qua Wamba Hispaniae Rex donat Abbati Sancti Salvatoris Villam & Ecclesiam Libiae ea conditione, *ut quotannis celebret Festum Conceptionis Beatae Mariae, Hispanis praedicatae a Sanctissimis viris, Jacobo, Petro, & Paulo, Apostolis Domini*. Quis, rogo, impudentem imposturam & heic non sentit? Praeterea e Chronico edito ab Hispanis *Liutprandi*, qui Seculo X. floruisse dicitur, ad annum 676. insigne hoc testimonium profertur: *Beatissima sedes de Columna* (del Pilar) *in Urbe Caesaraugustana, quae constructa est jussu Virginis a Beato Jacobo, cum in Hispania praedicavit Anno XXXVII. a Nativitate Domini, & consecrata ejusdem Immaculatae Conceptioni (quam omnes Apostoli praedicaverunt ubique) hoc tempore celeberrima, multorum peregrinorum contubernio visitatur*. Delirum tantummodo caput haec in hominum commercium attulisse potuit; & sane Pseudo Liutprandi istius Chronicon jam ab omnibus Eruditis, praeterquam ab Hispanis, exsibilatum est. Additur & *Julianus Toletanus*, qui anno 1037. vixisse fertur. Ita ille in Chronico jam edito anno 1618. *Erat Bernardus Archiepiscopus Toletanus, Beatae Virginis devotissimus, qui faciebat celebrare Festum ejusdem Dominae cum magna devotione, & fecit celebrare devotius Festum Immaculatae Conceptionis ejus, quod praedicavit in Hispania Sanctus Jacobus, & incoepit ab Apostolis in Concilio decernentibus*. Idem quoque in Adverf. num. 395. ait: *Traditio ab Apostolis in Concilium congregatis, Beatam Virginem Mariam Peccato Originali incontactam esse*. Sed & iste Scriptor, ejusque Chronicon, ab Eruditis omnibus, si paucos Hispanos excipias, jamdiu sententiam damnationis subiere, & inter manifesta commenta exulant.

Tertio, Segoviensis Ecclesia anno 1621. publico juramento & voto testata est, se a temporibus Apostolorum per hereditatem accepisse *Traditionem publici Cultus Immaculatae Conceptionis*; seque didicisse a *Beato Hierotheo discipulo Sancti Pauli, & primo Episcopo Segoviensi*, tueri, ac celebrare *Illibatam Conceptionem Deiparae*. Paria testata est iisdem temporibus Ecclesia Abulensis, principium hujus *Traditionis* referens ad *Sanctum Secundum discipulum Apostolorum*. Tolosanam quoque Ecclesiam antiquissimis temporibus idem Festum celebrasse ajunt, ejusque festivitatis mentionem occurrere in *Missali Mozarabico*, & in Martyrologiis *Sancti Hieronymi*, *Bedae*, & *Usuardi* atque in vetustissimo *Kalendario Capuano*: quae omnia merae fabulae ab Eruditis dignoscuntur. Si ejusmodi Traditionibus fidit piissima gens Hispanica, quis non videt, aereo plane fundamento suam fidem niti?

Ad

Ad haec, magno plausu in ea regione excepta est Visio quaedam, quae Eliae Prophetae de *Nubecula orta e mari* facta traditur, qua significabatur Deipara infantula, *quae jam in suo ortu esset munda ab omni peccatorum sorde. Licet namque Nubecula illa esset originaliter ejusdem naturae cum mari; alterius tamen fuit qualitatis. Nam quamvis in quolibet alio homine natura humana instar maris sit in sua origine ita amaritudine peccatorum & vitiorum pondere pressa, ut fateri cogatur: Iniquitates meae supergressae sunt caput meum; Beata tamen Maria de hoc mari, idest natura humana, aliter fuit orta, quia in suo ortu non fuit onerata amaritudine delictorum.* Legitur haec Visio in Libro de Institut. Monachor. Cap. 32. qui Joanni Hierosolymitano Patriarchae quadragesimo quarto tribuitur. Floruisse autem iste creditur iisdem temporibus, quibus Sanctus Hieronymus & Augustinus. Sed haec somnia esse, jam Eruditi omnes consentiunt; & Liber ille recentiorum Seculorum foetus est, ab aliquo Carmelita compactus, fabulisque, visionibus, ac somniis de Elia Propheta ad saturitatem repletus, quo tempore jam disputabatur de Conceptione Virginis. Quanquam negari etiam possit de ipsa Conceptione illic agi, quum tantummodo Auctor loquatur de *ortu*. Hisce addidere *Pauli Orosii* celebris Scriptoris Hispanici, qui Seculo V. floruit, luculentum testimonium. Is enim haec habet in Epistola ad Eustochium, sive ad Heliodorum: *Coram Deo novi, & in veritate comperi, quod nulla mulier in partu periclitatur, supra quam devote Mariae gratia imploratur, & dies Conceptionis ejus celebratur.* Sed & haec Epistola nihil aliud est, quam purum putum figmentum eorum, qui pravis artibus in suae sententiae subsidium uti non sunt veriti. Quid? Quod & Lezana & Velasquez in confirmationem puritatis originalis Deiparae adducunt *Concilium Ephesinum Tertium*, & *Constantinopolitanum Sextum*, & *Nicaenum Septimum*, ubi Maria *Immaculata* dicitur. Quo titulo etiam alii Graeci Patres Deiparam exornant. Verum nuper auctoritate Petavii vidimus, nihil haec facere ad Virginis Conceptionem. Sancti quoque *Ambrosii*, *Cyrilli Alexandrini*, aliorumque Patrum adulterina & conficta loca adferunt, quae commemorare nihil attinet, uti neque privatas Revelationes, quibus notum est, Ecclesiam non uti ad firmanda Dogmata, non aliunde nota, sanctissimae nostrae Religionis.

CA-

CAPUT XI.

Basileensis Concilii auctoritas perperam heic adhibita. Uti & Tridentini & Gersonii. Adulterinae Laminae Granatenses quam acriter propugnatae, & ab Apostolica Sede tandem damnatae.

ET ecce qualia vincendi aestus aut procudit, aut ab aliis procusa accepit, ut quae sententia e germanis Theologorum placitis, & quorundam Patrum locis, ac summorum Pontificum decretis, Probabilis erat, ac est, Certa etiam, & Antiquorum Traditione confirmata videatur. Dolendum sane, inclytam gentem Hispanicam, tam prudentem, tam doctam, sivisse diu, ac sinere, se ludificari hisce fabulis. Dolendum, ejusmodi commenta, ex Hispaniis ad nos commigrasse nonnulorum consilio, ut post suam nostram quoque gentem, si possent, volentem nolentemque ad credendum adducerent, nullam amplius dubitationem superesse de Certitudine Scotisticae sententiae. Est mihi Liber anno 1673. Mediolani typis aereis clandestine impressus, cui titulus: *Epilogo de' fondamenti, e delle ragioni, che soda & efficacemente persuadono l'Immaculata Concezione della Vergine, e la di Lei prossima Deffinibilità*. Ejus Auctor dicitur P. Andreas Mendo, Catholicorum Regum Philippi IV. & Caroli II. Concionator, qui & in Libro *Statera Opinionum*, a Romana Congregatione prohibito, hoc argumentum pertractasse affirmatur: Ibi potissimum locum suum invenere fabellae, hactenus superiori Capitulo recensitae. Quae quum ego improbo, & quisque cordatus mecum profecto improbabit, jam omnes intelligere possunt, me nihil mussitare adversus doctrinam illibatae Conceptioni Virginis faventem, quae non imposturis nititur, sed rationibus ab ipsa Sancta Sede probatis; immo pro illa me dimicare. Nam si titulis confictis atque mendaciis quisquam sibi sumat eandem tueri, nae ille Populum seducit, atque id unum tandem lucrari potest, ut ab ea credenda vel ipsos antea credentes imprudentia sua ac mala fide avertat. Gnaviter ergo, quantum lubet, pro Virginalis Privilegii Opinione piorum ingenia pugnent. Bonam caussam protegunt, quum stant pro gloria, quanquam Opinativa, illius, cui *fecit magna qui Potens est*... At fraudibus & fabulis in caussa Pietatis uti, quo

Falsum

Falsum credatur Verum, aut Incertum jam Certum, non leve tantum crimen est, sed ingens Impietas. Et praesertim si id agatur, ut doctrina Fidei reputetur, quod tale nequaquam est: nam huc, uti infra videbimus, nonnullorum conatus collineant. Porro eadem ratione arguendus erit, quicunque traditur adulterasse loca Patrum in contrariae sententiae patrocinium, aut Revelationes confinxisse Conceptioni Immaculatae adversantes. Haec omnia exsecrantur probi viri, Veritatis unius, non gloriae propriae amantes; & praesertim exsecratur Apostolica Sedes, quotidie vigil & sollicita, ne falsitati aditus sit, & perosa illos, qui secundum quod praedixerat Apostolus II. Timoth. IV. vers. 3. *sanam doctrinam non sustinent, sed ad sua desideria coacervant sibi magistros, prurientes auribus. Et a Veritate quidem auditum avertunt, ad Fabulas autem convertuntur*. Quod etiam aequo animo minime ferendum est, quidam sunt, qui existimationis propriae cauti custodes, commenta ejusmodi non jam impudenter adhibent, sed ita pro sua sententia adferunt, ut illorum nolint praestare veritatem; simul tamen ipsa congerunt, Lectorique propinant, rati non defuturam bonam gentem, quae hisce etiam imposturis ac ineptiis adhibeat fidem. Atque haec praeter alias non paucas ratio fuisse videtur, cur sacra Romana Congregatio hominum oculis ereptam voluerit Historiam controversiae de Conceptione Virginis, anno 1700. Panormi editam, hisce fabulosis aut falsis monumentis minime destitutam. Neque multa laude dignus Parthenotimus noster, qui pag. 47. *Ut autem*, ait, *dicamus, quod in Revelatione, aut scripta aut tradita, pia contineatur sententia, tot Doctorum consensio sat esse videtur. Consensere Patres Concilii Basiliensis, qui rem banc jussu Eugenii IV. vocarunt ad trutinam; & boc tulere decretum: Doctrinam de Immaculata Conceptione tanquam piam & consonam cultui Ecclesiastico, Fidei Catholicae, ac recte rationi, & sacrae Scripturae ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, & amplectandam. Et quamquam baec non babenda sit tamquam Fidei definitio, quippe Basiliense Concilium evasit in Acepbalum & Scbismaticbum, nibilominus illorum Patrum auctoritati, quo ad punctum praesens nedum defert Natalis ab Alexandro plus ceteris, verum etiam deferunt plerique Tbeologorum, & Concilium Avenionense anno* 1457. *Consensere aliquot Episcoporum decades in Concilio Tridentino, solum quinque dissentientibus, teste Nicolao Lancitio Tom.* 2. *Opuscul. II. Cap.* 13. *qui legit acta ejusdem Concilii, quae asservantur in Castro Sancti Angeli; & ex eisdem colligitur, quod parum absuit, quin communi Patrum calculo definiretur.*

Dili-

Diligentius quaeso studeat Parthenotimus iis, quae sibi affirmanda sunt, ne fucum faciat clientibus suis. Falsum omnino est, quod is scribit, videlicet Basiliense Concilium rem hanc *jussu Eugenii IV.* vocasse ad trutinam. Quo tempore Basiliensis coetus decretum illud confecit, hoc est XV. Kal. Octobris anno 1449. ad paucos contra Eugenium Papam contumaces redactus fuerat; & non solum nullam ipsi Papae obedientiam praestabat, sed eundem exauctorare, Haereticumque declarare ausus jam fuerat. Eugenius vero tunc Generale Concilium, Basileensi irritato, Florentiae agebat. Vide Odoricum Raynaldum in Annalibus Ecclesiast. ad annum 1439. Quare tunc revera decretum Basileensium de Conceptione emanavit, quum ii magis alieni ab Eugenio IV. erant, atque is in illos iratus. Secundo, cum veritate pugnat, *Natalem ab Alexandro illorum Patrum auctoritati, quo ad punctum praesens, detulisse plus ceteris*. Tantum abest, ut Natalis Alexander multum hac in re Basileensibus deferat, ut diserte scribat, ab iis minime definitam quaestionem, sed tantummodo *tamquam Piam* ab iis pronuntiatam fuisse. Et commemoratis decretis in hanc rem Summorum Pontificum, non aliam ait esse *sacrae Facultatis Parisiensis* sententiam, quam quae Concilii Tridentini, & Romanae Ecclesiae; neque ab ea haberi uti Fidei Dogma Conceptionem Immaculatam Deiparae. Tertio, itidem contra Veritatem pugnat, *plerosque Theologorum* deferre hac in re *Concilii Basileensis auctoritati*. Nam quicunque injurii esse nolunt veris Summis Pontificibus, pro Schismatico habent Concilium Basileae temporibus iis congregatum, atque a definitionibus tunc ab eo promulgatis recedentes, conquiescunt in Pontificiis Decretis, quibus universae Ecclesiae hac in re, etiam & Gallicae, religiose obsequuntur. Quarto, *Avenionense Concilium*, quod anno 1457. celebratum dicitur, a Labbeo viro diligentissimo, cui magna Conciliorum Collectionem acceptam referimus, frustra conquisitum fuit; ejusque mentionem tantummodo habemus in Hippolythi Maraccii Libris pro Immaculata Conceptione editis, quos proscripsit sacra Congregatio Romana. Et quamvis etiam germanus sit foetus, non pluris in caussa ista faciendus est, quam ipsa Basileensis Synodus, cujus decretum Ecclesia Romana abjecit, aut correxit. Quinto, neque fidem merentur, quae Parthenotimus, testimonio tantum fretus Lancitii, refert de Tridentino Concilio, quasi *parum absfuerit, quin communi Patrum calculo* sententia Scotistica *definiretur*, & *solum quinque dissensisse*. Certe major fides Cardinali Pallavicino, immortalis nominis Historico, debetur, qui Libro VII.

Cap. VII. Histor. Concil. Tridentin. tradit, nequaquam fuisse disputationem de celebri hac Quaestione tunc dirimenda, sed tantummodo de Formula, qua e decreto *de Peccato Originali* excipienda esset Deipara, intactis de illius Conceptione contrariis sententiis. Quum propositum fuisset *Pie credi*, *Virginem sine Peccato Originali conceptam*, ne hoc quidem tulere *i Vescovi, e gli altri che intervenivano dell'Ordine Domenicano, ed ebbero de' seguaci*. Addit, ex ipsis tribus Legatis Pontificis, *Cardinalem de Monte* additum fuisse sententiae Scotisticae de Conceptione; secundum, idest *Cardinalem Cervinum*, Thomisticae adhaesisse: quae vero tertii sententia foret, sibi incompertum esse.

Denique Parthenotimo pag. 37. tantopere urgendum non erat, quod Gersonius scribit, videlicet: *Beatam Mariam non fuisse conceptam in peccato Originali, de his veritatibus est, quae noviter sunt revelatae, vel declaratae tam per miracula, quae leguntur, quam per majorem partem Ecclesiae, quae hoc modo tenet*. Haec Gersonius in Sermon. de Conceptione. Irascitur autem Theologus noster Du-Pinio affirmanti, Gersonium tantummodo censuisse *Probabilem & Piam Immaculatae Conceptionis sententiam*. Vellet, ut opinor, Theologus noster, persuadere clientibus suis, a Gersonio habitam tanquam Articulum Fidei sententiam de Immunitate originali Deiparae. Etiamsi id credidisset Gersonius, num, rogo, nostris temporibus idem sentire licebit contra Ecclesiae Romanae decreta, e quibus evidenter deducimus, a tam sublimi loco abesse ejusmodi sententiam? Sed neque istud credidit Gersonius, qui in eodem Sermone post pauca addit: *Securius est sic tenere, quam oppositum, contra hoc quod voluerunt dicere aliqui, quod esset haeresis expressa, vel peccatum mortale, contra quos Universitas Parisiensis determinavit*. Idem etiam in Lib. de suscept. human. Christi Verit. XI. tribuit Virgini Conceptionem ab omni labe puram, additque: *Veritas haec Probabilis est & Pia*. Idem repetit in Epistola ad Joannem Bassandi Tom. I. pag. 451. Quid ergo in Du-Pinium hac de caussa invehitur Siculus noster? quum is pura puta Gersonii verba laudarit, atque addiderit & ista ex ejus Conclusionibus impressis Tomi II. Part. II. pag. 187. *Ad Episcopos non spectat propositionem aliquam haereticare, quae ex se, & de jure PENITUS DUBIA EST, an ad Fidem pertineat repugnanter, neque est scandalosa, & potest sine periculo ejus veritas vel falsitas ignorari. Exemplum de istis. Virgo Maria fuit concepta in peccato Originali, & de similibus, quae apud maximos Doctores in Theologia, non corruptos in affectu, vel intellectu, judicantur Probabiles, neque scandalizant,*

neque

neque oportet eas scire ad bene vivendum, vel credendum. Quare nullam heic in Du-Pinio *hallucitationem* invenient Lectores, sed quidem in Theologo nostro, cujus invectivam & rationes contra Editorem Operum Gersonii, atque abusum Gersonianae ipsius sententiae, nihil est quod ultra expendamus.

Atque hisce aut fabulis, aut contortis in alienum sensum Veterum sententiis antea praedicarunt nonnulli, & adhuc, ut vidimus, depraedicant, sententiam praeservationis Virgineae a labe Originali de Probabili, qualem Ecclesia agnoscit, evasisse Certam. Addiderunt & nonnulla Sanctorum Patrum loca, nullo sane delectu, utpote e suppostitiis scriptis petita, aut e veris pessime explicatis, scilicet Sanctorum Cypriani, Hieronymi, Ambrosii, Augustini, Bernardi &c. Exemplum unum dabo. E Libro contra quinque Haereses, quem Augustino multi tribuunt, sed recentiori, antiquissimo tamen, Scriptori tribuendum norunt Eruditi, haec verba desumunt: *Hanc, quam despicis, Manichaee, mater mea est, sed manu fabricata est mea. Si potui inquinari* (Codex Colbertinus *fatigari*) *cum eam facerem, potui inquinari, cum ex ea nascerer. Sicut transitu meo illius non est corrupta Virginitas, sic mea ibi non est maculata majestas. Stulte, unde sordes in Virgine matre, ubi non est concubitus cum homine patre? Unde sordes in ea, quae nec concipiendo libidinem, nec pariendo est passa dolorem? &c. Sicut ille natus est Solus inter mortuos liber, sic istius, ex qua natus est, matris pudor Solus est integer*. Quid virium in oculos internos & externos hominis habeat affectuum aestus, nunquam evidentius, quam ex hoc loco deprehendas. Pro Immaculata Virginis *Conceptione* adfertur, atque heic evidentissime de *Conceptione Christi* sermo est, qui in purissimo Mariae utero conceptus, neque ab ea inquinamenti quidquam retulit, neque ei intulit. Immo contra ipsam Scoti sententiam militat heic locus, dum ratio, quare neque Maria, neque Christus sordes contraxere, quum in utero ejusdem Virginis Verbum Dei caro factum est, illa est toties a Patribus inculcata, quia *nulla libido* interfuit, & nullus cum homine patre *concubitus*, Spiritu Sancto immaculatum illum praeparante foetum: quod de Sancta Anna concipiente Mariam verificari non potest. Et quid quaeso significant verba illa: *Sicut Christus natus est SOLUS inter Mortuos liber, sic Mariae pudor SOLUS est integer?* Habes heic vim vocis *Solus*. Attamen unum superest magni momenti, quo olim nisi sunt non timentes pro Pietate mentiri, ut absolutam Piae ac Probabili sententiae Certitudinem procurarent. Anno, ut vidimus, 1594.

emergere coepit Pseudo-Dextri Chronicon. Anno insequenti 1595. effossa sunt in Hispania in Granatensi agro in Monte, quem deinde Sanctum appellarunt, Corpora, quae dicebantur esse Sanctorum Caecilii primi Granatensium Episcopi, Iscii Tarifensis, ac Thesiphontis Beriensis, discipulorum Sancti Jacobi & Martyrum. Ibi quoque *Laminae* quaedam *plumbeae* effossae, *Arabicis literis exaratae*. Interpretes conquisiti retulere, spectare *Laminas* ad tempora Apostolica, miraque *Mysteria* continere, ibique in primis legi disertam mentionem *Deiparae sine labe Conceptae*. Fatetur Auctor Historiae Conceptionis, universam Hispaniam incredibili laetitia perfusam ex effossione tanti thesauri, & inusitata pompa tunc coeptum celebrari ejusdem Conceptionis Festum. Nimirum vix unus fuit e populo, cui persuasum tandem non fuerit, jam definitam esse controversiam de Virginis Conceptione, certamque jam stare victoriam fautoribus Scotisticae sententiae. Quoniam vero Hispali mussare ausi sunt quidam e Praedicatorum familia contra veritatem ac legitimitatem ejusmodi Laminarum, adversa factio in illos Populum concitavit, aliisque in locis tumultus ac jurgia invaluere. Graviora subsequuta sunt post Annum 1614. nam *eo perducta res est (quod vix postera credant secula) ut sacra Doctoris Angelici imago, per ludibrium vili jumento superposita, per vicos, per fora, per compita, circumducta fuerit, dementi lymphatoque insequente Populo, ac per subsannationem clamitante: Sin peccado Original: sin peccado Original*. Haec Augustinus Le Blanc in Histor. Congregat. de Auxiliis, Lib. 4. cap. 27. qui & fatetur, si plusquam civilia bella, tunc eam ob caussam in Hispania adversus Ordinem Praedicatorum commota, quisquam describenda sumeret, Librum non unum impleret. Atque haec ipsa jurgia & scandala, ut in posterum averterentur, suae prudentiae putavit Gregorius XV. Papa Anno 1622. Praedicatoribus ora prorsus obstruere, uti supra animadvertimus. Redeo ad Laminas Granatenses. Clemens autem VIII. Summus Pontifex certior de hisce factus, liberum quidem fecit Archiepiscopo Granatensi judicare de Corporibus creditis sacris, quod rationi consonum crederet secundum sacros Canones, & decreta Concilii Tridentini; at sibi & Sanctae Sedi judicium reservavit de *Laminis plumbeis*. Nihil hoc obstitit, quominus rem protegente Philippo III. Rege, Laminarum interpretatio evulgata fuerit. Praecipue vero animos bonae & credulae gentis rapuit Concilium Apostolorum (idem puto, quod supra innui) de quo fidem faciebant Laminae, & in quo *Conceptio sine macula* diserte tribuebatur Virgini Deiparae. Proinde non secus ac

monu-

monumenta Canonica, atque e Coelo demissa, haberi coeptae sunt apud Hispanos admirabiles istae Laminae. Et quia clam nonnulli earum fidem in dubium revocabant, *Consalvus Sanchez* palam cum aliis patrocinium illarum suscepit. O quantis erroribus ac insultibus obnoxia foret & ipsa Pietas, nisi nobis dedisset Deus Summos Pontifices & Pastores, quorum sapientia & vigilantia imposturis pravisque doctrinis quotidie occurreret! Et reapse anno 1642. Urbanus VIII. insipientem hunc aestum Hispanicae gentis diutius non ferendum ratus, Bulla promulgata in ipsas Laminas insurrexit, fidemque eis ademit, donec judicium de illis Apostolica Sedes pronunciasset. Adhibitis denique multis arietibus, deductae Romam fuere famosae Laminae, quae acribus ac diuturnis disputationibus aditum aperuerunt, praefracte pro eis pugnante credulitate Hispanorum; ac tandiu protracta lis est, positique tot obices, ut usque ad Pontificatum Innocentii XI. penderit judicium Romanae Ecclesiae. Hic ergo Pontifex, invicti animi vir, & nullius faciem respiciens, Laminas easdem tanquam adulterinas merces, & monumenta malitiose conficta, proscripsit, atque aeternum damnavit: quae sententia incredibilem universae Hispaniae moerorem attulit, quum in Laminis iis triumphum Scotisticae sententiae, & gloriam non modicam suae gentis, antea statuisset. Sed neque his deterritus Carolus II. Rex Archiepiscopum Tranensem Romam ad Pontificem misit, sententiae revisionem implorans; sed constantia ac sapientia Romana hac in re exaudiendum Regem minime censuit.

Erunt, qui haec a me commemorari arbitrabuntur, ut Scotisticae sententiae, ejusque tutoribus invidiam creem. Quibus responsum volo, toties me confessum fuisse, iterumque fateri, sententiam hanc non e Commentis hactenus recensitis, sed e Rationibus, ante eas fraudes per viros doctos excogitatis, Probabilitatem suam, quam & Romani Pontifices agnoscunt, accepisse. Haec autem in medium afferre necesse mihi fuit, quia, ut facile constabit, inde potissimum apud Hispanicam gentem, ac sensim ad Siculos, Hispanis tunc subjectos, manavit persuasio, Certam demum evasisse praerogativam Immunitatis Marianae, ac licere pro ejus tutela occurrere morti, immo & gloriam Martyrii pro ea occumbentibus esse sperandam. Et sane novimus, ineunte Seculo XVII. quo scilicet tempore animos Hispanorum pervasit credulitas, suum peculiare decus esse, suscipere patrocinium Scotisticae Opinionis; quum & Chronica Dextri, Liutprandi, Juliani, aliorumque, de quibus supra fuit sermo, ac Laminae Granatenses

tenses hoc praecipue testarentur; tunc, inquam, commotione incredibili animorum non tantum gentem illam, Pietatis cultricem indefessam, simulque gloriae propriae avidissimam, nihil non tentasse, ut sibi ac aliis persuaderet, in meridiana luce positam jam fuisse hujusmodi controversiam; sed etiam Catholicos Reges pia hac persuasione imbutos, importune apud Romanos Pontifices egisse imposterum, ut Quaestio de Conceptione dirimeretur, & sententiae Scotisticae tandem decerneretur victoria. Quod quum impetrare a Prudentia Romanae Ecclesiae nequiverint, saltem a Paulo V. Gregorio XV. & Alexandro VII. decreta & Bullas retulere, silentium omnino Thomisticae Opinioni, pacis servandae, & scandali vitandi caussa, praecipientes. Iis ergo temporibus, hoc est anno 1615. coeperunt Hispanicae Academiae, fortassis etiam urgente Rege (nam & interdum extorta juramenta testatur Caramuel Theolog. fundament. Tom. I. Fundam. V.) Votum concipere de tuenda sententia, favente Immunitati Virginis, conditione tamen adjecta, decretis Sedis Apostolicae editis ac edendis sese semper conformandi. Tunc etiam auditi in Hispania, qui dicerent, sententiam suam e Probabilitatis finibus transiisse in *Certitudinis*, & quidem *Fidei* regnum. Tunc etiam alii sunt ausi *Martyrii* laureolam polliceri occumbentibus pro ejusdem sententiae tutela. Iisdem quoque temporibus prodiit Liber *Ferdinandi de Salazar*, qui tanta confidentia hoc argumentum pertractavit, ut contortis in suam sententiam Liturgiis & Patribus Graecis ac Latinis, minus eruditae genti non solum propinaverit Certitudinem Conceptionis Immaculatae, sed etiam Virginem a *Debito Peccati Originalis* exemerit; quod facinus infra recurret. Nemo in Hispania tanto torrenti adversari audebat; successit & Decretum Gregorii XV. ora obstruens Thomisticae sententiae propugnatoribus: quare nil mirum, si anno 1624. Panormi quoque, & in aliis Siciliae Urbibus Catholicorum Regum cura, ejusque Ministris adnitentibus, coepta sint emitti Vota pro tutela Scotisticae sententiae, Vitaeque etiam impendendae pro illa. Et ut quisque intelligat, quibus rationibus permoveretur pia gens ad ejusmodi Votum, animum advertant ad verba, quibus est usus Joannes Tellez, Dux Ossunae, Siciliae Prorex, anno 1656. Leguntur ista in Panormo devoto Canonici Mongitoris. Nimirum is vovet ac jurat, se propugnaturum Immaculatam Conceptionem Deiparae, *per essere questo Mistero fondato in più luoghi della Sagra Scrittura, ed autorizzato con la dottrina degli Apostoli, con l'attestazione di quattro Concilj Generali, e di molti altri Provinciali: con l'autorità della Chiesa* *Uni-*

Universale, che ne celebra la Festa: con Decreti de' Sommi Pontefici, che concedono Indulgenze e Grazie speziali a quei, che celebrano e favoriscono questa sì Pia Opinione: co' testimonj de' Padri della Chiesa fin dal tempo degli Apostoli: con particolari Revelazioni, e certe ec. Si revera Apostoli, & Concilia Generalia, & Patres &c. Virginem nobis exhibent Macula Originali carentem: cur dubius quisquam amplius est in amplectenda tam aperta Ecclesiae doctrina? Verum haec quidem sibi videre visi sunt quidam, in Critica arte, ac in Eruditione non satis periti, simulque immoderato affectu huic Sententiae addicti; at nondum vidit Ecclesia Romana, neutri factioni dedita, & in unam Veritatem intenta, melioribusque oculis in Veri ac Falsi, in Certi ac Incerti cognitione semper usa. Cuniam quaeso credendum?

CAPUT XII.

Communis olim Theologorum sententia contraria Scotisticae, Gabrielis Saavedrae temerariae quaedam Conclusiones.



T quid faceret aliquibus in locis Populus, Pietate ac devotione erga Deiparam, uti par est, fervens, quum sibi proponi audiebat Votum dandae ipsius Vitae pro tuenda Scoti sententia, quam ab Apostolis ipsis, a tot Conciliis vel Oecumenicis, a Patribus, ab Ecclesia Universali confirmatam audiebant? Non consuevit Populus, quae Pietatis sunt, in examen adducere, neque ad hoc aptus plerumque est, sed credit, quae sibi a doctis nuntiantur. Praeterea, quando nonnulli e Siculis Sanguinarium Votum emittere coeperunt, jam contrariae sententiae tutoribus indictum fuerat silentium, & obsistere nemo audebat Scotisticae patronis, sub Regio patrocinio quidquid lubebat audentibus, ac praecipue in Regno Hispaniae subjecto, & Regni moderatoribus pro ipsa sententia ad imitationem Regis pugnantibus. Accessit ad ista mirabilis aliorum confidentia, qui nihil veriti sunt, firmissime asseverare, ac edicere Populis, eamdem sententiam canonizatam ab Apostolica Sede jam fuisse: uti constat e Libris Francisci a Sancto Joseph, & Aegidii a Praesentatione. Alii proximam ac imminentem definitionem a Sancta Sede pollicebantur. Videndus hac de re Joannes Antonius Velasquez, qui multos numerat *proximae defini-*

finibilitatis tutores. Eos quoque post Salazarium enumerat Parthenotimus pag. 43. Sed an sint inter eos recensendi Suarez, Valentia, & Vasquez, aliorum erit perpendere. Hoc quidem dicam ego, post tot suppositititia in hanc rem monumenta, quae nuper innuimus, caute procedendum in habenda fide epistolae celeberrimi Theologi Francisci Suarez, quae post ejus mortem prodiisse dicitur. Alteram quoque Joannis Caramuelis Episcopi Viglevanensis Parthenotimus ipse pag. 27. commemorat, in qua is, licet in editis scriptis alienus a Certitudine sententiae Scotisticae, dixisse fertur: *in defensionem Immaculatae Conceptionis Sanguinem se libenter fusurum, & quamquam ad id sustinendum sibi deficeret Pietas, adigeret tamen naturalis amor in Matrem sui Dei*. Quae postrema verba inter se conciliare nondum potui. Illud contra certum est, si quando Ecclesia absolutum examen suscipere velit celeberrimae hujus Quaestionis, subeundum illi esse non levem laborem in discernendo, quae fuerit mens, non dicam Sanctorum Patrum, sed veterum Theologorum, quum tot tenebras in hanc rem disputatores advexerint, ut quid eligere parum periti debeant aut possint, jam nesciant. Nam unius sententiae pugiles arguunt alterius fautores, quasi textus antiquorum corruperint; ac nobis complures ex iisdem vetustis Theologis nunc exhibentur veluti contraria sibi docuisse; ac praecipue Sanctus Thomas, quem Petrus de Alva, & Joannes Ludovicus Schonleben, pro Immaculata Conceptione stetisse enixe contendunt, quum praeteritis Seculis semper Theologi crediderint, & adhuc meliores credant, ipsum apertissime in contraria sententia fuisse. Quod etiam omnium admirationem poscit: usque ad tempora Scoti nemo negavit, quin *sententia Communis* Scholarum *Sanctificationem* quidem Virginis in utero admitteret, *Conceptionem* vero *sine labe* negaret. Sanctus Bonaventura, quem nemo nisi in meridie caecutiens inficias ierit, quin Immaculatae Conceptionis sententiae fuerit adversatus, in 3. Dist. 3. art. 1. quaest. 2. scripsit: *Omnes fere illud tenent, quod Beata Virgo habuerit Originale*. Et infra: *Nullus invenitur dixisse de his, quos audivimus auribus nostris, Virginem Mariam a Peccato Originali fuisse immunem*. Haec Sanctus Doctor, Sancto Thomae Aquinati Synchronus. Immo & ipse Scotus circiter annum 1305. in 3. Dist. 3. *Communem* fassus est usque ad ea tempora sententiam Immunitati Marianae contrariam. Quam veritatem etiam agnovere ex antiquis Alvarus Pelagius Episcopus Silvensis, Philippus Faber, & Franciscus Pitignanus, omnes Minoritae, Baptista Mantuanus Carmelita, & ex recentioribus Franciscus Suarez,

Ga-

Gabriel Vasquez, Salmanticenses Theologi, Cordova, a Paramo, Salmeron, Palacius, & Marsilius, ut alios omittam, *Communem* appellantes Thomisticam de Conceptione Opinionem. Et nihilo minus emersere Seculo XVII. qui ita paginas miscuerunt, ut persuadere Orbi voluerint, eosdem veteres Theologos, ipsosque Sanctos Anselmum, Bonaventuram, Thomam &c. oppositam plane docuisse sententiam. Jam vidimus, non defuisse in Hispania (melioribus certe repugnantibus) qui se non adversari, sed favere Religioni temere censuerunt, quum tot Concilia, Historias, aliaque monumenta confinxere, quibus Populo persuaderetur tanquam certa eorum Opinio. Nil mirum foret, si Suaresio quoque jam vita functo supposita fuisset Epistola, ut eximium Theologum in censum suorum pugilum ii aliqua ratione pertraherent. Alia certe opinio fuit, ut Eruditi norunt, alteri ejusdem Societatis Theologo, & quidem emunctioris naris, neque minoris nominis viro, *Joanni* scilicet *Maldonato*. Mihi temperare non possum, quin aliquot ejus verba adferam, a Richardo Simone memorata Tom. I. Epist. 27. *Quisquis* (ajebat Maldonatus) *composuit Breviarium illud brevissimum Quignoni* (Cardinalis Hispani), *fecit Lectionem unam conflatam ex testimoniis veterum Auctorum, ut persuaderet, omnes sensisse, Beatam Virginem fuisse conceptam sine Peccato Originali. Quod profecto fuit hominis impudentissimi, quum nemo eorum Auctorum, quos citat, ita senserit; & quod amplius est, non poterat ignorare, D. Thomam esse in contraria sententia; tamen voluit nobis persuadere, etiam illum ita sensisse: quod non est bonam caussam bene agere, sed prodere.*

En quibus commoti fuerint multi ad credendam Scoti de Conceptione Opinionem, non tantummodo Probabilem & Piam, qualem nunc quisque agnoscit, aut magis Piam ac Probabilem Thomistica, quod & eximii viri credunt; sed etiam Certam, quum non deessent audaces Theologi, qui Scotisticae tribuerent Certitudinem, si Superis placet, *Physicam*, *Metaphysicam*, & *Moralem*. Quousque tamen progressa fuerit in hocce negotio nonnullorum licentia, ne dicam temeritas, satis nondum perspexere Lectores. Juvabit ergo Libellum *Andreae Mendo*, Mediolani anno 1673. impressum, de quo supra mihi fuit sermo, rursus in scenam adducere. Ibi Cap. IX. pag. 66. Auctor ille, ut animos adhuc reluctantium gravissimo ariete prosternat, eorum oculos ferit Conclusionibus quibusdam a *Gabrielle Saavedra*, Ordinis Beatae Mariae de Mercede, ut is ait, editis in Libro, cui titulus *Sacra Deipara*, Disput. 17. num. 312. Iste Saavedra unus est

e Theologis, quos Theologus noster Siculus pag. 44. laudat, uti plaudentes imaginario *Martyrio* occumbentium pro Immaculata Conceptione: quod Lectoribus animadvertendum est, ut discant, quam egregiis Scriptoribus Parthenotimus caussam vitae nostrae commendet. Prima Saavedrae Conclusio est: *Asserimus, de potentia absoluta sacram Deiparam maculari non posse Originali Peccato*. Ita ille, cujus sententiam horreat quisquis vel rudimenta Theologiae delibavit. Si enim, ut verba sonant, de absoluta Dei potentia heic agitur, blasphemiam habes, aut certe Conclusionem temeritate scatentem; quam non miror excidisse homini illi prae devotione furenti; miror ab aliis placide exceptam, & in sinu Ecclesiae, nemine contradicente, rursus typis in Italia editam ac propagatam. Alteram Conclusionem accipe: *Immaculata sacrae Deiparae Conceptio evidenter est credibilis (tametsi remote) Fide Divina*. Cerebrum sane hominis supra modum audacis, qui adversus notissimas Summorum Pontificum Bullas novum Dogma Fidei obtrudere nobis molitur; atque uno *tametsi remote* sperat audaciam suam ereptum iri censurae. At pejora continet Tertia Conclusio hisce verbis expressa: *Piissima sententia ab Originali Macula Virginem purissimam praeservans, his nostris temporibus ita est vera, ut nullo modo a parte rei possit esse falsa*. Ad ista fremat oportet, quicunque Romanae Ecclesiae jura intuetur heic impudentissime conculcata. Sibi judicium de Quaestione Conceptionis Marianae Pontifices Maximi reservarunt, exploratumque est, illos judicare posse tam pro una, quam pro altera sententia, pro ut eorum sapientia, eruditio, ac unius Veritatis studium exiget. Qui vovent tutelam Scotisticae sententiae, ut vidimus, conditionem semper apponunt, seu subintelligunt, salvam nempe semper se velle auctoritatem Ecclesiae Romanae, & decreta per eam edenda. Neque diffitetur Parthenotimus possibilem sententiam ejusdem Sanctae Sedis pro Thomistica Opinione. At ecce nunc Theologastrum, qui ita *Piissimam* Scoti Opinionem esse *Veram* edicit, ut *nullo modo* possit in se ipsa *esse falsa*, libertatemque Ecclesiae in judicando de hac re impugnat. Et quid, quaeso (ut hoc ipsum innuam) est illud *his nostris temporibus ita est vera*, quasi in Ecclesia Dei aliquid nunc verum esse possit ad Fidei doctrinam pertinens, quod elapsis quoque Seculis verum non fuerit? Profecto illud Verum ac Certum de Conceptione Virginis erit aliquando nobis, quod Romanus Pontifex e Cathedra Petri credendum docebit, non quod nunc e Cathedra sua privati homines temere statuunt.

Quar-

Quarta Saavedrae Conclusio: *Probabile est, Ecclesiam jam determinasse, piam sententiam ita esse veram, ut a parte rei falsa esse non possit, idque implicite, & virtualiter saltem.* Non probabile tantum est, sed certum, Scriptorem hunc sibi atque auditoribus suis nimium illudere. Nam vel puer intelligat, Ecclesiam ab hujusmodi determinatione abstinuisse, ac voluisse abstinere, quando Romani Pontifices a Sixto IV. usque ad Alexandrum VII. non *implicite*, neque *virtualiter*, sed disertis verbis judicium sibi reservant de Veritate utriusque sententiae, ac utramque argui falsitatis ac erroris vetant. Quinta Saavedrae Conclusio haec habet: *Dicendum igitur est, piissimam sententiam per Sedem Apostolicam posse definiri, declarari, & proponi Ecclesiae Fide Divina credendam.* Id hercle certissimum, si tamen eadem Sancta Sedes deprehendet, Scotisticam sententiam aut niti auctoritate divinae Scripturae, sive quod ibi sit expressa, sive quod ex ipsa fluat per ineluctabilem argumentationem; aut e divina Revelatione nobis in Traditione Sanctorum Patrum servata descendere. Nam ubi utrunque desit, rem indecisam, incertamque relinquet, uti relinquit tot alias Theologicas Quaestiones a Scholasticis jamdiu agitatas. Immo si Litteras sacras, aut unanimem Traditionem Patrum militare pro opposita sententia agnosceret, pro ista & non pro illa judicaret. Sexta Saavedrae Conclusio: *Asserendum omnino est, ex eo quod veritas aliqua sit Proxime definibilis ab Ecclesia, Necessario inferri, tum illam jam esse Revelatam a Deo, tum esse de Fide priori modo ex illis, quos explicuimus;* idest esse objectum Fidei divinae iis, quibus sufficienter videatur Revelata a Deo, etsi nondum ut talis proposita ab Ecclesia. Nemo sapiens non doleat, per temeraria haec somnia a vigilantibus somniata fucum fieri nimium incautae & credulae genti. Quis enim Scriptori huic revelavit, veritatem Immaculatae Conceptionis esse *proxime definibilem ab Ecclesia?* Jam fluxere centum & ultra anni, ex quo confidentia aliquot Hispanicorum sibi ac aliis ejusmodi definitionem pollicebatur, in Laminis nimirum Granatensibus, in Flaviis Dextris, Liutprandis, aliisque id genus monumentis spuriis, aut potius in omnipotentia Regum suorum sua spe collocata. Verum sapientia Romanorum Pontificum id semper respondit, quod in Epistola Gregorii XV. anno 1622. hac de re ad Catholicum Regem scripta legimus: *Magnum sane pondus apud nos habuere preces Majestatis vestrae: saepe etiam ac saepe accurate perpendimus rem tanti momenti, desiderio ducti gratum aliquid faciendi vobis ac Regnis vestris.* Tum addit: *Cum nondum aeterna Sapientia Ecclesiae suae tanti Mysterii pe-*

netralia patefecerit, *in Dei*, *Romanorumque Pontificum auctoritate debent Fideles conquiescere*. Nos serius nati jam vidimus, quo abierit tantopere illa promissa a divinatoribus Hispanis *proxima definitio*. Et nihilominus e tam ruinoso supposito secundum illos, *Necessario* consequebatur, Scotisticam Sententiam esse jam *Revelatam a Deo*, ac posse ab ejus propugnatoribus credi illam *esse de Fide*. Quare quisnam in Saavedra, ut mitissime loquar, Prudentiam non desideret, sine qua Theologum agere res plena periculi semper fuit ac erit?

Septima illius Conclusio: *Piissima sententia probabiliter jam Ecclesiae est revelata*. Mitto inscitiam hominis, qui sibi ac aliis persuadere videtur, aliquid novi ad Dogma pertinens nunc a Deo revelari. Notum est, aliam esse Theologorum, immo totius Ecclesiae Catholicae sententiam. Id tantum Ecclesia nobis credendum proponit, quod olim Deus Prophetis ac Apostolis revelavit, & ad nos usque sive per divinas Scripturas, sive per Traditionem & scripta Patrum pervenit. Quod si in neutro ex hisce Libris revelatum aliquid apparet, nequaquam Ecclesia petit a Deo, ut quae olim non revelavit, nunc revelet; sed humili tantum fronte agnoscit, Deum sibi reservasse scientiam illius Veritatis, neque illam esse e Veritatibus, quae necessarium aut utile sit Fidelibus certo tenere ac credere. Ceterum Conclusio ista in manifestam Apostolicae Sedis contumeliam vergit. Si enim *piissima sententia jam revelata est Ecclesiae*, eamque Fidelibus proponere Ecclesia negat, quamvis tot Regum & Populorum in Hispania degentium precibus fatigata: quid aliud hinc inferat Populus, nisi Romanos Pontifices aut ex incuria, aut ex Pietatis defectu, aut alio aliquo parum laudabili consilio, distulisse hactenus proponere Revelationem, quam eis notam audaces ii Theologi arbitrantur? Temere etiam hoc pronuntiari intelligas, quum nuper viderimus, Gregorium XV. disertis verbis scripsisse, *nondum aeternam Sapientiam Ecclesiae suae tanti Mysterii penetralia patefecisse*. Et quid quaeso deinde aut rationum, aut monumentorum attulere Theologi, ut eadem penetralia reserata tandem Ecclesia agnoverit? Octava Conclusio: *Probabile est*, *in sensu literali Immaculatam Conceptionem contineri in sacra Scriptura*. Nona: *Non desunt in Novo Testamento testimonia*, *quae videntur probabiliter in sensu literali Immaculatam Conceptionem sacrae Deiparae continere*. An ita se res habeat, tum certo sciemus, quum de Quaestione hac definitivum Apostolicae Sedis judicium prodibit. Decima Saavedrae Conclusio: *Dicendum est*, *si pia sententia est jam Revelata*, *non esse improbabile asserere*, *quod etiamsi Immaculatae Virgi-*

nis

nis Conceptio neque sit ab Ecclesia definita, neque sufficienter Fidelibus ad credendum cum obligatione inducente assensum supernaturalem Fidei proposita, & explicata, formaliter loquendo est fidei objectum. Utique sapientes mirari non poterunt hominem adeo intrepide superaedificantem super praemissis patentissime falsis. Ecquando enim *pia sententia est jam Revelata*, ut *Fidei objectum* evasisse potuerit? Atque haec ingenia sunt, qui Certitudinem Scotisticae sententiae confirmandam ac depraedicandam sumsere. Undecima: *Dicendum existimo, quod si Angelicus Doctor, fulgentissimus Sol, vivens nunc lampade phoebea cunctas illustraret Ecclesias, PROCUL DUBIO amplecteretur ultroneus sententiam piissimam.* At quis tantam huic confidentiam fecit, ut *procul dubio* hoc futurum affirmet? Tot millia doctorum hominum nunc vivunt, qui Thomae Aquinatis se discipulos profitentur, iique nondum Scotisticae adhaesere sententiae. Et numquid *fulgentissimus* ille *Sol* eclipsim patiebatur, quum oppositam sententiam tenuit & docuit? Sed haec somnia missa faciamus, ut culmen Saavedranae doctrinae attingamus: Duodecima illius Conclusio est: *Dico primo, qui Sanguinem & Vitam profunderet, ut assereret, Ecclesiam Catholicam pie & religiose servare, & celebrare Festum Conceptionis Immaculatae, & nullo falso cultu illud Fidelibus celebrandum proponere; piumque esse, & Catholicum, & sacris Litteris, & Sanctorum testimoniis nullatenus dissonum; sed potius consentaneum valde & conforme, illam praedicare & defendere: vere esset Martyr.* Nemo Catholicorum non amplectatur Conclusionem istam; & ego in primis amplector. Attamen quia immixta sunt nonnulla, quae lucem poscunt, hanc ego adjiciam. Qui Sanguinem daret pro afferenda auctoritate Ecclesiae in Festis diebus indicendis, & obligatione Fidelium de iis observandis, quae sub praecepto indicuntur, Martyr foret, quia pro Dogmate Ecclesiae tuendo mortem subiret. Verum quod est ad objectum Festorum, cum distinctione procedendum est. Festi dies, quibus aliquod Mysterium, aut factum, revelatum a Deo in Scripturis divinis, aut in Traditione Patrum, a nobis celebratur, objectum habet divina Fide credendum: exempli gratia dies Resurrectionis, Natalis, Ascensionis, Corporis Domini &c. aut dies Annunciationis, Nativitatis, Purificationis, Desponsationis &c. Beatissimae Virginis, aut dies Apostolorum, Angelorum &c. At quod est ad dies Festos Sanctorum, quos veneramur non e Revelatione Dei, sed ex Constitutione Ecclesiae, earum quidem objectum Summe Pium, ac Religiosum est, & ad disciplinam Ecclesiae pertinet, quam violare Peccatum est, non tamen ad Fidei Dogma spe-

ctat,

ctat, neque divina Fide credendum est. Non enim divina Fide credere jubemur, tot Sanctos a singularium Ecclesiarum Pietate cultos, quorum festum ac Officium Ecclesia probat, singulos in coelis regnare cum Christo. Et ii concluduntur in amplissimo Regno Pietatis Opinativae: multumque falleretur, qui ex quo eorum festivitas celebratur, Fide supernaturali credendum putaret, eos in Coelum receptos, non secus ac Sancti, nobis e Sacris Litteris noti. Nunquam vero in his Festis praescribendis aut probandis Ecclesia fallitur, quia Sanctorum cultus terminatur in Deum, ac propterea quum affectus noster in Deum & tunc feratur, falsus esse non potest. Porro ad Festum Conceptionis Marianae quod attinet, jam diximus, ex eo nihil evinci posse ad dignoscendum, fuerit ne, an non, Virgo exemta ab originali peccato, quum *apud nos etiam*, uti inquit Cardinalis Bellarminus Lib. III. Cap. 16. de Cultu Sanctorum, *non sit Certum, an Beata Virgo sine peccato Originali concepta fuerit: Ecclesia enim utramque Opinionem permittit; & fundamentum hujus festi praecipuum non est Conceptio Immaculata, sed simpliciter Conceptio Matris Dei futurae: & hoc Festum etiam illi celebrant, qui putant Virginem in peccato conceptam*. Denique si licet, sub nomine hujus Festi *Praeservationem* Virginis celebrare ex Pietate Opinativa; licet etiam aliis *Sanctificationem* Virginis sub eodem nomine celebrare; neque enim hoc interdixit Bulla Alexandri VII. Illudit tamen Saavedra in Conclusione ista Lectoribus suis, venditando, *servari ac celebrari a nobis Festum Conceptionis Immaculatae*, quum e decretis Romanorum Pontificum nihil aliud celebremus nisi *Festum Conceptionis Mariae*. Quare conclusio haec circumspecte accipienda, & certe non ad omnia, quae is persuadere nobis voluit, extenditur spes & nomen *Martyrii* in tuendo Festo ejusdem Conceptionis.

Ultima Saavedrae Conclusio superest, hisce concepta verbis: *Dico Secundo: Qui mortem occumberet pro asserenda Immaculata Conceptione, sumta solum ut est VERITAS SPECULATIVA, & ut praescindit a praxi, quam prima Conclusione explicuimus, vere esset Martyr*. Intactam liceat mihi relinquere Conclusionem istam. In eam quippe infra conferta acie invadam. Interea animadvertisse juverit, unde apud quosdam Hispanos, & apud alios Hispanis fidentes processerit Opinio, sive Persuasio *Certitudinis* Scotisticae de Conceptione sententiae, quam Piam tantum ac Probabilem cum Romana Ecclesia ceteri agnoscunt, & ego in primis: Hoc est, e supposititiis monumentis, quorum fidem diu in Hispania pervicacissime tutati sunt, qui

suae

ſuae factionis & patriae gloriam amori Veritatis praeferebant; e Patrum locis, quae *falſis interpretationibus, & alienis ab eorum mente*, uti Petavius animadvertit, in ſuam rem detorſerunt; denique a mirabili nonnullorum confidentia, venditantium incauto Populo eam ſententiam veluti doctrinam Fidei, *& proxime definibilem*, contemta interim auctoritate Eccleſiae Romanae, quae ſecus hactenus judicavit, contemto quoque exemplo Academiarum, voventium quidem tutelam ejuſdem ſententiae, ſed *ſecundum decreta Summorum Pontificum edita, atque edenda:* qua formula aperte ſignificarunt debitam Fidelium promtitudinem ad deponendam ejuſmodi ſententiam, illiuſque tutelam, ſi pro oppoſita aliquando ſtaret Apoſtolicae Sedis judicium. Quid plura? Teſte ipſo Parthenotimo pag. 5. Viennenſis Academia coacta a Ferdinando III. Romanorum Imperatore vovere tutelam Immunitatis Marianae, vovit ac juravit, *Donec aliter a Sancta Sede Apoſtolica definitum fuerit*. Quamobrem nil ultra requiri puto, ut demum intelligamus, Intrinſecam, veramque *Certitudinem* in Scotiſtica ſententia deſiderari, neque *Perſuaſionem* iſtius *Certitudinis* niti bonis tabulis; ac propterea nihil a Parthenotimo hactenus adductum fuiſſe, quo temeritas morientium pro tuenda Immaculata Virginis Conceptione excuſari queat. Quod ſi Parthenotimus auctoritatem heic adhibet eximii Theologi Franciſci Suarez aſſerentis ſufficientia motiva haberi ad definiendam de Fide Scotiſticam ſententiam: norit Lector, magnum illum quoque Virum non ſatis heic ſibi caviſſe aut ab exuberantia affectus, aut a nimia credulitate. Nam eo ipſo in loco, quem Parthenotimus laudat, ſcribit de eadem ſententia referenda in album Dogmatum: *Quia ſaepe in Scriptura indicata eſt, ut vidimus, deinde ab antiquiſſimis Patribus, & (ut credimus) etiam ab Apoſtilis* (hoc eſt a falſiſſimis Laminis Granatenſibus, a Pſeudo-Dextro, aliiſque commentis Hiſpanicae eruditionis) *eſt tradita*. Supra etiam vidimus, Parthenotimum objeciſſe nobis auctoritatem Joannis de Cardenas, tribuentis Scotiſticae ſententiae *Certitudinem Moralem, Phyſicam, & Metaphyſicam*. At Cardenas & ipſe ex illis eſt, quibus fucum fecere famoſae eaedem Laminae Granatenſes, & tot Pſeudo-Chronica in Hiſpaniis edita: quod evincunt illius verba. Quum enim Caramuel haec de controverſia Marianae Conceptionis ſcripſiſſet: *Videtur non fuiſſe tacta a Patribus ante quingentos annos:* Cardenas reſpondet: *Haec periodus multa continet certo falſa. Ex Apologia enim Petri de Hoieda, & ex P. Nierembergio in Tract. de objecto Feſti Conceptionis, & ex P. Granado Tract. de Conceptione, & ex multis aliis ſatis clare conſtat,*

ftat, fere ab INITIO NASCENTIS ECCLESIAE, non Controverſiam, ſed pacificam Aſſertionem in ſinu veterum Patrum natam eſſe. Quaere nunc monumenta, e quibus haurias, vel *ab initio Eccleſiae* Immaculatae Conceptionis ſententiam pacificum curſum inter Chriſtianos obtinuiſſe. NULLUM aliud occurret, niſi Granatenſes impoſturae, & ſuppoſiticia Dextri, Liutprandi, aliorumque ejuſdem furfuris ſcripta. His autem poſitis, ad criſim tandem veniamus Voti Sanguinarii, quod *magnanimum Votum* a Parthenotimo appellatur, mihi vero Votum a Ratione Abſonum, Temerarium, ac Intolerandum creditur.

CAPUT XIII.

Votum Sanguinarium contra leges Prudentiae ſuſceptum. Neque ei Probabilitas ſuffragatur. Neque Pietas Opinativa, quae ipſi ineſt. Quid Pie aliquid credere ſignificet.

DICO primo: *Imprudenter ac temere emitti Votum de Sanguine fundendo pro tuenda Sententia, aſſerente ſine labe originali Sanctiſſimam Virginem. Et qui pro tuenda Veritate hujus ſententiae ultro moreretur, a Peccato immunem minime futurum.* Et manifeſta ratio eſt, quia adverſus Prudentiae leges homo operatur, qui Bonum Certum, & quidem maximi pretii, quale eſt Vita hominis, commutare vult cum Bono Incerto, quale eſt Opinio Scotiſtica. Ex quo enim, ut vidimus, ſententia haec nemini ita Certa eſſe poteſt, ut omnem formidinem Erroris ac Falſi prudenter excludat, quum adhuc Incertum dubiumque ſit, quale futurum de ea ſit judicium Eccleſiae; quumque Parthenotimus ipſe agnoſcat pag. 55. poſſe contingere, ut definiente ſummo Pontifice, *deprehendatur Veritas, & haec ſit in ſententia Piae contraria:* Scotiſtica eadem ſententia conſequenter adhuc conſtricta ſit oportet inter limites *Opinionum*, pro quibus tuendis eligere mortem idem Parthenotimus nefas judicavit, ſcribens pag. 18. *Quis unquam ſomniavit prò incerta Opinione fas eſſe jugulum offerre carnifici?* Praeterea fatetur idem Siculus pag. 71. conſuetudinem Academiarum, & reliquorum voventium tutelam Immaculatae Conceptionis, conditionatam ſemper eſſe, quum tacite aut expreſſe tutelam ejuſmodi polliceantur

juxta

juxta Summorum Pontificum Decreta, jam edita, aut deinceps edenda. Et ſane apud Mongitorem Tom. I. Cap. IX. Panormi devoti Votum Martini de Leon Archiepiſcopi Panormitani Anno 1655. conceptum legitur, *ſalvis ſemper ſanctae Catholicae Romanae Eccleſiae approbatione, cenſura, & judicio inerranti.* Ita Votum Franciſci Oſorii Epiſcopi Cephaludenſis & Siciliae Proregis haec habet: *Per quanto mel permette la Santa Catolica Romana Chieſa.* Votum quoque Martini de Redin Proregis Siciliae Anno 1656. conditionem iſtam apponit: *Suggettandolo però tutto alla cenſura e determinazione della Santa Chieſa.* Votum pariter Franciſci Cardinalis de Judice Proregis Siciliae Anno 1702. haec addit: *Conformando nos con las declarationes decretos, y conſtitutiones Apoſtolicas, que pudieren determinarſe en eſte punto.* Denique Votum Canonicorum Cathedralis Panormitanae clauſulam hanc praefert. *Juxta decreta ſummorum Pontificum jam edita, aut deinceps edenda.* Clauſulae iſtae, quae aut adduntur, aut ſubintelligi debent in omnium Votis pro tutela Scotiſticae Sententiae ſuſceptis, nemo non agnoſcit quid ſignificent. Scilicet agi de tuenda ſententia, quae Pie creditur Vera, ſed minime Certum iis eſt, an re ipſa ſit Vera, quum Voventium animus (uti decet ac neceſſe eſt) paratus ſit ad mutandam Opinionem, quoties Sanctae Sedis judicio decerneretur, Veritatem ſtare in Thomiſtica Opinione contraria. Num Certum ac Evidens a parte rei aliquid eſſe poteſt, quod cras Romana Eccleſia Falſum deprehendere poterit? Quare quantumcunque Certa alicui videri poſſit Immunitas Mariana, Certitudo illa aliud eſſe nequit, niſi *Certitudo Subjectiva & Perſuaſionis*, cui ex omnium conſenſu poteſt tam Verum ſubeſſe, quam Falſum. *Perſuaſio* autem iſta vim quidem interdum habet excuſandi hominem, & Deo etiam gratum faciendi, dum pro ſententia, quae non ſpectat ad Fidem, ſed is Ignorantia aut Errore invincibili ductus, ſpectare ad Fidem certo ſibi perſuadet, mortem oppetit. At in caſu noſtro Ignorantia aut Error Invincibilis adferri non poteſt, ſed quidem tantummodo vincibilis, ac proinde ineptus ad excuſandam temeritatem & crimen. Quum nempe nulli e doctis viris ignotum ſit, Eccleſiam, cui noſtram mentem in omnibus conformare debemus, quanquam ſit probe conſcia rationum hinc inde militantium in Quaeſtione de Conceptione, nullam tamen hactenus *Certitudinem* agnoviſſe in ſententia Scotiſtica, immo ſibi judicium de ea reſervaſſe, ita ut temere agere, quicumque contenderet, pro hac una, & non etiam pro altera, Pontifices Maximos definitivum decretum pronuntiare poſſe.

Contra: Certum ac Evidens Bonum est hominis Vita idque eximium: qua de re nemo dubitat, aut dubitare potest. Est etiam inter leges non solum Religionis Christianae, sed & Naturae, ut quisque suam Vitam conservet; ac proinde gravissimum crimen est, eam sponte perfundere sine gravi ac legitima caussa. Peccatur nempe eo casu contra Caritatem, quae praecipit amorem & conservationem individui nostri; peccatur contra Justitiam, quae respicit Deum. Non enim nos Corporis ac Vitae nostrae domini sumus, sed Deus. Ut quid ergo id quod nostrum non est, sed Dei, Deo minime praecipiente, neque Ecclesia, divinae Mentis interprete, illud probante, perdere quisquam audeat arbitrio suo? Et fortassis pro Errore, hoc est pro tuenda sententia, quae ut ut ille sibi persuadeat continere Verum, potest tamen continere & Falsum? Neque heic ullus Probabilismi privilegiis locus, aut usus relinquitur. Nam Probabilis quidem est sententia Scotistica, eamque consequenter & licet, & laudabile est scriptis ac voce tueri. At minime Probabile est, licere mori ob tutelam ejusdem sententiae. Haec duo omnino diversa sunt, neque confundenda. Fingamus tamen, aliquam Probabilitatem Sanguinariae huic Opinioni ab extrinseca paucorum auctoritate accedere; at tunc animadvertendum, etiamsi statuamus, licere sequi in praxi Opinionem minus Probabilem in concursu Probabilioris, & tutioris (quod alii negant): ubi tamen agitur de re magni momenti, & ex qua in Religionem, aut in Rempublicam, non levia incommoda sive pericula manare queunt, uti est in Sacramentis conferendis, in medendo ex officio aegris, in judicando ex officio de Vita ac fortunis hominum, in amplectenda Religione vera, in permittenda famulis occulta compensatione: tunc ab Ecclesia jubemur sequi Opinionem tutiorem ac Probabiliorem. At quis nescit, temporalium rerum gravissimam esse hominum Vitam? Exigit ergo cura ipsius, ut in praxi tutiorem ac Probabiliorem sententiam pro conservando pretioso hoc bono praeferamus minus Probabili. Et si quis in oppositum nitatur, uti jam confixae fuere a Romanis Pontificibus Propositiones, a quibus in magni ponderis negotia Probabilismi licentia ingerebatur, ita exspectandum erit & Opinioni Sanguinariae nigrum theta ab eadem Apostolica Sede. Nam ubi moriaris caussa propugnandae Scotisticae Sententiae, si forte haec Errorem complecteretur, nemo non videt, mortem tuam nihil operaturam, ut sententia illa Vera fiat, Veritatemque, qua caret, per Sanguinem tuum accipiat. Cur ergo rem adeo pretiosam projicis, ut nihil consequare? Quod si aliquando, Sancta Sede decernen-

ſente, *deprehenderetur ſtare Veritas in ſententia Piae oppoſita*, (quod uti poſſibile Parthenotimus ipſe agnoſcit pag. 55.) quis imprudentiae ſummae ac temeritatis illos non arceſſeret, qui nimium ſuo fidentes cerebro, atque inconſulto zelo pertracti, ſententiam nolentes exſpectare Eccleſiae Romanae, pro Opinione, quam ſibi temere Certam perſuaſerant, tormenta ac mortem ſuſtinuiſſent? Ergo occurendum mature improvido paucorum conſilio, qui ſine Dei aut Eccleſiae commendatione praefracte volunt, ut credatur Verum ac Certum, quod ipſamet Eccleſia pro Incerto adhuc tenet, & cui Falſum ſubeſſe poteſt; & bene collocatum ſuae Vitae Bonum, illudque Certiſſimum putant pro ejuſmodi adhuc Incerta ſententia.

Secundo dico: *Imprudenter ac temere concipi Votum de Morte ſubeunda pro Pietate, quae ineſt actui Opinativo de Immaculata Virginis Conceptione; & qui hoc titulo moreretur, expertem peccati apud Deum minime futurum.* Aſpectu primo vix intelligatur, cur Concluſionem iſtam poſuerim, quum ſtatim haec menti occurrant. Teſte ipſo Alexandro VII. *Pia* eſt ſententia Scotiſtica; ergo Certa eſt *Pietas* huic ſententiae inhaerens, & conſequenter pro re *Certa* daret Vitam, qui non pro *Veritate*, ſed pro *Pietate* ejuſdem Mortem eligeret. At heic non levis aequivocatio latet. Neceſſarium autem, nedum utile eſt, diligentius repetere, quod ſupra innui, ſcilicet duplex genus *Pietatis* in Eccleſia dari. Primum complectitur *Pietatem Intrinſecam*, eam videlicet, quae conjuncta eſt cum certo Revelatis a Deo, ſive univerſalibus, ſive ſingularibus, nobis a divina Scriptura, aut a Traditione Patrum per Ecclaſiam notificatis. Ex quo Veriſſima ac Certiſſima *intrinſece*, atque ex parte rei haec ſunt, *intrinſece* ſunt etiam *Pia*. Pietas enim in iis cum Veritate identificatur. Ita omnia Fidei dogmata, Sacramenta, Virtutum actus &c. *Pia*, atque ita *Pia* ſunt, ut nihil Erroris aut Falſi ſpectata in ſe, & cum debitis circumſtantiis, ſecundum teſtimonium Dei & Eccleſiae continere poſſint. Alterum genus *Pietatem Opinativam* complectitur, eam nimirum, quae in *Perſuaſione* hominum conſiſtit, eorum videlicet, qui prudenter credunt, aliquid ſpectare ad Dei cultum & honorem, ſive ad Veritates Religionis ſanctiſſimae, minime interveniente Revelatione divina per Eccleſiam nobis propoſita, ſed rationibus tantum Veriſimilibus ac Probabilibus, quae ſufficientes prudenti homini videantur, ut *Pia* illa res, ſive ſententia credatur, ac Deo grata & ab Eccleſia probata, aut ſaltem non improbata. Univerſale axioma eſt, colendos Sanctos, venerandas eorum Reliquias. Heic habes *Intrinſecam Pietatem*, quia dog-

ma Fidei eſt. At quum ad ſingularia venimus, quae neutiquam a Revelatione Dei pendent, ſuccedit *Pietas Opinativa*. Plurimi re ipſa Sancti numerantur, quorum Sanctitas neque ex Sacris Litteris, neque ex Apoſtolica Traditione, nobis innoteſcit, neque dici jure poteſt in univerſali propoſitione revelata; ſed tantummodo ad nos deſcendit ex antiquiſſimo Populi judicio, qui olim eos in Sanctorum catalogum invexit. Hos etiam venerari, hiſce etiam nos commendare, ut Deum pro nobis orent, aequum & laudabile eſt. Idque actus *Pietatis* merito dicitur, non *Intrinſecae* quidem, quia objectum in caſu iſto ad Fidem non ſpectat, utpote nequaquam Revelatum a Deo; ſed *Opinativae*, quum nobis non deſint motiva, prudentem animum moventia ad exiſtimandum, illorum animas in Coelum receptas, idoneaſque ad exorandum Deum pro nobis. Idem dicas de tot Reliquiis, quas *Pie*, hoc eſt *Probabiliter* pertinere credimus ad hos illoſve Sanctos; de tot Miraculis, aliiſque innumeris in Hiſtoria Eccleſiaſtica narratis; denique de tot ſententiis etiam contrariis, quae in Scholaſtica Theologia extra Dogmata Fidei quotidie agitantur. Quo plus aut minus Veriſimilitudinis, ſive Probabilitatis haec praeferunt, quo plus aut minus ad Evidentiam accedunt, aut inde recedunt, eo etiam major eſt gradus illius *Pietatis*. Eccleſia vero & huic *Opinativae Pietati* locum facit in oeconomia Religionis. Et merito quidem. Nam etſi materialis aliquis Error in Perſuaſione hominum de hiſce rebus aut ſententiis accidere poſſit, dummodo eorum falſitas ignota ſit, non fallitur affectus, qui in Dei cultum tendit. Taceo heic de *Pietate*, quae nititur motivis nimium levibus, aut falſis; haec enim, ut alibi dixi, non eſt legitima Pietas, ſed Imprudentia, Superſtitio, Impietas, Fanaticiſmus. Ut laudabilis *Opinativae Pietatis* exemplum adferam, prudenter creditur, Sancti Jacobi Apoſtoli Corpus Compoſtellana in Eccleſia honorari; Marthae, Magdalenae, & Lazari apud Provinciales; & Bartholomaei Apoſtoli Beneventi, aut Romae. Credere, ſacra illa pignora ſpectare ad eoſdem Sanctos, ibique eorum interceſſionem apud Deum implorare, laudeſque illorum celebrare, *Pietatis Opinativae* actus eſt. Etiamſi non ea eſſent celeberrima ejuſmodi Lipſana, quae vulgo reputantur; immo etſi ne ſacra quidem illa Corpora forent: devotio tamen Populi ad Deum ſecura pergit, quem in illis creditis Sanctorum Reliquiis honorat, & a quo uno, uti omnium bonorum largitore, beneficia poſcit & ſperat, dum ad ſepulchra Sanctorum orat. Nullum hinc in Eccleſiae doctrinam aut Rempublicam incommodum; immo ad alendam, aut augendam Populi devotionem conducere poteſt.

test. Rursus in Scholis Quaestiones non paucae fervent, his in unam, illis in aliam euntibus sententiam, quae tamen singulae *Pietatem Opinativam* sibi tribuere possunt. Dum istae concertationes, Opinionesque variae, prudentibus innitantur rationibus, & minime adversentur Revelatis a Deo, neque detrimento sint sanae doctrinae, atque in praxim deductae nihil officiant recto regimini Ecclesiae, aut quieti Reipublicae, sive fortunis ac Vitae hominum, disputent quantum velint docti, etiam ad raucedinem: in tuto est Ecclesia atque Respublica. Verum ac Certum assequi nequeunt? Verisimilia ac Probabilia eos sequi non dedecet, ac nemini nocet.

Ad hanc normam exige nunc sententiam speculativam de illibata Conceptione Virginis. *Pia*, est, & *Pia* ab omnibus habetur, atque habenda est, quippe Probabilibus ac prudentibus fulta rationibus, pertinere creditur ad cultum Dei, atque ad honorem Virginis. Sed Pia est *Pietate Opinativa*, non *Intrinseca*, non *Objectiva*. Eam quoque in praxim deducere *Pium* est, nempe colendo Virginem uti conceptam sine macula in primo instanti, ejusque Festum ac Officium celebrando secundum istam sententiam. Nemini exploratum certe est, subsit ne Veritas huic sententiae, an non; attamen dum pendet Ecclesiae judicium, & apparentia Veritatis pro ea militat, nullum ex hujusmodi cultu ac persuasione detrimentum fluit in Ecclesiae doctrinam ac disciplinam, quum sibi Romana Ecclesia reservarit, quando opportunitas aut necessitas exegerit, decernere, stetne revera pro illa sententia Certa Veritas, an pro opposita. Et quoniam conflictus duarum Opinionum istarum tranquillitatem Reipublicae turbabat, in Hispania praesertim, sustulit prudentia Romanorum Pontificum haec scandalorum ac tumultuum semina, indicto Thomisticae sententiae fautoribus silentio, sed inlaeso jure ejusdem, si forte aliquando Veritatem in illa deprehenderet Apostolica Sedes. Neque enim & haec altera desinit esse *Pia*, atque Probabilis; quod inde manifeste elucet, dum Ecclesia illius sectatores, aeque ac alterius patronos, caros habet; neque solum non aversatur, nec damnat, sed honoribus auget, non secus atque ante eis indictum silentium. Profecto in alterutra ex hisce sententiis, sive Opinionibus, Error latet; sed hactenus est materialis Error, quem depellere, nunc nequimus, & tum solum perspicere licebit, quum Ecclesia Quaestionem dirimet, aut quum misericordia Dei faciente in conspectum supremae Veritatis post mortem veniemus. Quamobrem perspicax Lector intelliget, quantum ponderis sit Parthenotimi nostri fiduciae, dum pag. XIV. Praefation. scribit: *Quod sen-*

ſententia de Immaculata Virginis Conceptione jam pridem in Eccleſia nuncupata ſit Pia, ipſo Romano Pontifice hunc titulum approbante, ſpem maximam facit Propugnatoribus, fore ut ejus Veritas aliquando tandem declaretur, & palam fiat. Ita ſane, ex quo Sixtus IV. vetuit, ne Scotiſtica ſententia Haereſis aut Impietatis titulo, oneraretur, haec probante Apoſtolica Sede juſtam poſſeſſionem *Pietatis* obtinere coepit. At quid inde? Nihil Parthenotimus diſtinguit inter *Opinativam* atque *Intrinſecam Pietatem*. Id tantum conſequuta eſt Scoti Opinio, ut negari *Pia* in poſterum, dum pendet judicium, ſine temeritate & culpa non poſſit. Sed *Pia* perrexit eſſe & altera Thomiſtarum Opinio, neque ei hunc titulum ſine impudentia & peccato quiſquam auferre poteſt. Proinde utraque ſententia nunc verſatur inter limites *Pietatis Opinativae*, non vero *Intrinſecae*. Quod etiam ediſcimus ex uſitata inter Theologos dicendi formula, hoc eſt quum dicimus: *Hoc Pie creditur*. Significat iſta, rem aut propoſitionem aliquam non ſpectare ad doctrinam divinae Fidei; adduci tamen nos ad credendam eam Veram tum religioſo quodam affectu, tum rationibus veriſimilibus ac probabilibus pro ea militantibus. Quod quum dicimus, indicamus & ſentimus, rem aut propoſitionem illam adhuc *Opinionis* naturam retinere, ac tantummodo e *Perſuaſione* atque affectu noſtro efformari judicium illud, quod propterea *Opinativum* eſt, non vero e certa cognitione Veritatis inhaerentis objecto. Interroga quemvis *Pie credentem aliquid*, an ita credat, ut omnem Erroris formidinem excludat. Negabit procul dubio, ſi ſapit. At hoc ipſum eſt affirmare, *Opinionem* in illo judicio involvi, quum Opinionis proprium ſit involvere metum ſaltem leviſſimum alicujus Erroris. Propterea quiſquis moderate, & circumſpecto judicio inter Catholicos loquitur, oculoque intento Magiſtram noſtram ſectatur Eccleſiam Romanam, ſentit ac dicit, ſe *Pie credere* Immaculatam Virginis Conceptionem, hoc eſt ſe in ea ſententia agnoſcere *Pietatem* duntaxat *Opinativam*, non vero *Pietatem Intrinſecam*, omni videlicet ſuſpicione & formidine Erroris carentem. Atque ita ſane loquuntur eximii viri, atque ornamenta Romanae Eccleſiae, e quibus duos tantum laudabo. Contra Picininum Haereticum ſcribens Clariſſimus S. R. E. Cardinalis Vincentius Gottus Ordinis Praedicatorum Tom. I. Cap. IX. §. 8. ait: *Ci deride egli, perchè Piamente crediamo la Vergine preſervata dal Peccato Originale.* Alter S. R. E. itidem Cardinalis celeberrimus Franciſcus Maria Caſinus Ordinis Minorum Cappucinorum Tom. I. Serm. II. ſcribit: *Della ſola Vergine c'inſegna la Fede, che fu eſente da ogni*

colpa

colpa attuale, e la Pietà ci persuade, che fu immune per singolar privilegio, ancora dall' originale: quod idem est ac dicere, nos Pio affectu & religiosa Persuasione eam credimus, idest Opinamur, ab originali labe praeservatam. Egregiis hisce viris adjungere liceat doctissimum quoque virum, & Polemicae Theologiae pugilem Clarissimum, Cajetanum Mariam Merati, Clericum Regularem, & Sacrae Congregationis Rituum Consultorem, qui in Libro de Veritat. Religion. Discurs. XVII. pag. 62. scribit: *Per un speziale privilegio Piamente si crede, che anche la Madre di Dio Santissima sia stata preservata dall' universale contagio della Colpa Originale.*

Licita ergo est, & laudabilis *Opinativa Pietas*, ejusque officia & exempla passim habemus in Oeconomia Christianae Religionis, cum in Scholasticis & Speculativis Theologorum quaestionibus, tum in praxi devotionis erga Sanctos, eorumque Reliquias, atque in aliis ad Historiam ritusque sacros pertinentibus. Quo majoribus Probabilitatis fundamentis nititur ista Pietas, eo laudabilior est. Eaque ratione tot Sanctos colimus Pie ac Prudenter, quos Populus sine Romana Canonizatione pro Sanctis ab antiquo habet; eorum Festum celebramus, de iis Officium recitamus, Reliquias deosculamur, Indulgentias quoque in illorum honorem summi Pontifices elargiuntur. At hujusmodi Pietas etsi rationabilis multum atque laudanda, multum tamen differt ab *Intrinseca*. *Opinativa* quippe ex Opinione nata, certum ac minime fallax judicium procreare non potest; atque ut paucis dicam, nihil aliud est, nisi *Opinio Pietatis*; & neutiquam *Certitudo objectiva Pietatis*; non enim sita est in indubitata Cognitione Veritatis existentis in objecto, sed in *Persuasione* tantum Intellectus nostri. Contra *Pietas Intrinseca* stabilitatem ac Certitudinem suam desumit ex objecto, quod est, quale nobis persuademus; ejusque Veritatem vere a Deo revelatam fuisse credimus, quia id nobis constat evidenter ex attestatione Ecclesiae divinitus falli nesciae. Atque ex his intelligere jam possumus, qua in aequivocatione versetur Siculus Theologus, quum scribit pag. 18. eos, qui Sanguinarium Votum emittunt pro tuenda Praeservatione Virginis, morituros non pro *Veritate*, sed pro *Pietate, quae Certo inest Actui Opinativo*. Non enim *Certo* atque *Intrinsece* inest Pietas actui illi Opinativo, ex quo is fatetur, & fateri cogitur, actum ipsum *Opinativum* esse. Nimirum quando objectum tale est, ut de eo certam cognitionem habere non possumus, quae omnem depellat formidinem Erroris (uti habemus in propositionibus divina Fide creditis, quas sine metu Erroris veras credimus) in Intelle-

tellectu nostro nihil aliud est nisi *Opinio*. Et rursus quum *Pietas* fundetur super ipsam *Opinionem*, nequit haec *Intrinsece Certa* esse, neque sibi tribuere plus quam actus, cui inest, habeat in semetipso. Propterea Pietas, quam agnoscimus in Opinione Scotistica de Conceptione, *Opinativa* & ipsa duntaxat est, sive *Opinio*, non vero *Certitudo Pietatis*. Porro his positis, quicumque moreretur *pro Pietate, quae inest Actui Opinativo de Immaculata Conceptione*, adhuc pro tuenda *Opinione* vitam suam daret. Atqui, ut ipse Parthenotimus non uno in loco agnoscit, ac potissimum pag. 15. & 18. *nefas est*, *Peccatum est*, pro tutela *Opinionis* mortem oppetere. Ergo temere & contra Dei legem Votum concipitur de danda Vita pro defendenda Immunitate Mariana.

CAPUT XIV.

Alius Honor Intrinsecus, alius Opinativus. Alia Sanctitas Intrinseca, alia Opinativa. An statuendum fastigium devotionis erga Virginem in tuenda Scotistica sententia. Datur & Cultus Opinativus. Mendacii probrum ab ea Opinione eliminatum. Pia Credulitas, Pia Persuasio explicantur.

QUOD de *Pietate* diximus, idem dicendum de *Honore* Virginis, de *Sanctitate* Virginis, quibus speciosis nominibus confidit Parthenotimus, se tutaturum voventes mortem pro Scotistica sententia. Latet ibi eadem aequivocatio. Nam alius est *Honor Intrinsecus Deiparae, ejusque Intrinseca Sanctitas*; alius *Honor Opinativus*, atque illius *Sanctitas Opinativa*. Primus Honor, uti & Sanctitas Mariae, situs est in incomparabili praerogativa Maternitatis Dei, in Virginitate perpetua, in Immunitate ab omni actuali peccato, in Humilitate eximia, in Caritate, ceterisque Virtutibus, quae in eam mirabili consensu e singulari gratia Dei coaluere, ita ut in ea omnium Virtutum habeamus exemplar. Haec novimus e divinis Scripturis, e Traditione Patrum, e definitionibus Conciliorum; eaque propterea divina Fide credimus; atque ob ista supra reliquos Sanctos eminet Sancta Dei Genitrix Maria. Praeter istam vero *Sanctitatem Objectivam*, de qua dubitatio ulla Christiano homini esse nequit, & cui consequenter singu-

laris

laris Honor ab unoquoque Fideli habetur, agnoſcenda quoque eſt *Sanctitas Opinativa*, ſeu *Putativa*, quam eidem Deiparae tribuimus, ſita in variis *Opinionibus*, quas pia gens habet de aliquibus privilegiis, actionibus, miraculis, ad ipſam Salvatoris noſtri parentem ſpectantibus. Haereticus foret, qui pertinaciter Sanctitati primae ſe adverſarium praeberet. At altera, ſcilicet *Opinativa*, quum Sigillo Veritatis ac Certitudinis careat, nos minime obligat ad credendum, liberumque eſt cuique ſentire heic, quod magis conſentaneum rationi cenſebit. Et quoniam ejuſmodi Sanctitas in Opinione ſita eſt, immo nihil aliud eſt, niſi Opinio Sanctitatis, propterea qui pro illa tuenda ultro ſe trucidandum Tyranno praeberet, imprudentiae ac temeritatis damnandus foret. Simili ratione datur *Honor putativus*, ſeu *Opinativus*, Virgini, aliiſque Sanctis delatus, probante, aut ſaltem non improbante Eccleſia. Pie ſibi perſuadent nonnulli, ſe poſſidere *Annulum*, quo Beatam Virginem Sanctus Joſeph deſponſavit. Alii ſe habere putant *Veſtes*, *Velamina*, *Capillos*, aliaſque ejuſdem Deiparae Reliquias. Honorem Virgini habent in honorandis hiſce Reliquiis, ſed Honorem ab Opinione progenitum. Huic autem Opinioni, dum falſitas aliunde non appareat, eique poſſeſſio immemorabilis patrocinetur, Eccleſia nullam infert moleſtiam, immo etiam favorem impertitur. Cultus enim ille & Affectus in Virginem tendit, cui revera aequum eſt, Chriſti Fideles omnes maximum habere Honorem. Proinde ſi quis pro *Opinativo* iſto *Honore* Mariae impendere Vitam vellet, contendens videlicet, ad Honorem Virginis illum Annulum, Reliquias illas ſpectare, pro *Opinione Honoris* Virginei moreretur: quod jam ſtatuimus nefas eſſe Homini Chriſtiano.

Atque heic erit fortaſſe qui petat, cur in *Pietate Opinativa*, ſeu *Sanctitate Putativa* Virginis, quod eſt ad illius Conceptionem, nonnulli veluti Palladium & culmen eximiae Devotionis erga Virginem conſtituant, quum tot alia Privilegia ac dona illi a Deo ſine ulla dubitatione collata, & ad Intrinſecam illius Sanctitatem ſpectantia, habeamus, in quibus ſat laudandis & honorandis nos ſermo ac tempus deficiant? Nonne Maria vel ſine praerogativa Conceptionis Sanctiſſima ſemper fuit, ſemperque erit? Et ne temere hoc ſciſcitari quiſquam videatur, verba repetet, quae Capitulo Primo attulimus e Bulla Pii V. ubi ait: *Quaſi deſint praeclariſſima Mariae merita, quae nec Angelica quidem lingua ſatis digne referri poſſunt; & quaſi ex illo uberrimo fonte, puteoque aquarum viventium non poſſint ſaluberrimas haurire aquas, quibus Populus magna cum utilitate atque dulcedine re-*

ficeretur: ad dissipatas cisternas accurrunt &c. Haec Romanus Pontifex, & quidem Sanctus, & quidem doctissimus, & Deiparae devotissimus. Cur ergo, instabit aliquis, heic fastigium Pietatis erga Virginem Sanctissimam collocemus, hoc est in re Incerta ac Dubia, potius quam in tot aliis indubitatis Intrinsecae Sanctitatis Marianae argumentis, quae nobis Fides suppeditat? Quid solidae responsionis ad interrogationem istam daretur, inquirere non juvat. Repetam ego potius, quae Sanctus Bernardus habet in celebri Epistola 174. ad Canonicos Lugdunenses: *Virgo regia*, inquit, *falso non eget honore, veris cumulata honorum titulis, infulis dignitatum.* Ad cujus imitationem & ego Lib. II. Cap. VI. de Ingeniorum Moderatione dixeram: *Ut sit post Filium suum supra ceteras creaturas laudanda Maria, non indiget ipsa dubiis laudibus, neque imprudenti sacrificio.* Ad quae verba Parthenotimus pag. 57. ita respondet: *Dei, & Virginis Filius se in eo honoratum fatetur, quem tu Probabiliter existimas esse inopem, eique stipem liberaliter impertis. Est quidem persolum Probabilis illius inopia; at certo honesta tua eleemosyna. Non inficior ergo, Beatam Virginem non indigere dubiis laudibus: Certa tamen est laus tueri, quod sine labe sit Concepta, etiamsi Certum non esset, quod fuerit ipsa Concepta sine labe.* Haec Theologi nostri mens: uti honestum est eleemosynam amore Dei conferre homini, quem Probabiliter existimas indigere, quanquam fortasse non indigeat; ita etiamsi Certum non sit, sed tantum Probabile, Virginem fuisse sine labe Conceptam, honestum tamen est, ac Certa laus eam tueri in ipsa Conceptione Immaculatam. At instro ego: si tu plures cernens sine dubitatione egenos, praecipuam gloriam tuae Caritatis collocares in ferenda ope non istis, sed aliis, quos non Certo, sed Probabiliter indigere putares: num Prudentia tua multum laudis referret? Num ordinem Caritatis recte sectari dicereris? Quin laudabilius, Deoque gratius esset, illis potius, quam istis opitulari, nemo sapiens negabit. Ita recurrit petitio: cur tu praerogativam Conceptionis Immaculatae, quae Probabilis quidem est, sed simul Dubia, ac errori obnoxia, tam vehementi studio exornare, tueri, Regibus ac Populis uti sublime pignus Pietatis erga Deiparam commendare pergis? Cur huic Persuasioni peculiares ubique honores procurare non desinas, ita ut tot alia Virginis merita, & praerogativae, longe majores, ac divina Fide certissimae, tibi vilescere videantur, aut certe pari studio minime a te colantur? Num factionis tuae amor, & victoriae cupiditas, incauto tibi hunc aestum ministrat? Verum haec alii considerent. Interea animadvertamus,

mus, quae aequivocatio latet in iis Parthenotimi verbis: *Certa est laus tueri, quod sine Labe Virgo sit Concepta, etiamsi Certum non esset, quod fuerit ipsa Concepta sine labe*. Per me sane liceat, Parthenotimo, & cuicumque sententiam Scotisticam propugnanti, persuadere sibi, certam ex illius tutelam laudem relaturum, dum tutela in verbis & scriptis consistat. Sub ista conditione cuiquam molestus esse nolo. Verum ubi Theologus noster Certam hanc laudem stabilire hoc in loco conetur, ut laudabile quoque venditet Sanguinarium Votum eidem superstructum, Caritas erga fratres reclamare me cogit, Laudem hanc sub Opinione adhuc constringi, non sub Certitudine; ipsamque Conditionatam esse, non Absolutam, quum ejus qualitas e qualitate objecti pendeat, ita ut Certa sit Laus, si Certa sit Veritas objecti; Probabilis vero duntaxat, si objecti Veritas sit tantum Probabilis. Ergo in supposito, quod Parthenotimus ipse heic amplecti non detrectat, *Certum* videlicet *non esse, quod Maria fuerit concepta sine labe*, nunquam poterit esse Certa Laus, ita velle tueri Incertam hanc Dubiamque sententiam, ut pro ea Certissimum, eximiumque Vitae Bonum profundere liceat. Quippe statuimus, nefas esse in Opinionum tutela impendere Vitam.

Eamdem porro aequivocationem sub diversis nominibus refricatam videas a Theologo Siculo. Dixerat Lamindus: *Non indiget Maria imprudenti sacrificio & tu contra indiges Vita tua, ut eam in Fide tuenda ac Virtutibus exercendis justius impendas*. Quid reposuerit Parthenotimus pag. 57. accipe: Inquit, *ne ipsum quidem sacrificium improprie dictum Virgini offerri. Nemo pro Virginis Cultu moriens, se Virgini litaret, sed Deo. Non Ecclesiae, pro Ecclesiae juribus tuendis occumbens, sed Deo vitae sacrificium obtulit Thomas Cantuariensis. Etiam Religio Virtus est. Ad Religionem, aut Virtutem huic affinem* (idest ad Pietatem) *pertinet Virginis Cultus. Posset ergo etiam ex mente Lamindi pro exercitio Cultus Mariani vitam impendere pie Vovens*. Ex mente mea? Apage. Neque ex mente mea, neque ex eorum mente, qui haec non perfunctorie scrutentur licebit mori ob tutelam Immaculatae Conceptionis. Hic enim *Cultus* est *Opinativus* duntaxat, & cum Veritate minime certo conjunctus. Fortiter mortem toleravit Sanctus Thomas Cantuariensis, sed pro legibus gravissimis, quas evidenter sciebat justas, atque ab Ecclesia certissime promulgatas, & quas sibi custodiendas ex vi sui muneris agnoscebat. Peccasset, si vili timore ductus pessumdanti Regi jura Ecclesiae concessisset. Ac proinde de eo Ecclesia canit: *Pro lege Dei sui certavit usque ad mortem.*

tem. Quidnam heic paritatis cum iis, qui Vitam offerrent caussa tuendae Immunitatis Marianae? Numquid ulla Dei, aut Ecclesiae lex adferri potest de amplectenda ac tuenda Scoti sententia? Nulla, ut omnes norunt; immo liberum semper fuit, & adhuc est Fidelibus, oppositae sententiae adhaerere. Neque Cultui Sanctitatis Marianae necessarium fuit, aut est, ei tribuere expertem omnis maculae Conceptionem; nam incomparabilis Mariae Sanctitas, ab Apostolicis temporibus semper depraedicata, nunquam indiguit Laude ista, & Cultu Opinativo, quem nunc adeo illi gratum, & supra ceteras praerogativas earum, nonnulli ex Opinione tantummodo arbitrantur. Per undecim profecto Secula, atque ultra etiam, tum Sancti Patres, tum ceteri Pietate ferventes Christi Fideles, nihil nobis concedebant in observantia ac devotione erga Deiparam; attamen nulla apud eos mentio erat Immaculatae Conceptionis. Quare nulla jubente aut urgente lege Dei, & sine ulla necessitate, aut occasione vitandi peccati, ex arbitrio duntaxat illo, quod vulgo *Capriccio* dicimus, occumberent Voto Sanguinario addicti, idest pro Opinione tuenda Vitam darent: quod, millies repetam, fieri sine crimine nequit. Haec etiam Parthenotimus addit pag. 76. *In Deiparae honorem cedit ejusmodi defensio, estque Deiparae honor generatim a Deo revelatus*. Exploratum certe est, Honorem Virginis spectare ad leges divinitus promulgatas, atque ad doctrinam Fidei. Sed in mille ridenda, aut detestanda abripi posset Pietas, quae posito hoc principio Virginem ad arbitrium nostrum honorari posse censeret. Idcirco singulares etiam Honoris hujus rationes Ecclesiae suffragio probandae sunt: alioquin facile homines imprudentia laborent, temeritate, superstitione, impietate. Indicet mihi quaeso Theologus noster, ubinam & quando Ecclesia probarit sacrificium Vitae nostrae oblatum Deo pro Scotistica Opinione. Immo non solum nova haec honorandae Virginis ratio profusione Sanguinis & Vitae, nequaquam revelata a Deo fuit, neque continetur in generali Revelatione honoris deferendi Salvatoris nostri Matri, neque suffragio Ecclesiae comprobata est; sed Revelatio contraria nobis ante oculos stat. Revelatum quippe a Deo fuit, ejusque praeceptum nobis ab Ecclesia proponitur & commendatur: videlicet, curam habendam esse Vitae nostrae, neque licere nobis arbitrio nostro eam prodigere, & praesertim nefas esse animam ponere pro tuendis Opinionibus nostris.

Dixeram ego, si ad vitam dandam pro tutela Opinionum nostrarum, quantumcumque Piarum, sive pro *Pietate Opinativa*, satis esset *Persuasio*, innumera esse, quae Pie creduntur, & pro quibus, quan-

quanquam Falsis nonnumquam, Vita ipsa daretur, *quod certe in Ecclesia Dei numquam tolerandum, ne idem divinis atque humanis habeatur bonor, neve temere, & pro Mendacio interdum projiciatur pretiosa hominum Vita*. Parthenotimi responsio est pag. 79. *In primis homo, qui non moderati Ingenii tantum, sed Moderator Ingeniorum videri vult, castigatius, reverentiusque hoc loco loqui debuit, & non Mendacii nomine sugillare directam ipsam sententiam de Virginis Immunitate, etiamsi permitteremus esse meram Opinionem.* Heic fidem hominum, Superumque appellare liceret. Placide tamen petam, quandonam ego *Mendacii* probrum conjecerim in sententiam de Virginis Immunitate? Unus Parthenotimus, aut immoderato animi aestu raptus, aut ad haec pertractanda ineptus, haec mihi patenti errore, ne dicam calumnia, affingit. Quicunque alius Latinas literas didicit, illaque verba mea legit, continuo intelligit, me non de Scotistica sententia (quam nemo nisi impudens inter *Mendacia* referat) illic agere, sed de aliis bene multis, quae quidem *Pia* dicuntur & creduntur, atque in regno *Pietatis Opinativae* continentur. Ex istis quis, rogo, neget, quin aliqua originem suam ab errore, falsitate, immo & ab impostura traxisse potuerint? Qui pro hisce moreretur, *pro Mendacio* vitam profunderet. Id autem liceret e Parthenotimi doctrina; at nunquid istud in Ecclesia Dei unquam tolerandum? Alia heic Parthenotimus addit, scribens: *Deinde qui vovet Virginis Immunitatem tueri, necesse est, ut persuadeat sibi, quod re ipsa Virgo immunis fuerit a macula. Haec persuasio, ipso non refragante Lamindo, nequit esse Mendax, ni dicere velimus, quod Pium possit esse Mendacium.* Ita ille, de sophismate in sophisma intrepido cursu delabens. Utique Pium non potest esse *Mendacium*, neque nobis Pium credere licet id, quod novimus & credimus Falsum; nam ad cultum Dei veri, ejusque servorum, spectare Mendacium, Falsitas, ac Error nequeunt. Potest tamen *Persuasio* esse *Mendax*, idest fallax, quum fieri possit, ut sit de objecto, quod nobis sine ulla culpa nostra persuadeamus esse Verum, & tamen a parte rei sit Falsum. Et sane ut *Pia* dicatur aliqua *Opinio*, sufficit Persuasio e rationabilibus motivis, etiam extrinsecis, nata, Verum esse ejus Opinionis objectum, praevalens motivis suadentibus falsitatem objecti ejusdem. At quod nos ita nobis persuadeamus, nunquid propterea Verum erit Certumque illud objectum? Neutiquam profecto: potest & Falsum esse. Atque heic meminisse debuit Parthenotimus rem cunctis notam, nempe *Pie credere* aliquid, hoc ipsum significare, videlicet persuadere quidem nos nobis ex verisimilibus motivis, & re-

& religiosa affectione quadam, aliquid esse Verum, & spectare ad Religionem veram; sed simul ignorare, an illud Certum ac reapse sit Verum, quum formido Erroris ab ejusmodi Persuasione disjuncta non sit, nec esse possit in iis, quae ad Opinionem pertinent. Multa Pie credimus de Sanctis, eorumque Miraculis, atque Reliquiis. *Persuasio* nostra *Pia* est, *Opinio* nostra *Pia* est; non enim liquet, nos credere Falsum; simulque Falsum non est (uti infra e Gersonio videbimus) nobis apparere illud objectum Probabile, quum nobis revera constet de Probabilitate, atque de apparentia Veritatis. Nihilo tamen secius in objecto potest esse Falsitas; neque enim *Pia Credulitas* sive *Persuasio* illa cadit super *Veritate* vel *Falsitate objecti*, sed super *apparentia* vel *probabilitate Veritatis*. Firmam Persuasionem Lucenses nutriunt, complurium Seculorum possessione firmatam, sibi esse veram Salvatoris e Cruce pendentis Imaginem, a Nicodemo, ut ajunt, effictam. Messanensibus itidem persuasum est, apud se servari Epistolam a Sanctissima Dei Genitrice conscriptam. Florentini quoque Imaginem ejusdem Deiparae ab Angelo, ut putant, depictam praeferunt, quemadmodum & alii Imagines a Sancto Luca depictas. Haec illi Pie credunt. Dicat quaeso Parthenotimus, num *Persuasio* ista efficere possit, ut Verum Certumque sit, quod ipsi sibi persuadent. Oppido falleretur, si id affirmaret. *Persuasio* ista nihil aliud demum est, nisi *Opinio*, quae immunis a formidine Erroris esse non potest, quod est ad Veritatem ac Certitudinem objecti; objectum quippe illud etsi Verum esse possit, potest tamen & esse Falsum. *Probabilitas* facit, ut Prudens ac *Pia* sit de objecto illo *Credulitas*; neque fallitur Persuasio Probabilitatis, dum res revera Probabilis appareat, nec appareat Falsum. At fallax est hujusmodi *Persuasio*, quoties illud, quod tantummodo Probabile ac Verisimile est, ipsa habere velit pro Vero ac Certo. Et sane minime facere ipsa potest, ut Certum Verumque sit illud objectum, ita ut pro tuenda Persuasione seu Opinione illa fas sit jugulum offerre sponte carnifici, quum legibus Prudentiae ac Religionis patentissime adversetur, Vitam dare Certissimum ingensque Bonum pro tuenda Opinione, hoc est pro re Incerta, ne dum putas te pro Veritate occumbere, pro Falsitate ac Errore occumbas; quum in manu nostra non sit, neque in viribus Persuasionis nostrae, Veritatem ac Certitudinem conferre rebus, quae ipsa careant. Equidem novi, fieri posse, ut ex pia affectione Voluntatis, vel e Passione aliqua, uti Amoris proprii, odii adversus alios, cupiditatis gloriae &c. voluntas ita determinet Intellectum ad aliquas sibi ca-

bi caras Opiniones, ut formidinem Erroris ab eo eliminet. Id etiam Parthenotimus a clientibus suis exigebat, nuper scribens: *qui vovet Virgini Immunitatem, necesse est, ut Persuadeat sibi, quod re ipsa Virgo immunis fuerit a macula*, Sed commodam profecto artem is tradit excusandi & honestandi cujuscumque Erroris, Superstitionis, & Fanaticismi, si Persuasio nostra non a rationibus scientificis nata, sed a Voluntatis affectu in Intellectum ingesta, satis est, ut certissime honestum nobis ac licitum evadat, quod inhonestum atque illicitum esse possit. Inter duas dubias sententias alteri ex iis adhaerere possumus, & in praxis necessitate debemus, ne peccemus. Ignorantia quoque Invincibilis vim habet excusandae Persuasionis nostrae. At in casu nostro hanc Ignorantiam Theologo allegare opprobrium, & sub ea operari crimen foret, quum ignorare is non possit, nec debeat, adversus legem Dei ac Naturae facere, qui pro Opinione tuenda Vitam suam carnifici offerret; simulque sententiam de Virginis Immunitate intra Opinionum fines adhuc contineri, quum pendente judicio Apostolicae Sedis, Certitudo vera & objectiva tribui illi non possit. Deinde exploratum habemus, abhorrere a prudentis Theologi sapientia, immo ab Ecclesiae doctrina, tantam vim statuere in Persuasione, quae improvida ac temeraria esse facile possit, & potissimum ubi agitur de re gravissima, Vita nempe nostra sponte profundenda. Namque Prudentiae Moralis leges praecipiunt, ut in arduis consiliis, quale certe est Mortis ultro eligendae, sollicite caveamus, ne immoderata aliqua affectio fucum nobis faciat, & ne corrupta ab affectu Voluntas Intellectum determinet ad persuadendum sibi Verum pro Falso, aut Falsum pro Vero, aut Incertum pro Certo, aut Certum pro Incerto.

Atque ex hactenus positis habemus, aedificare adhuc in aere Siculum nostrum, quum subdit: *Rursus pie vovens certo tenet, quod Virgini perhonorificum sit Immunitas a macula & Immunitatis tuitio. Estne hoc Mendacium?* Reponendum est, nullum heic esse locum *Mendacii*, si is intelligit judicium falsum cum intentione fallendi proximum. Itaque abjecta *Mendacii* inopportuna voce, dicendum ei erat: *Estne haec Persuasio Fallax?* Continuo quippe tunc respondebitur: si Persuasio ista respicit duntaxat *Probabilitatem* ac *Verisimilitudinem*, non fallitur, quum re ipsa Probabile sit, hunc Honorem, sive Honorificentiam minime negatam a Deo fuisse Mariae. Sin respicit *Certitudinem* hujus sententiae ac honorificentiae, Fallax est, quum nulla authentica auctoritas, aut ineluctabilis ratio certos nos adhuc fecerit,

pri-

privilegium hoc fuiſſe Virgini collatum. Proinde *Honorificentia* iſta *Opinativa* tantum eſt, & ſub conditione poſita, adeo ut Immunitas Virgini ſit honorifica, ſi Deus revera id fecerit: quod interim nobis innoteſcere, non e ratiunculis noſtris, ſed per vocem duntaxat infallibilis Eccleſiae poterit. Nam ſi oppoſitum voluiſſet Deus, idque ab Eccleſia judicante diſceremus, deſineret eſſe honorifica Virgini Scotiſtica Sententia, quum e Falſo verus Honor progigni non poſſit. Tunc autem Intellectus noſter ſine ullo negotio rationes inveniret, quibus oſtenderetur, nihil Honori Virginis detrahi per Thomiſticam ſententiam, quum Sanctiſſima Chriſti Mater hacce praerogativa non indigeat, ut ſit honore ſummo digna, eamque e tot aliis titulis ſupra reliquos Sanctos honoratam, ac honorandam, vel ab ipſo ſui exordio univerſa fateatur Eccleſia. Quamobrem illud *certo tenet*, quod nuper cecinit nobis Theologus Siculus, imprudens ac temerarium eſt, ſi de *Certitudine Objectiva* loquamur; prudens, ſi de *Probabilitate Opinionis*, ita tamen ut Perſuaſioni iſtius Honorificentiae poſſit quidem ſubeſſe Verum, ſed negandum non ſit, quin poſſit ſubeſſe & Falſum. Contra nos certo tenemus, quacumque ex parte verſetur Votum Sanguinarium, ſive homo moriatur pro *Veritate*, ideſt, *Perſuaſione Veritatis* ſententiae Scotiſticae de Conceptione, ſive *pro Pietate*, *quae ineſt actui Opinativo* (ut Parthenotimus ait) de eadem Conceptione, ſive *pro Sanctitate*, *Cultu*, aut *Honore* Deiparae, ipſum mortem ſubiturum duntaxat pro *Opinione*. At hoc ipſum mori pro Opinione, grave foret Imprudentiae facinus, & Peccatum, ac faciem gereret Superſtitionis, ne dicam Fanaticiſmi, quando Parthenotimus ipſe jam faſſus eſt, neſas eſſe Vitam dare pro Opinione tuenda.



CA-

CAPUT XV.

Votum Sanguinarium non ferendum, quia hominum Opiniones aequat Veritatibus divina Fide credendis. Effugia Parthenotimi praeoccupata. Idem Votum in Apostolicae Sedis injuriam conceptum. Scandalo futurum hostibus Ecclesiae Catholicae. Neque ejus pondus voventibus satis perspectum. Praeterea illusorium.



TERTIO dico: *Imprudens, temerarium, ac minime ferendum esse Votum, quod Veritatibus divina Fide credendis hominum Opiniones aequat.* Indicet mihi quisquam, si potis est, quale omnium maximum honoris & amoris pignus habere, & exhibere homo Fidelis possit erga Revelata a Deo, hoc est erga Dogmata Fidei. Nullum profecto majus, quam Vitam nostram, maximum nempe ac pretiosissimum temporalium bonorum, pro eorum tutela dare; idest mori potius, quam ea abnegare. Luculentissimum heic nobis exemplum praebuit ipse Dei Filius; nam super alia divini sui erga nos amoris opera, quis non praedicat mortem, quam ipse pro nobis pati dignatus est? Propterea Apostolus Roman. V. vers. 8. ajebat: *Commendat autem Caritatem suam Deus in nobis, quoniam quum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Non dicit, natus est, praedicavit, oravit, &c. Inquit *mortuus est.* Ultra facere non potuit amantissimus Deus. Atque hoc idem testatus est ipse inquiens Joan. XV. vers. 13. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Pariter quoque Petrus amoris sui erga divinum Magistrum ostendendi causa ajebat, Joan. XIII. vers. 37. *Animam meam pro te ponam.* Et cur Martyres tanti Ecclesia facit, & reliquis Sanctis praefert? nisi quia sublime Fortitudinis & Caritatis experimentum dedere, mortem tolerando pro Christo, & pro Revelatis ab ipso. Plus homo praestare non potest, quam renuntiando Vitae suae, ut acquirat, quod sperat, sed *non videt*, ut assequatur, quod credit, sed *non apparet*, uti Apostolus ait, Roman. VIII. & Haebr. XI. Quum ergo Voto Sanguinario addicti Vitam se daturos voveant pro tuenda sententia sua, quae tamen ex omnium, immo & ipsorum confessione ad divinam Fidem non pertinet, nec Fidei Dogma ap-

pellari ſine crimine poteſt: conſequenter *Veritatibus Fidei* humanam *Opinionem* arbitrio ſuo parem faciunt. Atqui hoc facinus intolerandum eſt, nempe temeritatis ac ſuperbiae, quod a peccato excuſare non poſſis; tum quod Eccleſia a tot Seculis neminem novit, aut toleravit, qui ſimili de cauſſa Sanguinem ſuum fuderit, aut fundi licite poſſe cenſuerit; tum etiam quod Fidei Dogmata tuentes certi ſumus, nos pro Veritate, ſive pro certe Revelatis a Deo occumbere; occumbentes vero pro Opinionibus fieri poſſe, ut pro Errore ac Falſitate animam ponant. Neque cenſuram hanc, quam Lamindus antea indicarat, a clientibus ſuis Parthenotimus in poſterum depellet, quando Veritatis vis hanc ab eo confeſſionem expreſſit pag. 59. ubi ait: *Certe facinus eſt Opiniones aequare Veritatibus Fidei*. Quum ergo ipſe pag. 19. agnoverit, Scotiſticam de Conceptione ſententiam *nondum eſſe de Fide*, & pag. 21. *non oriri ex Dei Revelatione, quae ſit ab Eccleſia Fidelibus propoſita;* neque auſus uſquam fuerit illam referre inter Fidei Dogmata: petendum nunc eſt ab eo, cur *facinus* intolerandum clientibus ſuis ſuadere dicendus non ſit, quando eos ad tolerandam mortem hortatur pro tuenda ſententia, quae nihil aliud eſt niſi *Opinio?* Nonne hoc eſt modo omnium efficaciſſimo prodere, apud te pari in aeſtimatione eſſe Veritates a Deo certiſſime revelatas, ac Opiniones hominum profecto non certas? Vide Caſtrenſis, & Vaſquii doctrinam, quam attuli ſupra.

Quid reſpondeat Parthenotimus pag. 59. accipe: *At vovens, non pro Opinione, ſed pro Deiparae cultu moreretur. Affirmare autem, quod mori ob exercitium Virtutum aequetur Morti pro Fide confitenda, nullum eſt facinus, nec res moderationis indigna*. Hoc idem ante propoſuerat pag. 19. ſcribens: *Non Martyr eſſet pie vovens, quia aſſentitur Immaculatae Beatae Virginis Conceptioni, nec pro ejus directa Certitudine, quae nondum eſt de Fide* (& adhuc in opinione conſiſtit) *mortem oppeteret, ſed pro defenſione Sanctitatis Marianae, quae Virtutem Religionis ſapit. Et haec illa Veritas, pro qua moreretur*. Addit infra: *Virtutis opus eſt, Virginem ut a labe immunem venerari. Virtutis opus eſt, vovere actum Virtutis, & Votum ſervare*. Piget me toties cogi eamdem recoquere crambem, hoc eſt eamdem diſſipare aequivocationem, ſub diverſis nominibus a Parthenotimo propoſitam. Sed minus peritis, ut a fallacia tam periculoſae doctrinae ſibi caveant, eſt ſuccurrendum. Primo Lectores animadvertant, ac fortiter teneant velim, fateri rurſus Theologum noſtrum, temeritatis & peccati expertem non futurum, qui *pro Opinione* mori eligeret. Quare is probe

ſen-

sentiens, sententiam Scotisticam post plura Secula nondum e finibus *Opinionum* migrasse in sacrarium Fidei aut Scientiae, ad aliam anchoram confugit. Nempe excogitavit, Voto Sanguinario sese obligantes debere protestari, se morituros non pro sententiae istius Veritate, quae adhuc latet in tenebris Opinionis, sed *pro Deiparae cultu, Sanctitate, bonore: quod opus Virtutis est, & exercitium Virtutis, & Virtutem Religionis* sive *Pietatis sapit*. Speciosum sane effugium, ac pulchra primo aspectu doctrina, qua irretiri possint rudes, ut in mortem ruant *alacriter* pro tuenda Immunitate Mariae. Verum ubi in viscera doctrinae hujusmodi penetremus, nihil nisi inane ac temerarium occurret. Secundo intelligimus, consequi ex ista doctrina, nullam dari *Opinionem*, dummodo *Pia* sit, pro qua tuenda non liceat secundum Parthenotimi placita mortem oppetere: quod tamen facere inter detestabilia *facinora* nuper ab ipso Theologo vidimus recensitum. Quilibet enim semper illius orationem repetet: *Non morior pro Opinione, sed pro cultu & bonore bujus Sancti: pro Pietate, quae inest actui Opinativo; & ut faciam opus Virtutis, opus Religionis, atque Pietatis*. Hoc unum, etiamsi ultra non procedamus, sufficit, ut sentiatur absurdum, ac imprudentia Parthenotimanae doctrinae. Nullum enim amplius discrimen erit inter Dogmata Fidei certissima, & fallaces hominum Opiniones, quando aeque pro utrisque Vitam dare *Virtutis opus est, Religionis*, atque *Pietatis*. Deinde nulla vel levis *Opinio* erit, pro qua, dum *Pia* videatur, honestum non sit ac laudabile Sanguinem profundere; immo & pro deliriis Pietatis idem praestare, commendatione non cariturum censebitur, modo sibi homo *persuadeat* (quod Parthenotimus supra docuit faciendum) se tueri certam sententiam. Miseram, exclamare cogor, Ecclesiae ac Reipublicae conditionem, si tam periculosae ac improvidae doctrinae locus unquam relinqueretur! Sed intimum ejusdem doctrinae vitium, non semel detectum, repetamus. *Veritas* illa una est, quae rerum & actionum pretium intrinsecum constituit; idque potissimum in Religionis ac Pietatis oeconomia animadvertendum. Si *Certa* est *Veritas* in aliqua propositione, aut opere, spectante ad cultum Dei, & Sanctorum, *Certum* quoque est praedicatum *Pietatis*, quod illi tribuitur; & tunc *Virtutis Certae*, sive *Religionis*, aut *Pietatis Certae opus* illud dicendum est. Sin autem *Veritas Certa* objecti lateat, & de ea tantummodo *Probabilitas* habeatur, sive *apparentia Veritatis*: tunc *Probabile* duntaxat est praedicatum *Pietatis*; & opus illud dicendum est *opus Virtutis*, seu *Religionis*, ac *Pietatis Probabilis*, non vero *Certae*; ne-

que enim ex arbitrio nostro Intellectus potest aut debet objecto conferre, quod ab eo abest, aut plus ei tribuere, quam in eo sit. Dupliciter ergo habere possumus motiva credendi, aliquid spectare ad cultum Numinis, ejusve servorum, aut agendi aliquid, quod Deo gratum nobis videatur. Si *Probabilia* tantum sunt motiva, *Probabile* etiam est, sed non *Certum*, spectare propositionem aut actionem illam ad cultum Dei. Si *Certa* (ut in Dogmatis divina Fide credendis) tunc *Certum* quoque est, nos credere *Verum* & non *Falsum*; nos agere opus Virtutis Certae, sive Religionis atque Pietatis, de quo nil dubitationis reliquum sit. Ita possumus habere sufficientia motiva ad suspicandum aliquid de proximo nostro; & quantum est ad suspicandum, tunc non fallimur. Falleremur quidem, & judicium nostrum temerarium foret, si quae sunt motiva Probabilia atque apta ad fundandam justam Suspicionem (haec autem idem ferme est atque Opinio) nos adhiberemus ad credendum Certum id, quod tantummodo Probabile est. Quum ergo a Scotistica de Conceptione sententia, pendente judicio Ecclesiae, non possit excludi formido Erroris, necesse propterea est, ut sit adhuc *Opinio*, non *Certa Veritate* nixa, sed *Probabilitate* tantum, ac *apparentia Veritatis*. Rursus necesse est, ut *Probabilis* ac *Opinativus* tantummodo sit, & *non Certus*, *Cultus & Honor Deiparae*, a Veritate sententiae ipsius pendens; neque enim certi nos sumus, quin Deus aliter fecerit, ac nos arbitremur, Scoti sententiam sequendo; & quin aliquando sentiendum sit cum Thomistis, si Ecclesia pro illis judicaret. Hoc posito, tueatur Fidelis quilibet quantum vult verbis & rationibus Piam hanc Opinionem. Recte agit, uti recte agitur in tot aliis Opinionibus, sive Probabilibus sententiis, quas in Schola Theologi tuentur. At quando pro hac Opinione propugnanda Theologus noster vult etiam Vitam impendere: non opus Pium facit, sed Peccatum; non actum Virtutis exercet, sed Temeritatis. Nam quod est tantum Probabile, atque is scire debet ac potest, non esse immune a formidine & periculo Erroris, ipse ignorantia vincibili, aut intoleranda pervicacia Certum vult esse. Deinde pro Opinione Virtutis, Pietatis, Cultus, Honoris, aut Sanctitatis Marianae occumbere vult; quum tamen ipsemet agnoverit, *nefas esse pro Opinione Mori*. Tertio fatetur ille, detestabile *Facinus esse Opiniones aequare Veritatibus Fidei:* atque ipse ignorare non potest; nec debet, quantum intersit inter Honorem Opinativum Virginis, manantem e Scotistica de Conceptione sententia, atque Honorem Certissimum Virgini debitum e Maternitate Dei, Virginitate perpe-

tua,

tua, aliisque praerogativis divina Fide de ipsa credendis: & nihilominus pro Honore illo Opinativo mori non secus paratus est, ac sit pro Honore Certissimo secundum Dogmata Fidei Deiparae debito. Nonne ergo damnandum se praebet Theologus noster ea de caussa, quod Opinionem aequet Veritatibus Fidei, atque (ut alibi ostendimus) Certissimum Vitae Bonum pro incerto commutari licite posse nos doceat?

Quarto dico: *Imprudens, temerarium, atque intolerandum esse Votum, quod in injuriam cedit Apostolicae Sedis: immo & universae Ecclesiae.* Justis rationibus mota Romana Ecclesia, & Concilii Tridentini Patres, inter duas de Conceptione Virginis oppositas sententias, sive Opiniones, judicium suum adhuc continuere; ita vero unam commendarunt, eique faverunt Romani Pontifices, ut alterius tamen jura non laeserint. Hoc etiam variis Decretis edixerunt, ab universa Catholicorum Republica praestandum. Quid autem aliud est Parthenotimi, illorumque, qui incaute Parthenotimo fidem habent, consilium, nisi persuadere velle Christiano Orbi, jam sententiam suam in Dogma Catholicae Fidei evasisse, quando pro illa Vitam suam vovent, non secus atque pro doctrina Fidei agendum Christus praescripsit? Quid nisi jura Ecclesiae usurpare, temereque edicere velle, repugnante nihilominus Ecclesia, non amplius dubitandum esse de Veritate ejusmodi sententiae, quam tamen Summi Pontifices, toties in illam intenti, dubiam hactenus incertamque reliquere, solidisque rationibus ducti decernendam minime censuerunt? Certe nemo non agnoscat in hisce tanti momenti conatibus temeritatem atque superbiam; & in contumeliam Sanctae Sedis recidere ista privatorum hominum consilia. Nam posteaquam viderunt hujus sententiae patroni, & Principes, & Academias a se commotas frustra egisse apud prudentiam & constantiam Apostolicae Sedis, ut inter Fidei articulos referretur Opinio de Immaculata Conceptione: aliam ipsi iniere viam, qua nimium credulis persuaderetur, jam tandem ita exploratam stabilemque esse ejusmodi sententiam, vel sine Romanae Ecclesiae sententia, ut eam Sanguine tueri non tantum liceat, sed & Martyrii genus Deo gratissimum futurum sit. Arbitrati quoque sunt, se hac ratione prorsus depressuros apud vulgus Opinionem adversariorum, quam tamen uti Erroris ac Impietatis expertem hactenus agnovit, atque agnoscendam decrevit Apostolica Sedes. Quaeso interim, si aliquando Romana Ecclesia Fidei Dogmatis adjungeret Scotisticam sententiam, quid ultra, quid majus faciendum Parthenotimo restaret ad testandum, se

divi-

divina Fide credere sententiam eamdem, postquam praeoccupato judicio Ecclesiae Sanguinem pro ipsa tuenda nunc vovet? Atque hactenus profecto universa Catholicorum Respublica sensit, quantum Cathedra Petri zelo & cura honoris Deiparae ferveat, & simul quantum Doctrina & Prudentia excellat. Sed ecce homines, qui se plus scire ac sapere, quam Romana Ecclesia opinantur; quique uberiori zelo se incendi, quam Successores Petri & Concilia ipsa, hujus Opinionis probe conscia, persuadere se posse Populo arbitrantur. Haec quis ferat? Hercle si in vivis ageret Clarevallensis Abbas Sanctus Bernardus, tonaret isto novitio facinore perculsus. Norunt Eruditi, quantopere is indignatus fuerit adversus Lugdunensium Canonicorum novitatem, qui Anno 1140. Festum Conceptionis Mariae primi in Gallia instituerunt, Inconsulta Apostolica Sede. *Nam si sic videbatur* (ait Epistola CLXXIV.) *consulenda erat prius Apostolicae Sedis auctoritas, & non ita praecipitanter atque inconsulte paucorum sequenda simplicitas imperitorum*. Quid ergo nunc diceret Sanctus Abbas, audiens eo usque processisse nonnullorum licentiam, ut Romana Ecclesia minime consulta, immo noscentes ipsam in hujusmodi controversia non ita inclinare in unam sententiam, quin possit aliquando judicare pro opposita; praeterea fatentes, nullam ferme esse Academiam, quae hac in re non sequatur Romanae Ecclesiae prudentem circumspectionem, dum tutelam quidem vovent Scotisticae sententiae, sed *juxta Summorum Pontificum Decreta jam edita, aut deinceps edenda:* isti, inquam, nihilo secius uti rem Certam, atque omni dubitatione carentem, eamdem Scoti sententiam venditent; & quod pejus est, de Vita hominum decernant in ejus tutelam impendenda, dicentes: *Persuadete vobis, quod re ipsa Virgo immunis fuerit a macula*, ac deinde intrepidi pro ista persuasione morti occurrite, & nos *Martyrum* coronam vobis pollicemur in coelis? De vitis hominum prodigendis nunc agitur, re utique pretii ingentis, & de honore *Martyrii* conferendo sectatoribus hujus inconsulti consilii, ac proinde de Sanctis antiquitati universae ignotis in Coelum inferendis. Si pro Thomistica Opinione post paucos dies Romana judicaret Ecclesia (quod ne Parthenotimus quidem negat, quin contingere possit) nihil deperiret conscientiae, aut existimationi hominum, qui hactenus voce & calamo Scotisticam tutati sunt Opinionem, quum tandiu se illam, uti opposita Probabiliorem, se tutari profiteantur, quandiu quaestionem dirimat Romanus Pontifex, idque faciunt probante ipsa Apostolica Sede. At nequaquam definеremus insimulare temeritatis, qui eidem Scoti sententiae adhaeren-
tes,

tes, sua tantum Prudentia innixi, ac pertinaci superbia usurpantes jura Ecclesiae, Certum sibi finxere, quod Sancta Sedes Incertum adhuc habet, Vitamque suo arbitrio non amplius recipiendam profudere pro Errore. Neque eorum Imprudentiam excusaret Ignorantia invincibilis, quando facile possent ac deberent scire, hactenus Ecclesiam abstinuisse a credenda hujusmodi Certitudine, ita ut plus ipsi sapere voluerint, quam oporteret sapere.

Quinto dico: *Imprudens, temerarium, ac damnandum esse Votum, quod Doctrinam ac Prudentiam Catholicae Ecclesiae irridendam hostibus nostris praebere possit.* Fingamus nobis Tyrannum, dementiae ac impietatis facibus succensum, qui tormenta ac mortem minetur assertoribus Immaculatae Conceptionis, multosque e Voventibus ea de caussa in tormenta & mortem rapiat: quodnam quaeso foret judicium Heterodoxorum de Ecclesia Catholica, si diram hanc ipsa toleraret carnificinam? Praestare ego non possum, quin inter Fanaticos recenserent hoc hominum genus, qui nulla commoti Evidentia rei, nulla infallibili Auctoritate fulti, suaque tantum privata Persuasione abrepti, jugulum ultro carnifici traderent. Et quidni miserabile istud macellum intuentes, aut audientes, cum Lucretio ingeminarent

Tantum Relligio potuit suadere malorum?

Ad haec dignitati ac prudentiae Apostolicae Sedis, atque Ecclesiae Catholicae acerrime in posterum insultarent, quando, connivente saltem ipsa, apud nos inspicerent, eadem firmitate credi, eadem constantia propugnari, tam quod Certo Revelatum a Deo credimus, quam quod Incertum adhuc est, an fuerit Revelatum; tam quae Ecclesia infallibilis credenda nobis absque Erroris metu proponit, quam quae adhuc formidinem Erroris includunt, immo uti dubia atque Incerta ab Ecclesia ipsa proponuntur. Adderent, ruere jam apud nos principia solidissima, quibus hactenus contra illos fuimus usi: hoc est Auctoritatem Ecclesiae eam demum esse, quae certos nos facit de Veritate credendorum, sive de Revelatione divina. Si enim satis est *Persuasio*, quam quisque privatus habere potest, & Parthenotimus sufficientem depraedicat, ut Certum aliquid sit nobis in rebus a Revelatione Dei pendentibus, atque ut legitime ac honeste Sanguis pro Sententia Scotistica fundatur: ipsi etiam Sectarii *Persuasione* ista tutos in sua doctrina credere se deinceps poterunt, ac nobis irridebunt tanta de necessitate Auctoritatis Ecclesiae adversus eosdem proferentibus. Tum pergerent insultare nobis, & contendere, negari amplius non posse (quod hactenus quisque Catholicus, atque ipse Parthenotimus negavit)

quin

quin ad *Fidem divinam* ſpectet ſententia Scotiſtica, quando vidente ac tacente Eccleſia, pro ea non ſecus ac pro Dogmatis Fidei Sanguis effunditur. Quod ſi Parthenotimus quiſquam reponeret, non fundi Sanguinem pro *Veritate* iſtius ſententiae, quae nondum Certa de Fide eſt, ſed quidem *pro Pietate*, *quae Certo ineſt Actui Opinativo de Immaculata Conceptione*, *ſive pro Cultu*, *pro Honore*, *pro Sanctitate Virginis*: acrius illi inſtarent, petentes, ſitne de Fide Certitudo iſtius Pietatis, Cultus, Honoris &c. an non. Affirmante Parthenotimo, pertinere haec ad Fidem, ergo, inquient, Catholicis omnibus toleranda mors erit pro Immunitatis Marianae ſententia: quod tamen nemo niſi deſipiens e Catholicis dixit, aut dicere poteſt. Addent, monſtrum plane eſſe, Certum appellari *Cultum* & *Honorem Virginis* in Scotiſtica ſententia, quando *Veritatem* ipſius ſententiae adhuc fatemur Probabilem quidem, ſed minime Certam, ita ut formidinem Erroris neutiquam excludat, quum Certitudo Cultus, Honoris, Pietatis, Sanctitatis fluere tantummodo poſſit e Certitudine Veritatis, quae eidem ſententiae inſit. Finge nunc, Parthenotimum fateri, non ſpectare ad Fidei Dogmata Pietatem iſtam, Cultum &c. Urgebunt vehementius imprudentiam, temeritatem, Fanaticiſmum morientium pro ſententia, quae nihil aliud demum ſit niſi *Opinio*; & a qua cerebellum noſtrum jure excludere nequit metum Erroris, quando Parthenotimus ipſe negare non potuit, quin judicante Eccleſia Veritas deprehendi poſſit aliquando in *ſententia Piae oppoſita*. Reponente autem Parthenotimo, dari aliam Certitudinem, quae ut is ait pag. 24. non *a Revelatione Dei clare ſibi nota*, *ſed ex conſenſu Theologorum*, *Academiarum*, *ex univerſalibus Patrum locutionibus oriatur*, Parthenotimum nullo negotio obruent, contendendo, non ſufficere haec ad invehendam Certitudinem, pro qua Certum Vitae bonum commutare liceat, quum ſigillo Veritatis, quod Eccleſia una apponere poteſt, careat ejuſmodi Certitudo; immo quum Eccleſia, quaeſtionis probe conſcia, uti Incertam illius Veritatem hucuſque agnoverit. Adjicient, falſo venditari *conſenſum hunc Theologorum*, *& Academiarum;* nam Theologi & Academiae *Piam* quidem, hoc eſt *Probabilem*, agnoſcunt ſententiam Scotiſticam, nequaquam vero *Certam;* immo illam ita tuentur, ut paratos ſe fateantur ad concedendum in oppoſitam, ſi quando Sedes Petri Veritatem in Thomiſtica potius, quam in Scotiſtica ſententia detegeret. Inſuper falſo jactari ejuſmodi *conſenſum* contenderent, prolatis veterum Theologorum placitis, apud quos per tot Saecula *Communis* fuit Thomiſtica ſententia. Denique objicerent nobis non jam pau-

paucos, ut Parthenotimus dictitat, sed plerosque ex antiquis Patribus, qui *unum Jesum Christum* a culpa primi parentis immunem fuisse concordi voce tradiderunt; unus quippe sine Concupiscentia, & non virili e semine, sed opere Spiritus Sancti, procreatus in utero Virginis fuit. Haec, ut puto, adversus nos Heterodoxi aliquando jaculari possent, nisi mature obviam iretur perversis consectariis, quae e pervicaci tutela Voti Sauguinarii effluere possent. Utrum mihi, an Parthenotimo, heic Veritas & Ratio militent, Ecclesiae, aut, saltem Prudentiorum judicium decernet.

Sexto dico: *Imprudenter ac temere Votum Sanguinarium concipi, quum grave illius pondus minime a voventibus satis perpendatur.* Peto enim ego, num qui sese novitio hoc Voto obstringunt, serio prius animadverterint, quid polliceantur, quidve sperent. Non enim agitur de ictu tantum securis, celerique morte; sed etiam de tormentis quibuslibet perferendis, qualia fortissimi Athletae nominis Christiani olim sustinuere. Profecto non consuevere Tyranni sibi contradicentium Vitas ictu uno amputare. Immo exquisitis tormentorum generibus student, ut in suam sententiam reluctantes trahant, antequam in illorum caput postremo supplicio animadvertant. Horremus nos, quanquam a barbaris iis spectaculis remotissimi, lanienam Martyrum legentes, & nunquam lassas in iis excruciandis & dilaniandis satellitum manus. Et haec tamen e tutissimo loco mente duntaxat metimur. Aut ergo Votum tolerandae mortis tam facile zelatores nostri concipiunt, quia ignorant, quam duro, tremendoque discrimini sese offerant; aut si omnia probe tenent, ideo tam placido, serenoque vultu vovent, quia sibi pollicentur, nunquam promissi implendi occasionem esse adfuturam, dum inter Catholicos pacatissime vivunt, & Barbarorum persequutio hanc ob rem nunquam pertimescenda videtur: quod sane Thrasonum potius piorum est, quam fortium Christianae Religionis pugilum. Ut ut tamen sit, si serio agunt, rursus peto ego, qua spe agantur, tormenta acerbissima devorandi, & mortem denique fortissime tolerandi? Ad ineundum Martyrium pro Catholica Fide, nemo neget, Sancto Augustino variis in locis id tradente, quin speciali Gratia & auxilio Dei sit opus. Et istud sane divinus Magister spopondit cuicunque, non temere ad testandam Veritatem coelestis suae doctrinae pergenti. At quibus, quaeso, tabulis Parthenotimus singulare istud auxilium clientibus suis spondeat? Nimirum absque ullo divinarum Litterarum aut Ecclesiae suffragio, immo saltem tacite contradicente Ecclesia, Sanguinarium Votum pro

Conceptione Virginis procusum fuit; illudque suo tantum fidentes ingenio nonnulli efformant, aut depraedicant, & quidem pro Opinione tuenda, quae dubitationem omnem Erroris minime excludit. Atqui non ab hominum ingenio ac arbitrio, sed a promissionibus Christi, sperandum expectandumque est peculiare divinae gratiae auxilium; neque Temeritas absit ab exponente sese immanibus tormentis, nisi eum Ecclesia certum faciat, illius lateri adfuturum, qui in veris Martyribus certare ac vincere consuevit & potest. Quare ad *Tentationem Dei* referri potest hujusmodi audax consilium, quum nulla necessitas nobis adsit, a lege Dei aut Ecclesiae imposita, fundendi Sanguinis pro tuenda Scotistica sententia, neque utilitas in Ecclesiam manare possit e Sanguine pro illa fuso; non enim propterea evasura Vera ac Certa eadem Sententia. Quod si *Martyrio sese offerre temere, & absque justa caussa*, vel quum agitur de Veritatibus Fidei propugnandis, *Tentatio Dei* est, uti Th. Sanchez ostendit in Decalog. Lib. 2. Cap. 34. quanto minus mortem eligere licebit pro sententia seu Opinione duntaxat Pia, quae certe exclusa est e catalogo Veritatum Fidei? Origenis verba audiamus Tom. 31. in Joannem: *Honestum quidem est*, ait, *si inciderit certamen pro confitendo Jesum, confessionem non differre, neque tardare mortem pro Veritate oppetere. At non minus quam hoc honestum est, tali tantaeque tentationi Occasionem non dare, sed omnimodo vitare eam: non solum quin tantae rei exitus incertus sit nobis, verum etiam ne nos occasio simus, ut magis Peccatores, magisque Impii evadant illi, qui nondum Sanguinem nostrum re ipsa effudisse rei sunt facti; si quae in nobis sunt facientes, declinaverimus eos, qui insidias nobis vel ad mortem usque moliuntur; sed puniendi alioquin majori graviorique poena nostri caussa, si nostri amantes, rebus illorum posthabitis, exposuerimus nos ipsos interficiendos, nulla nos necessitate urgente*. Paria habet Clemens Alexandrinus, Gregorius Nyssenus, Petrus Alexandrinus, Gregorius Nazianzenus, ac alii Patres. Si illi improbati, qui nulla necessitate urgente ad tormenta & mortem currebant pro Fide, Deum quippe quodammodo tentabant, caussamque praebebant impiis, ut peccata peccatis adderent: num probandi, qui mortis subeundae necessitatem, quam nemini Ecclesia imponit pro tuenda Scotistica sententia, ipsi arbitrio suo sibi faciunt ac imponunt? Neque *Cultum* ac *Honorem Deiparae* obtendere juvabit. Non nostrum est, sed Ecclesiae, praescribere rationem veram colendae ac honorandae Virginis. Laudat Ecclesia tuentes voce & scriptis Immaculatam Conceptionem; at nunquam laudavit aut probavit, Sangui-

guinem etiam dare pro illius sententiae tutela, quia nunquam probavit mortem oppetere pro Opinionibus, licet Piis, qualis adhuc est in Ecclesia Dei Scotistica sententia.

Septimo dico: *Minime ferendum Votum Sanguinarium, quia Votum tantummodo officiosum est, ac potius irrisorium.* Tormentorum ac necis crudelissimae terrores nuper ego ingerebam paucis Siculis, Vitam suam sacrantibus tutelae Immunitatis Marianae. Verum ex altera parte insurgit Parthenotimus, animosque addit clientibus suis, ut Votum intrepide concipiant, ac nullo eculeorum & patibulorum metu se concuti patiantur. Scribit enim pag. 100. *Theologos ut vitae prodigos moderari prius cogitet Lamindus, quam moderetur, tamquam vitae projectionem, Pium Votum, ac Juramentum. Quippe plures in carcere, quem Jurans repetere debet, sunt enecti; nec Unus Conceptionis defensor Vitam amisit; imo nec periculum subiit illam amittendi.* Haec rogo perpendant, & mihi explicent sapientes. Ad me quod attinet, hic eorum sensus mihi videtur. Bono animo estote, Siculi mei, qui me Magistro utimini; atque hilares vovete Votum cruentum de tuenda Scotistica sententia: nil funesti inde vobis continget. Pacificos dies usque ad senectam ducetis; neque vel unus capillus ob Votum istud e capite vestro peribit. Aliorum exemplum respicite, qui par Votum antea concepere: nec unus Vitam amisit, immo ne periculum quidem subiit illam amittendi. Si haec non immerito tribuenda sunt Theologo nostro, jam habet Lector, quid demum sentiendum sit de Voto Sanguinario. Nimirum illud esse Votum irrisorium; ac suaderi hominibus, ut ipsum emittant, sed simul adjecta, ut ita dicam, cautione, ne guttam quidem sanguinis unquam ipsos ea de caussa esse profusuros. Ubinam ergo *Votum* illud *magnanimum*, quod Parthenotimus tantopere in Praefatione extollebat, quando insinuat, nullum, ne leve quidem, periculum subesse incommodi, nedum mortis, illud voventibus? Atque ecce, quo desinat mori *pro Pietate, pro Cultu, pro Honore Virginis.* Immo, tacite ait Parthenotimus, nullus vestrum morietur, semperque aberit Vitae discrimen ab hujusmodi Voto, quod non concipitur in eum finem, ut Sanguis reapse sit fundendus, sed ut sensim Populo persuadeatur, sententiam, quam nos depraedicamus, evasisse tam Certam, uti sunt Articuli Fidei; atque ut volentem, nolentemque Ecclesiam cogamus ad hanc Opinionem Articulum Fidei decernendam. Quod si Tyrannus (nondum natus, & nunquam fortasse nasciturus) aliquando mortem, horrendamve membrorum lacerationem minaretur, tunc Vitae nostrae

conſulemus aut commutatione Voti, aut alia quapiam commoda ratione, quae non deerit. An Parthenotimi mentem aſſequutus ego heic fuerim, prudentum erit judicare. Ubi vero ita ſe res habeat, nemo neget, quin conſpectum etiam ex hac facie Votum Sanguinarium, minime ferendum appareat, quum ludibrium ſit Pietatis, & ſub ſpecioſa magnanimitatis larva alio collineet.

CAPUT XVI.

Martyrii Spes Voti Sanguinarii amatoribus perperam facta. Sancti Thomae, & Cardinalis Capiſucci in hanc rem doctrina. Pro Veritatae ſententiae Scotiſticae revera Voventes ſe Vitam daturos pollicentur. An Theophili Raynaudi ſententia de Vita danda pro eadem ſententia improbata Romae fuerit.



CTAVO denique loco dicendum eſt: *Intolerandum eſſe Votum Sanguinarium, quod ſuis patronis nomen Martyris, & coronam Martyrii polliceatur*. Longe antequam Alexander VII. poſtremam Bullam de Controverſia Conceptionis promulgarit, hoc eſt ineunte jam Seculo XVII. audiri coepta eſt in Hiſpania Opinio nonnullorum, affirmantium, tolerare mortem ad teſtificandam gratiam originalem Virginis, fore *verum Martyrium*. Scilicet Anno 1615. quum confictae Laminae Granatenſes, Pſeudo-Dextri Chronicon, aliaque piorum Impoſtorum monumenta, veluti ancilia e Coelo dimiſſa, omnem dubitationem de Veritate Immaculatae Conceptionis e piiſſimae gentis Hiſpanicae cordibus amoviſſet, religioſo aeſtu excitati nonnulli, fractis fraenis quibuſque, nihil non ſunt auſi. Atque illi quidem imperterrito animo depraedicare coeperunt veluti Dogma Fidei ſententiam Scotiſticam: quo poſito conſequens erat, glorioſum *Martyris* nomen iis eſſe deferendum, qui pro ipſa tuenda in certamine animam ſuam exponerent. Tunc ergo Theſis erupit, *Martyrii* laudem pollicita morientibus pro ejuſmodi cauſſa; atque haec illaeſa dicitur evaſiſſe e ſupremi Tribunalis Inquiſitionis Hiſpanicae examine. Eam proinde, flantibus tam propitiis ventis, tutati ſunt *Alvarus de Palacios* in Diſc. pro Immac. Concept. *Aegidius de Praeſentatione* in Lib. de Praeſervat. Virginis, *Jacobus Granado* in Lib. de Conceptione, & *Chriſtophorus de Vega* in

in Theolog. Mariana: *Saavedram* quoque supra vidimus pro eadem Martyrii sponsione pugnantem. Immo idem Granado refert (credat qui velit) in eam opinionem inclinasse eximium Theologum *Franciscum Suarez*, cujus Epistolam laudat. Hisce Parthenotimus addit *Ludovicum Turrianum*, *Thomam Frances de Urrotigoiti*, & *Franciscum Castillo Velasco*; addendus & ipse tandem aciei tantorum commilitonum. Quamvis enim Theologus noster, incertus quem eventum habitura sit pugna, praefracte non deferat nomen & aureolam Martyrii pro caussa ista occumbentibus: satis tamen significat, sibi eandem opinionem probari, immo & ipsam clientibus suis artificiose insinuat. Hac praecipue de caussa Lamindus Sanguinario Voto obsistendum credidit, quod audisset hominem Populo suadentem mori, si occasio ferret, pro tuenda Virginis Conceptione sine macula; gloriosam enim hanc mortem subsequeretur praemium ac nomen illustre *Martyris*. Quid porro Siculus Theologus in hanc rem habeat iterum audi: *Virtutis opus est*, ait pag. 19. *Virginem ut a labe Immunem venerari, quia Pium est, ipso fatente Pritanio. Virtutis opus est, vovere actum Virtutis, & Votum servare: Vovete & Reddite. Quid ergo impedimento esse potest, ut pro his Virtutis actibus mortem quis subeat, & Martyr nuncupetur?* Pag. 59. addit: *Vovens non pro Opinione* (scilicet Scotistica de Conceptione Virginis) *sed pro Deiparae Cultu moreretur. Affirmare autem quod Mori ob exercitium Virtutum aequetur morti pro Fide confitenda, nullum est facinus, nec res est moderationis indiga*. Tum pag. 74. ostendere conatur, non esse hoc *Martyrii novum genus*, quo nomine Lamindus illud confixerat; nam Sancto Thoma docente, *Omnium Virtutum opera, secundum quod referuntur in Deum, sunt quaedam protestationes Fidei*. Parthenotimus autem in ea sententia est, mortem oppetere pro Immunitate Virginis esse *Opus Virtutis*. Quamobrem animadvertat Lector, non solum contendi a Theologo Siculo, *Honestum* esse ac *laudabile* pro Scotistica sententia mori, sed etiam *veri Martyrii* gloriam deberi morientibus. Quae opinio quum gravissima res certe sit, omnium prudentum Catholicorum examen exigit.

Ad me quod attinet infimum omnium, censeo, nunquam in Ecclesia Dei tolerandam ejusmodi sententiam, eamque sollicite eradicandam, ne sub Martyrii spe incauti Fideles, ubi neque opus est, neque licet, in mortem ruant. Et profecto si quae hactenus disserui, solido fundamento nituntur, jam supervacaneum sit alia ad hanc molem dejiciendam referre. Si enim honestum minime est, immo Pec-

catum

catum est, pro tuendis Opinionibus Vitae jacturam pati; & sententia Scotistica inter Opiniones hactenus numeranda venit: reliquum est, eo minus *Martyrii* palmam ac nomen tribuendum certantibus usque ad mortem pro eadem Sententia. Vera autem narrat Parthenotimus post alios Theologos, quum ait, pro caussa etiam *Virtutis* posse verum consummari Martyrium, quia & *Virtutum opera sunt quaedam protestationes Fidei*, quae in iis peragendis elucet. Sed ejusmodi doctrinam is nunquam aptet morienti pro Immunitate Beatissimae Virginis. Nam ut idem Angelicus Doctor tradit 2. 2. Quaest. 124. Artic. V. *Omnium Virtutum opera, secundum quod referuntur ad Deum, sunt quaedam protestationes Fidei, per quam nobis innotescit, quod Deus hujusmodi opera a nobis requirit, & nos pro eis remunerat. Et secundum hoc possunt esse Martyrii caussa: unde & Beati Joannis Baptistae Martyrium in Ecclesia celebratur, qui non pro neganda Fide, sed pro reprehensione adulterii mortem sustinuit.* Integra Aquinatis sententia proferenda Parthenotimo erat, & tunc perspexisset, quam male regula ab eo adhibita a casu nostro aberret. Inquit Sanctus Doctor, e Fidei doctrina debere prius innotescere morituro pro opere Virtutis, *Deum hujusmodi opera a nobis requirere, & velle pro eis nos remunerari.* At quandonam doctrina Fidei fuit, exigere Deum, aut Ecclesiam, ut pro tutela Scotisticae sententiae mortem subeamus? Et quaenam hactenus auctoritas infallibilis certos nos fecit, Deum remuneraturum esse morientes pro hujusmodi caussa? Immo exigit Deus & Ecclesia, ne temere ac imprudenter prodigamus Vitam nostram, & ne pro tuendis Opinionibus, quantumlibet Piis, eam impendamus, quales adhuc esse sententias Scotisticam & Thomisticam de Conceptione Mariae quilibet sapientum judicat & docet. Neque sufficit *Persuasio* nostra, quae in rebus Evidentia carentibus fallax ex natura sua est, & nisi ab infallibili auctoritate Certitudinem Veritatis in iis, quae a Revelatione pendent, assequatur, tam pro Vero, quam pro Falso, determinare se potest. Utramque istam rationem scite expressit Raymundus Capisuccus Ord. Praedic. Sacri Palatii Magister, postea S. R. E. Cardinalis, Controvers. XXVII. de Martyrio §. 16. *Cujuscumque*, ait, *Virtutis opus, prout refertur in Deum, esse potest materia Martyrii. Cum autem dicimus, prout refertur in Deum, hoc ita intelligendum est, ut opus Virtutis referendum sit in Deum, & ex intentione ipsius Martyris patientis, & ratione ipsius operis, quod ex se ipso Deum respiciat. Ita ut ad Martyrii rationem inducendam non sufficiat, quod aliquis mortem patiatur pro Virtutis opere,*

pere, quod ſolum ex intentione patientis referatur in Deum; ſed neceſſe eſt, quod opus illud etiam ex propria ratione Deum reſpiciat, ut finem ſupernaturalem, & ad Deum ex propria ratione relationem habeat; ita ut paſſio re ipſa, & ex propria ratione, quia eſt paſſio pro VIRTUTE PER FIDEM COGNITA *tendat etiam ex ſe ipſa in Chriſtum, & in Dei gloriam cedat &c. Nec Martyr eſſet, qui occideretur* PRO DEFENSIONE OPINIONIS, *quam falſo credit eſſe de Fide; nam revera Divinae Fidei teſtis non eſſet, quia reipſa quod ipſe credit, ad Fidem non pertineret, nec ejus paſſio in Fidei manifeſtationem cederet.* Non diſſimilia tradit Leſſius Lib. III. Capit. I. Dubit. 3. Quare videas, neceſſarium eſſe ad Martyrium, ut opus, pro quo danda eſt Vita, ſit opus Virtutis, cujus veritas ac pretium per *Fidem* ſit nobis certa. Neque ſufficit generalis Virtutis illius cognitio per Fidem, ſed oportet, ut opus illud ſingulare *ex propria ratione ſpectet ad Fidem*, ac referatur ad Deum. Neque ſufficit Intentio, Perſuaſio, & Affectio noſtra, quum nihil horum efficere poſſit, ut opus illud pertineat ad Fidem, Certumque ſit, quando illud Incertum ſit ex propria ratione. At nemo neſcit, excluſam adhuc eſſe e doctrina Fidei ſententiam Scotiſticam, eamque inter Opiniones hactenus eſſe numerandam; ac proinde intelligit, perperam Martyrii ſpem praeberi occumbentibus pro illius tutela. Incertum quippe adhuc eſt, an Deus Immunitatem illam Virgini tribuerit, atque an Deo placere poſſit, ſitque Virtutis opus ad Fidem ſpectantis, diſcrimen Vitae incurrere pro ejus tutela.

Fortaſſe reponet heic Parthenotimus, eſſe Virtutis opus ad Fidem pertinens, atque commendatum a Deo, *Cultum ac Honorem Deiparae*, illiuſque tutelam. Sed toties dixi, ſemperque nobis repetendum eſt, Fidei quidem Dogma eſſe *Cultum ac Honorem Virginis;* ſed minime ad Fidem ſpectare cunctos illius colendae ac honorandae modos: nam & ex his ipſis occurrere poſſunt, qui Errorem, Superſtitionem, & Haereſim ſapiant, uti de Collyridianis factum jam legimus. Si Probabile tantum eſt, Virginem expertem fuiſſe originalis contagii, neceſſario Probabile etiam duntaxat ſit, non vero Certum Fide divina, Virginem ita eſſe colendam: temere vero ac imprudenter ab illo agi, qui aſſumens veluti Certum hoc Incertum, pro ipſo Vitam profundat, maximum videlicet, Certiſſimumque Bonum. Addit tamen Siculus Scriptor, fatente etiam Lamindo, *calamo & rationibus Immaculatam Deiparae Conceptionem tueri, procul dubio cum vera Pietate conſonare.* Ita ſane eſt, quia, docente nos in primis Eccleſia Romana,

na, scimus, Probabiles adesse rationes, propter quas sententia haec non videtur hactenus adversari Dogmatis Fidei, immo videtur consonare cum ipsis, ita ut jure *Pia* appellanda sit. Verum hoc non eximit sententiam hanc e numero *Opinionum*, immo ipsam inter Opiniones enumerandam evincit. Quum enim dicimus, *Pie credo aliquid*, nihil aliud significamus, nisi nos nequaquam e clara & evidenti cognitione Veritatis existentis in sententia proposita, sed ex apparentia Veritatis, quam nobis rationes Probabiles insinuant, & religioso quodam affectu, assensum praebere illi sententiae. Quare ipsum appellare *Piam* aliquam sententiam, excludit Certitudinem illius in communi Theologorum sermone. Aliter loquimur, quum Certitudinem aut Fidei, aut Evidentiae Moralis, Physicae, aut Metaphysicae tenemus. Non enim dicimus *Pie credo:* mortuorum in postremo judicio Resurrectionem; sed *divina Fide credo:* quum Certitudinem rei ex auctoritate Dei revelantis habeamus. Non dicimus *Pie credo*, Sanctum Augustinum Hipponensem Episcopum vixisse ineunte Seculo V. multosque Libros scripsisse; sed *Scio*, *Certumve id habeo* ex evidentia morali. Contra, ubi deest Certitudo, ac Opinioni tantummodo locus est, quum de rebus agitur, sive sententiis, quae spectare ad Dei Cultum, atque ad Honorem Servorum Dei possunt, tunc dicimus: *Pie credo*, exempli gratia, Scientiam mediam, Miraculum aliquod Sancti Augustini, aut Sancti Antonii Patavini, & Caput aut Reliquias Sancti Joannis Baptistae adservari in illa Civitate ac Templo. Quare, ut pro modulo meo loquar, si affectu seposito Parthenotimus intime suam sententiam scrutabitur, facile inveniet, totam Martyrii sui telam in una Phantasia sua, imagines Pietatis intra se agitante, aut si mavis dicere, in uno Intellectu, contextam. Est quidem Veritas cognita per Fidem Honor & Cultus genericus Deiparae, & Virtus itidem ad Fidem spectans, eam colere ac honorare; at descendendo ad particularia, minime per Fidem novimus, in Honorem Virginis Sententiam Scotisticam cedere; neque doctrina Fidei nos docet, Cultum legitimum, Deoque ac Virgini gratum, esse Vitae nostrae sacrificium pro hujus sententiae tutela. Quippe Ecclesia *Piam* quidem, hoc est *Probabilem*, non vero *Certam* habet ejusmodi sententiam: neque improbat, minusque caros habet, qui oppositae adhaerent. Ergo credere Veram ac Certam Scoti sententiam, atque existimare bene collocatum in illa tuenda ingens Vitae nostrae bonum, unice consistit in *Persuasione*, *Affectione*, & *Intentione* volentis pro Opinionis illius patrocinio mori, non autem in re, seu opere, quod

Cer-

Certo, & *ex propria ratione* ſpectet ad Cultum & Honorem Virginis: quum conſtare aliquando poſſit, judicante Eccleſia, praeferendam eſſe Thomiſticam ſententiam, ac propterea non eſſe colendam hac ſpecie Cultus atque Honoris Sanctiſſimam Chriſti parentem. Fallaci autem, ut toties dixi, principio nititur, qui regendum ſe tradit uni ſuae Perſuaſioni, Affectionique, licet Piae ac bonae; idque praecipue accidere in voventibus ſuam Vitam pro defenſione Scotiſticae ſententiae. Neque enim in caſu iſto excuſare nos poteſt, aut juvare Ignorantia, ſive Error Invincibilis, poſtquam nemo e doctis ignorare poteſt aut debet, pendere judicium Eccleſiae, atque iſtud inclinare poſſe in contrariam ſententiam; & noſſe poteſt ac debet, dari Opiniones ſpeculative probabiles, immo probabiliſſimas, quae tamen in praxi ſint improbabiles: quod potiſſimum obſervandum eſt in rebus magni momenti, & praecipue ubi agitur de Vita hominum proiicienda. Nam ut ut ratio ſpeculativa gravis occurrat, poſſe Deo placere Opinionem noſtram de Virgine ſine labe concepta, & prudenter propterea nos voce & calamo poſſe ipſam tueri: ſi tamen Opinionem iſtam ita exaggerare, & ex ejus ſuppoſitione ita nobis imperare volumus, ut pro ipſa tuenda tanquam certiſſima mortem eligamus: tunc alia ratio longe gravior, immo certa, ac talis nobis occurrit, ut primam prorſus proſternat, videlicet, Malum eſſe Vitam ponere pro Opinione, ac vetari nos a Deo mortem oppetere pro ſententia, cui hactenus nulla infallibilis auctoritas certitudinem contulit.

Reſtat ergo, ut qui pro ejuſmodi cauſſa occumbat, non ſit *Martyr Fidei*, ſed *Martyr Opinionis;* & quidem ab Eccleſia damnandus, quippe qui peccat, dum pertinaciter contra mentem Eccleſiae contendit, aliquid ſine dubitatione ſpectare ad Dei cultum & Virginis Honorem, quod is negare non poteſt, quin adhuc Certitudine apud Eccleſiam careat; ſuoque judicio imprudenter fidens, pro non certo Honore Deiparae Certiſſimum, magnique momenti pignus, neque ſuum, ſed Dei, Vitam ſcilicet, commutare ſtatuit, Eoque facilius imaginarii hujus Martirii ruinoſa fundamenta deprehendes, ubi intelligas, Votum voventium tutelam Scotiſticae ſententiae Sanguine ſuo, reſolvi revera in tutelam *Veritatis Certae*, quae ineſſe eidem ſententiae creditur. Nam quicumque vovent, ſe tutaturos aut ſcriptis tantum ac voce, aut etiam Sanguine Immunitatem Virginis, ii non *Pietatem* ſententiae, ſed *Veritatem* hujus Immunitatis, ſive Certam illam credant, ſive Probabiliorem oppoſita ſententia, ſibi ante oculos ſtatuunt defendendam. Nullus eſt mihi e paucis Auctoribus, qui in *Martyrum*

album inferre ſunt auſi morientes pro Opinione Scotiſtica, neque ulla mihi cupido legendi intemperantium ejuſmodi Auctorum ſcripta. Attamen quid in hanc rem habeat *Gabriel Saavedra*, ſupra vidimus. Quid etiam docuerit *Chriſtophorus de Vega* in Theolog. Mariana Paleſtra 3. Certam. 19. nobis ediſſeret Auctor Hiſtor. Controverſ. de Concept. Nimirum Vega *verum Martyrem* habet, qui ſe morti offerat propugnandae cauſſa propoſitionis hujus ſpeculativae: *Verum eſt, & Certum, Virginem prorſus fuiſſe immunem ab Originali Peccato. Nam*, ut is ait, *tueri Veritatem Certam ac Infallibilem ex iis, quae in honorem & obſequium Dei cedunt, eſt Actus Religionis. Ejuſdem generis eſt gratia originalis Deiparae. Hanc vero Certam atque Infallibilem eſſe, argumenta producta evincunt. Ergo quicumque perſuaſum hoc habens, teſtis hujus Veritatis occumberet, Martyrii palmam conſequeretur. Neque juvat dicere, hanc eſſe Opinionem, & conſequenter ejus tutelam non eſſe Actum Virtutis, neque proteſtationem Fidei, atque adeo neque Martyrium teſtari eam Sanguine ſuo. Non enim dici poteſt Opinio, de qua efformetur incertum judicium, ſed ſententia, quae nixa infallibilibus argumentis omnem a mente formidinem excludit, immo & omnem imprudentiam in credendo Virginem peccati Originalis expertem. Quicumque ergo eam ut talem veneratur, ut par eſt, atque pro ea mortem oppetit, certe Martyr eſt. Qui vero illam immerito adhuc Opinionem cenſet, & per conſequens certum de ea judicium non efformat, hic ſine dubio non foret Martyr, ſed imprudens ac temerarius, ſi ut eam tueatur det Vitam*. An confidentia in iis, qui talia venditant, deſideretur, quiſquis ſapit, continuo intelliget. Succedat & *Granado*, Martyrii ejuſdem ſponſor, qui cautius animadvertens, diſſipari nullo negotio poſſe jactatam a nonnullis intemperantibus ingeniis Certitudinem Veritatis in eadem ſententia, ſuppeditavit novis hiſce Martyribus effugium, quod Parthenotimus arripuit, & ego hactenus oppugnavi, ſcilicet debere morientes profiteri ſe mori *pro eo, quod in Veritate ſpeculativa Immaculatae Conceptionis eſt Certum, hoc eſt pro defendendo Cultu & Feſto Immaculatae Conceptionis, praeſcripto ab Eccleſia, ſententiam Immaculatae Conceptionis eſſe tutam & Piam*. En quibus Magiſtris profecerit Parthenotimus noſter, qui tamen uti ingenioſior, utramque miſcuit ſententiam, ſcilicet debere Voto Sanguinario addictos profiteri, ſe Vitam daturos, non pro *Veritate ſpeculativa* ſententiae Scotiſticae, ſed pro *Cultu & Honore Virginis*, qui certo ad Virtutem Religionis ſpectat, & eſt quaedam proteſtatio Fidei; ſed ſimul debere ipſos perſuadere ſibi, *Certiſſimam eſſe Veritatem*

eju-

ejusdem sententiae. Verum percontari juvat ab ingeniosis hisce viris, an credant, Cultum & Honorem hunc descendere e sententia tribuente Virgini praerogativam istam. Fatebuntur, ut arbitror; deinde, an credant, Certum Honorem obvenire alicui posse e non Certa praerogativa. Negent hoc oportet; nam implicat contradictionem, credere, Honorem minime dubium heic tribui Deiparae, simulque credere dubiam, sive nondum Certam praerogativam Immunitatis, ex qua manare debet hic Honor. Atqui, ut hactenus ostendimus, sententia Scotistica de Conceptione Virginis nondum e finibus *Opinionum* exiliit; & Lectori amplius non est opus, ut repetam *Persuasionem* privatorum hominum carere virtute efficiendi Certum, & credendi reipsa Revelatum a Deo, quod Ecclesia in suis decretis uti dubium, atque an a Deo revelatum fuerit, Incertum adhuc agnoscit. Ergo ubinam Certus ille Virginis Honor, pro quo certum Vitae suae bonum impendere vult Sanguinarii Voti patronus? Ubi *protestatio Fidei*, quum de Opinione agatur, super quam fundatur Honor iste tantopere depraedicatus? Alibi vidimus, quid sit *Pietas Opinativa*, *Cultus Opinativus*, *Honor Opinativus*, Pius sane ac laudabilis, quod nulli praecepto Dei adversetur, quod nullum reipublicae detrimentum adferat, immo quod sufficienti ratione constet, per quam consonare merito dicatur cum recta Ecclesiae doctrina. At velle in mortem incurrere pro Cultu isto ac Honore Opinativo, in reipublicae damnum cedit, cujus membra sunt quilibet cives; & divino ac naturali Praecepto opponitur de non temere projicienda Vita nostra; demum peccat in Ecclesiae doctrinam, quae Opinionibus quidem Piis justissime favet, sed simul praecipit, ne quis pro ulla Opinione quantumlibet Pia ultro necandum se praebeat. Et quum in ipsius Ecclesiae successione per tot Secula nullum similis inconsultae Pietatis exemplum occurrat: quid aliud superest, nisi ut Sanguinario Voto addictis spem eripiamus non solum Martyrii, sed operis liciti atque laudabilis.

Neque aliam fuisse hactenus mentem Romanae Ecclesiae in quaestione ista scripsit Lamindus Pritanius, cujus sunt haec verba: *Non unus autem ego in hoc Voto profundendae Vitae pro Immaculata Conceptione Virginis Superstitionem timeo. Timuit & timet Apostolica Sedes, quae quamvis eamdem Opinionem maxime Verisimilem, & Piam dicat; nihilominus Votum in Theophilo Raynaudo olim non probavit, ipsumque affirmantem, pro ea caussa pium esse mori, silere jussit.* Mirum est, quantopere Parthenotimum nostrum concusserit mentio haec

Apoltolicae Sedis, non probantis cruentum paucorum Votum, ac Theophili Raynaudi, expungere juſſi ſponſionem factam morientibus pro Scotiſtica ſententia. Aeſtuat ille hac de cauſſa, & non uno in loco proelium redintegrat, ut hujuſmodi telum nimis ſibi moleſtum a ſe avertat. Pag. 68. petit, unde haec Lamindus acceperit, & *quibus tabulis*, *quibus monumentis*, *quo Auctore* narrationem ſuam comprobet. Cauſſam exponit, cur ipſius Raynaudi Liber de *Martyrio per Peſtem* confixus fuerit Anno 1646. a ſacra Congregatione Indicis; atque inde infert, *dubiae fidei* eſſe *praeceptum illud ſilentii Theophilo datum ab Apoſtolica Sede*, *&* *ab uno memoratum Lamindo*. Addit, ſilere minime juſſos novem alios Scriptores, qui eandem *Martyrii* fiduciam ingeſſerant mortem ſubeuntibus pro Immunitate Mariana; ac propterea veriſimile non eſſe, quod de Raynaudo Lamindus venditat. Subdit praeterea: *Neque Apoſtolica Sedes ſilere juſſit omnes Academias*, *quae vovent*, *votoque ſacramentum adiiciunt*, *ſe tuituras Beatae Virginis Immunitatem ab omni macula:* quod nemo non videt, quantum a controverſia noſtra ſit alienum, quum nimium differant, Opinionem tueri voce & calamo (quod & Lamindus laudavit) atque pro ea Opinione tormentis & ſecuri ſeſe offerre. Tum pag. 96. conqueritur, *quod Lamindus non egerit cum Raynaudo benignius*, *qui profecto majorem ſibi ab eo gratiam polliceri vir apprime Catholicus poterat*. Sed non multis heic opus eſt. Poſſidet Parthenotimus eandem, qua ego utor, editionem Operum Theophili Raynaudi. Facile potuiſſet intelligere, Lamindum non ſine bonis tabulis Raynaudi mentionem praeſenti quaeſtioni immiſcuiſſe, ſi pari diligentia rem ſibi ingratam quaeſiiſſet, qua gratae quaeri conſuerunt. Tomum ergo Vigeſimum ejus Operum adeat, ſibique pagina 156. occurret *Correctio facta a Congregatione Indicis Libri inſcripti de Martyrio per Peſtem*. Ibi iſta leguntur: *Expungatur id*, *quod Author ſcribit: Eum futurum MARTYREM*, *cui mors intentaretur*, *ſi Piam ſententiam de Conceptione Beatae Mariae Virginis Immaculata non improbaret*, *iſque mallet mortem prius acceptare eam ob cauſſam*, *&* *re ipſa eam acciperet*. En quo Auctore Lamindus Raynaudum ſilere juſſum tradidit. Atque is revera edito rurſus eo Opere, opinionem quidem aliorum, Martyrium morientibus pro ea cauſſa promittentium, retulit; ſed ſuum ipſe judicium continuit. Heic autem antequam progrediar, animadvertat Lector, quam immerito expoſtulet Theologus Siculus, quaſi Raynaudo parum aequum & amicum ſe Lamindus prodiderit. Apud me profecto eſt maximo in pretio omnigena eruditio Raynaudi; atque arbi-

tror,

tror, ingentem ejus Operum molem reipublicae Literatorum admirationi non minus, quam usui esse posse; neque eximii viri meritis quidquam detrahit, quod ex ejus Libris opinionem illam eradendam Roma jusserit. An vero illum ego acerbe fuerim insectatus judicent recti rerum aestimatores. Dixi, Apostolicam Sedem *non probasse* depraedicatum ab eo *Martyrium*. Mitius loqui non potui, ipsumque meum argumentum exigebat, ut quid ei hac de caussa accidisset, non dissimularem. Quamobrem inanes Parthenotimi querelae abeant. Quod si is pag. 95. vulnus istud refricans dolet, quod Lamindus *non distinctius dixerit*, *a sacra Congregatione Indicis impositum Raynaudo silentium*, *atque non casu*, *Sedis Apostolicae vocabulo fuerit usus*, is pro suo ingenio querelas multiplicat: quippe ad auctoritatem Apostolicae Sedis refertur quidquid in variis Congregationibus Romanae Curiae agunt Eminentissimi Cardinales. Disertis verbis haec scripsit Sixtus V. in fundatione ejusdem Congregationis Indicis, ut habetur in ejus Constitut. LXXIV. *Libros*, *qui post Indicem Tridentini Concilii jussu editum prodierunt*, *Catholicae doctrinae*, *Christianorumque morum disciplinae repugnantes*, *expendant*, *&* *recognoscant: at ubi Nobis retulerint*, *Nostra Auctoritate rejiciant*. Licuit sane Raynaudo postea appellare ad Summum Pontificem, eique exponere, confixam injuste spem *Martyrii* a se factam morientibus pro Scotistica sententia; sed meliora edoctus, abstinuisse credendus est.

Utrum vero in sua sententia perstiterit vir ille doctissimus, an ab ea recesserit, nihil attinet inquirere. Satis nobis in praesentia est, Sacrae Congregationi minime probatam fuisse *Martyrii* fiduciam ingestam a Raynaudo, & nunc etiam a Parthenotimo, homini pro sententia Scotistica mortem toleranti. Quod autem animadvertendum heic est, vetuit sacra Congregatio, ne Raynaudus *Martyrium verum ac proprium* tribueret piis viris vita excedentibus, dum amore Dei infectis *Peste* inserviunt, aliave Caritatis ac Virtutis certae opera faciunt; simulque licere voluit, hosce appellare *Martyres improprie ac late* sumpto eodem vocabulo. At ubi de morte subeunda pro *Immaculata Conceptione* agitur, *Martyrii* nomen quodcunque expungendum praecepit. Ad haec perpendas velim, inter Votum Sanguinarium, & Raynaudi propositionem intercedere magni momenti discrimen. Aliud enim est, *asserere velle Certam*, & ad Cultum Dei ac Virginis sine dubitatione spectantem, sententiam Scotisticam; aliud *nolle eam improbare ac damnare*. Illud positivum, hoc negativum. In postremo casu, ut infra dicam, honestum fuerit mortem potius tolerare, quam

notam

notam Impietatis aut Falsitatis impingere eidem sententiae. Et nihilominus *Martyrii* tam proprii quam improprii nomen pro hac caussa occumbentibus negavit sacra Congregatio. Neque immerito. Nam ii *veri Martyres*, qui Sanguine suo obsignant aliquam Veritatem divina Fide credendam: ii *Martyres* etiam, sed metaphorice ac *improprie*, qui in exercitio Caritatis aut Patientiae e Vita excedunt; eorum quippe opus non Persuasione tantum propria, sed re ipsa Deo gratum est, atque ad Fidei doctrinam spectat. At qui, ne damnet sententiam Scotisticam, morti occurrit, opus facit, quod juste quidem opinemur placere Deo, sed nondum per Fidem novimus, an placeat Deo; quum liceat etiam contrariae adhaerere sententiae, cui qui adhaeret, ex natura rei etiam damnat ac improbat Scoti Opinionem. Deficiente igitur Certitudine objecti in moriente, ne damnet sententiam Scotisticam, non poterit is Martyrii, neque proprie, neque improprie sumpti, laudem ac nomen consequi. Quod si ita sensit sacra Congregatio de secundo casu, quanto magis eadem improbarit Voto Sanguinario devotos, idest mortem tolerantes, ut *Veram ac Certam* asserant sententiam Scotisticam, sive hanc Veritatem & Certitudinem statuas in propositione atque Opinione ipsa, sive in Pietate, quae inest actui Opinativo de Immunitate Mariana? Immo non ipsa tantum Congregatio profusionem Vitae in casu isto improbasse videtur, sed & ipse Theophilus Raynaudus jam damnasse dicendus est. Ejus verba de Martyr. per Pestem Part. II. Cap. III. num. 18. repetam, ubi illum duplicem casum distinguens ait: *In posteriore dubio statuendum est: Vitam Temere, nec absque SCELERE, atque adeo sine Martyrii fructibus abjiciendam pro Assertione alicujus Propositionis, cujus VERITAS non sit in Ecclesia PRORSUS rata, ita ut non sit exploratum, quod ejus assensus a FIDE exigatur*. Nisi Parthenotimus, aut quisquam alius evincat, Scotisticae Sententiae *Veritatem* esse in Ecclesia Dei adeo *ratam* & *exploratam*, *ut ejus assensus a Fide exigatur*: habet ille tandem tum a Sacra Congregatione, tum a Raynaudo ipso non solum *Martyrii* spem Sanguinario Voto ereptam, sed etiam ipsius Sanguinarii Voti damnationem.

CA-

CAPUT XVII.

An dare Vitam liceat, ne sententiam de Immunitate Mariana damnemus. Quid in casu isto agendum. Accuratius tamen negotium istud perpendendum.

HISCE autem positis, consequens profecto est, tolerandum minime fore *Votum*, in quo voventes contra Ecclesiae Romanae mentem *Martyrii* coronam sibi pollicentur; & quod gravius est, opus sibi statuunt praeceptis Dei & Ecclesiae contrarium: quum ne ipse quidem Parthenotimus neget, quin sit nefas Vitam impendere pro *Opinione* tuenda; isque negare nequeat, quin sententia Scotistica de Conceptione adhuc inter *Opiniones* sit computanda. Peccatum quoque est, velle pertinaciter Fidei Veritates aequare hominum Opinionibus. Peccatum, velle pervicaciter, ipsiusque Vitae sacrificio, Populo persuadere tanquam Certum illud, quod Ecclesia pro Incerto adhuc habet. Peccatum contra Justitiam, quum homo ex arbitrio suo, & Deo atque Ecclesia non solum non praecipiente, sed etiam improbante, profundere vult pro Opinionibus Vitam, cujus potestatem sibi reservavit omnium Creator. Peccatum contra Charitatem, quam quisque debet sibi; & Proximo etiam debet, quamvis Tyranno ac impio, cui ministranda sine necessitate aut utilitate Ecclesiae non est materies & occasio nova saeviendi atque peccandi: Peccatum denique contra Prudentiam, quum Bonum Certum ac ingentis pretii, voventes commutare temere velint pro Incerto. Et quoniam, uti Cardinalis Cajetanus scripsit loco supra commemorato, & Tamburinus confirmavit Lib. III. de Just. Tract. III. part. 3. Cap. 1. ipsa Opera positiva Virtutis, quorum bonitas e doctrina Fidei constet, uti *Evangelium praedicare apud Infideles: Sacrum celebrare: a Carnibus abstinere &c.* ut bona, honesta, & laudabilia sint in praxi, necesse est, ut debitae circumstantiae concurrant: alioqui non Virtutis sed Temeritatis opera evadunt: quanto magis temerarium erit velle pretiosum Vitae Bonum profundere pro Opere positivo Virtutis Opinativae, & minime per Fidem Certae, qualis est assertio Scotisticae sententiae? Vide & Lessium Lib. II. Cap. XL. Dubit. VII. num. 42. Reliquum proinde est, ut Sanguinarium Votum irri-

irritum ac nullum ſit, quum non ſit de meliori bono, immo ſit de Opere involvente peccatum; & qui monitus pervicaciter illud conciperet, aut ei poſt monita conſtans adhaerere vellet, a crimine excuſandus neutiquam foret.

Supra vero innuimus, duplicem diſtinguendum eſſe caſum, in quo certamen oboriri poſſet de ſententia Scotiſtica cum diſcrimine Vitae. Primus, *eligere velle interitum, ut aſſeras Veram ac Certam eamdem ſententiam*. Alter, *Vitae ſuae jacturam pati potius quam damnare eamdem uti Falſam ac Impiam*. Non eſt cum priore confundendus poſterior caſus. Diverſa enim omnino ſunt, Opinionem de Immaculata Virginis Conceptione Veram ac Certam inter gladios aſſerere velle, atque eam aſſerere nolle Falſam aut Impiam. Qui renuit Falſitatis aut Impietatis Opinionem arguere, non eam propterea Veram eſſe contendit; ſed tantummodo judicium ſuum continet, & nihil de Veritate aut Falſitate illius decernit. Quid ergo Catholico homini agendum, ſi ante Tyrannum ſiſtatur, aut a privato quopiam furente urgeatur, interrogatus, an credat, ſitne abſque originali Labe Virgo concepta; eique, ſi credat, inevitabilis mortis minae intententur? Quotieſcunque reſpondeat, ſe firmiſſime in hac eſſe ſententia, tormentaque & mortem potius eligat, quam recedere ab ejuſmodi Opinione: uti hactenus vidimus, temere ac imprudenter aget; reuſque ſceleris graviſſimi erit, utpote qui nimium ſuo judicio credit, illud praeferens judicio Eccleſiae, & praefracte Certitudinem Opinioni tribuere volens, qua tamen, pendente Eccleſiae judicio, caret eadem Opinio. Is ergo in iſto amphractu intrepide reſpondere poteſt: *Hoc ignoro: id tantum Deus novit*. Immo ita reſpondeat, oportet, ut ſalvam faciat Vitam ſuam, rem nimirum enixe ſibi a Deo commendatam. Et praecipue quod ita reſpondendo Verum dicet, nihilque aliud profitebitur, quam quod Eccleſia hactenus ſenſit, dum ita unam ex Opinionibus de Conceptione Virginis probat, ut alteram oppoſitam non improbet. Hoc pacto Tyranni furorem exarmabit, ſuumque caput prudenter diſcrimini eripiet, neque temere Vitam pro Opinione tuenda impendet. Atque hic eſt reipſa caſus Voti Sanguinarii, cujus intoleranda conſectaria hactenus perſequuti fuimus. Voto enim iſto toti antiquitati incognito id praeſertim voventes contendunt, ſe ad profundendam Vitam eſſe paratos, ut Certam aſſerant Immunitatem Virginis. Et quanquam Parthenotimus nobis edixerit, voventes mortem ſubituros non pro *Veritate* ac *Certitudine* ejuſdem *Opinionis*, ſed pro *Veritate* ac *Certitudine Honoris* & *Cultus* Mariae, qui ex ea Opi-

nione

nione defluit, & *pro Veritate Pietatis*, *quae inest Actui Opinativo de Immaculata Conceptione;* attamen vidimus, Cultum hunc, Honorem, & Pietatem, Certa nunquam esse posse, nisi Certa sit Sententia, super qua innituntur; & consequenter eo recidere semper consilium Voti Sanguinarii, ut voventes repugnante Ecclesia ostendant ac suadeant Populo, Certam esse, ac parem Veritatibus Fidei, Sanguine nostro propugnandis, Opinionem Scotisticam de Virginis Conceptione. Scribit autem Parthenotimus pag. 101. *Theologorum mentem*, *qui Votum usque ad Sanguinem tuentur*, *eam esse numquam posse*, *quod semper*, *& in omni eventu pie Vovens mortem subire debeat; sed ubi solum Deiparae periclitetur Honor*. Sive, uti infra repetit, *ut mortem toleret*, *cum* (*quod prudentis arbitrio metiendum* est) *Virginis Immaculatae deprehenderit Honorem periclitari*. Ita sub hujusmodi verborum ambage is consilia sui Voti occultat, liberumque clientibus suis campum relinquit profundendae Vitae pro tutela Scotisticae sententiae. Rectius ipse munere suo functus fuisset, si terminos huic *arbitrio*, atque *prudentiae* privatorum hominum statuisset, ne dum prudenter tueri ii se putant sententiam Veram ac Certam, ac Honorem, Cultumque Verum & Certum Virginis, ejusque Sanctitatem; imprudenter, ac vincibili Errore indirecte se occidant, ultro ac sine necessitate carnifici jugulum tradentes. Attamen ex hac ipsius confessione jam intelligant Voto Sanguinario addicti, sibi non esse mortem eligendam, quoties agitur de prodendo, an Credant Veram ac Certam Scoti Sententiam, Verumque ac Certum Honorem Mariae in ejus sententiae tutela collocatum; sed tunc sibi respondendum: *Opinor quidem ita esse*, *at id Certum mihi non est*. *Deus novit; noscam & ego*, *si aliquando quaestionem dirimet Ecclesia*. Neutiquam enim *periclitatur Honor Virginis*, dum protestamur, nos ignorare, an reipsa Beatissimae Christi Matri collata fuerit Immunitas ab originali macula, & nos nequaquam credere Certam Scoti Sententiam. Postquam Ecclesia a tot Seculis, & quidem disertis verbis, liberum cuicumque facit adhaerere oppositae sententiae, evidens est, non periclitari Honorem Deiparae, etiam credendo illam Immunitatis Scotisticae expertem. Si periclitaretur, non id sineret Ecclesia, supra quemcunque privatum Theologum sollicita de Honore Mariae. Quanto ergo minus periclitabitur Honor iste, protestando duntaxat, nos nequaquam Certo credere Scotisticam Immunitatem, atque ignorare, quid Deus revera in Conceptione Virginis fuerit operatus?

Atque ista hactenus dicenda habui, ut ostenderem, quam incongrua, minimeque ferenda sit Voto Sanguinario praestita a Parthenotimo tutela, cujus objectum est tutela Certae Veritatis, quae tamen Certitudo, ubicumque eam statuas, abest a Scoti sententia. Petat nunc aliquis, quid agendum sit, si quando Tyrannus, aut quispiam improbus alius, mortem minatus, adigere nos velit ad appellandam *Impiam* ac *Falsam* sententiam eandem. Heic certe urget praeceptum Vitae custodiendae, neque prodigendae, sed simul imminet timor Falsum appellandi, quod Verum ac Certum esse, judicante Ecclesia, deprehendi aliquando possit. Quod plus est, praeceptum viget ac urget Summorum Pontificum, vetantium, ne quisquam Falsitatis aut Impietatis notam inurat Opinioni patrocinantium Immaculatae Conceptioni. Itaque dico primo, si quisquam oblatis mihi atrocibus tormentis ac morte, compelleret me ad configendam Erroris ac Impietatis nota Scotisticam Sententiam, continuo reponerem: *Id nescio: Novit Deus*: qua responsione nihil Veritati, neque praecepto Ecclesiae derogarem, fierique posset, ut furori tyrannico facerem satis. Verum ubi is acrius adhuc instaret, atque a me expeteret, ut diserte damnarem ejusmodi sententiam: cernens ego, rem mihi esse cum violento simul & furioso, seu mente capto, ac memor, *respondendum esse stulto juxta stultitiam suam*, *Proverb.* XXVI. vers. 5. & Sapientem Eccles. VII. vers. 18. edicere: *Noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo:* quantum possem, ingenio curarem, ut importunam interrogationem eluderem, & sine aperta damnatione sententiae discrimen Vitae evaderem. Verum ubi in irritum cederet omnis conatus, putarem praestare mori quam piam sugillare sententiam: idque ne peccarem contra praeceptum Ecclesiae, quae sub anathematis poena ab insimulanda Impietatis ac Haeresis Scotistica sententia Catholicos omnes coercuit. Quod quum ajo, tria heic animadvertenda. Primum, non in quaestione ista sitam esse controversiam, quae Parthenotimi calamum in me suscitavit. Neque enim e persuasione mea, uti neque e morte mea, quidquam certitudinis accederet Opinioni de Virgine sine labe concepta: quem tamen in finem collineat intentio voventium ad Parthenotimi normam. Secundum, non Parthenotimum tantummodo ceterosque ad singularitatem gloriae adspirantes devoto erga Virginem animo, sed quemlibet Catholicorum mortem prius oppetere debere, quam censoriam notam inferre praelaudatae sententiae, quum ad Catholicos cunctos praeceptum illud extendatur, & obligetur quisque ad parendum Ecclesiae mandatis. Tertium, nil majoris

prae-

praestantiae sive praerogativae effluere hinc posse in sententiam faventem Immunitati Marianae. Nimirum quoties instet idem Tyrannus, ac necem tibi indicat, nisi *Haereticam* aut *Impiam* affirmes contrariam alteram sententiam, negantem Virgini Immunitatem originalem: ne id facias, Vita potius in hoc etiam casu est offerenda lictori. Et quid? *Simili anathematis poenae* Sixtus IV. Concilium Tridentinum, aliique Romani Pontifices subjecere eos, qui Haeresis aut Impietatis arguerent *Opinionem contrariam, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam*. Ad praeceptum quod attinet, nihil discriminis inter utriusque sententiae patronos ac censores Ecclesia statuit. Si ergo damnare non licet Thomisticam Opinionem, tibi, ne illam damnes, mors potius est eligenda. Quamobrem tunc non pro Veritate, sive Certitudine alterutrius Opinionis sanguis effunderetur, sed ut mandatis Ecclesiae non adversando, evitaretur Peccatum.

Meam in hanc rem, qualiscumque sit, opinionem dedi. Nunc addo, ipsam nihilominus accuratiori examine indigere: quod me doctiores, quum lubebit, inire poterunt. Inquirendum namque videtur, an mens Ecclesiae, interdicentis censuram utriusque Opinionis eo usque feratur, ut in conspectu eculeorum & carnificis mors potius subeunda sit, ne alterutra improbetur. Nimirum, ut superius innui, occurrunt nobis praecepta Ecclesiae, immo & Dei, quae nos minime obligant, quum mortis periculum instat: tunc enim cessat voluntas Dei, aut Ecclesiae ad nos obligandum. Immo interdum non solum cessat obligatio illius praecepti, sed etiam viget obligatio conservandae Vitae (secluso semper gravi scandalo, & contemtu Ecclesiae, sive Religionis) ita ut peccati expers non foret, qui pervicaciter tunc occumbere vellet, ne praeceptum transgrederetur. Neque heic de re Intrinsece mala sermo est, a qua perpetuo & ubique abstinendum est. Quum enim Ecclesia liberum cuicumque relinquat, quam Veritati propiorem putet ex duabus istis Opinionibus amplecti, liberum ex vi contrariorum sit etiam necesse est, ut qui unam amplectitur, ac Veram credit, alteram tacite saltem improbet, & falsam credat. Neque praedicatum *Pietatis* ita conjunctum est cum hisce Opinionibus, ut nullo unquam tempore disjungi possit. Vocabulum enim *Piae*, quod Sententiae, sive Opinioni cuipiam tribuitur, Probabilitatem non Certitudinem indicat. Et quandoquidem Ecclesia quaestionis hujus definitionem nondum suscepit, ac nos dedecet ita judicium illius velle arctare, ut unam tantum ex istis Opinionibus eligere possit tanquam

S 2 doctri-

doctrinam Fidei divinae, quum aeque possit & alteram: consequenter neutra Opinio dici potest ex parte rei ita *Pia*, sive *Probabiliter spectans ad Cultum Dei & Virginis*, ut aliter esse aliquando non possit. Proinde quum ideo tantum damnare hanc vel illam e propositis duabus Opinionibus malum sit, quia ab Ecclesia prohibitum; & sint aliqua Ecclesiae mandata, quae minime nos obligant, quoties incurritur periculum mortis: prudentiores judicabunt, rectene, an secus procedat nuper a me proposita Conclusio. In hisce tamen casibus, hoc est in re tanti momenti, si commodum ac tempus non deesset, consultius foret, mentem Sanctissimae Romanae Ecclesiae ab ipsa petere, cujus ductu atque judicio omnia nostra consilia & acta regentes, non ego, non alius quisquam errabit. Eoque magis perscrutari juvabit Ecclesiae Magistrae nostrae mentem, quum ipsa in eum tantummodo finem interdixerit ambarum Opinionum censuram, ut finem faceret jurgiis publicis & scandalis, inter disputantes Theologos jamdiu vigentibus, non vero ut immunem intrinsece a censura praestaret alterutram ex illis sententiis. Ad haec finge tibi, duos ejusmodi Opinionum patronos, alterum Scotisticae, alterum Thomisticae, sisti ante Tyrannum, atque ambos Persuasione ductos, sententiam suam cum sacris Litteris, ac Traditione Patrum, certius consentire, ac propterea sinere, se potius Vita spoliari, quam ejusmodi Persuasionem deponere (Cur enim uni non liceat, quod alteri?) ita ut ambo mortem oppetant, sed pro oppositis sententiis tuendis. Rursus tantummodo finge, utrumque pugilem sub securi cadere, ne Haereticam aut Impiam appellent contrariae factionis sententiam uti Ecclesia mandavit: quid consequatur, facile sentis. Consequetur nempe spectaculum inusitatum, quod non sine aliquo horrore audiamus, videlicet pro contrariis de una, eademque re sententiis homines ejusdem Religionis aevo nostro mortem subire: cujus rei exemplum frustra in universa Ecclesiae Historia perquiras. Restat ergo, ut cautius in hisce etiam casibus, extra controversiam, quae mihi cum Parthenotimo est, propositis procedamus, ne aut imprudenter Vita projiciatur, aut dignitati Ecclesiae ac Religionis officiendo, hostibus nostris ridendi aut declamandi contra nos occasionem praebeamus.

CA-

CAPUT XVIII.

Falsa crimina Lamindo Pritanio imposita a Parthenotimo. Qui Visionarium se prodit. Revelatio tributa Dominico a Jesu Maria Carmelitae expenditur.

HIsce expeditis leviora supersunt expendenda mihi in Parthenotimi Libello. Et quidem missa lubenter facio, quae in contemtum mei non uno in loco Siculus Scriptor intermiscet. An Justo titulo is adversus me egerit, aliorum judicium esto. Hoc tantum novi, ut ut ille magnus sit vir, & in sublimi Theologiae throno sedeat, ego vero exiguus sim, nulloque nomine cum eo comparandus; ejus tamen dignitas non faciet, ut illi in praesenti quaestione victoria adjudicetur; neque tenuitas mea, ut mihi eripiatur. Rationibus certavit ille: rationibus certavi & ego. In his unis collocanda est victoriae spes. Uter melioribus armis fuerit usus, docti viri aliquando judicabunt, ac tempus sensim aperiet. Unum tamen, quod me intime ferit, dissimulandum heic minime censeo. Videlicet aegre ferre Theologum nostrum pag. 90. *quod Lamindus in Italia, quae Deiparae cultu ceteras regiones superat, scripserit opus in Gallia imprimendum*. Duas praeterea Theses Theologus idem commemorat B. Virgini injuriosas, & in Gallia enatas, quae ab Alexandro VIII. confixas ait. In mentem quoque Lectorum revocat *Monita Salutaria Beatae Virginis ad cultores suos indiscretos in Galliis vulgata, & a Clemente X. Anno 1676. proscripta*. Tum in haec verba erumpit: *Cur ergo Lamindus doctrinam, quae licet ipsi appareat vera, ceteris est falsa, nefas non putat proferre, ac inculcare: doctrinam, inquam, unde qua Italiae, qua Galliae oriri queant scandala? Italiae quidem, ubi vovendi Virgineae Immunitatis defensionem vetus consuetudo est. Galliae etiam oriri queunt scandala, ubi Non Pauci Deiparae Cultum, ejusque Sanctitatem impetentes, in ea stabilirentur opinione, & certe hominis Itali opera, quod inspersa superstitionibus sit gentis Italae in Deiparam observantia*. Declamationi huic tandem finem imponit lenibus hisce verbis: *Absit, ut in mentem meam cadat suspicio* (vide hominis candorem, non immerito *Candidi* nomen praeferentis, ejusque delicatam Caritatem

post

post nuper institutam accusationem) *quod rem paucioribus ex Gallia gratam facturus haec scripserit Lamindus*. Haec Parthenotimo displicent; at mihi aequius displicet, ipsum distinere heic meris somniis ineruditam gentem, atque indigno artificio, quod in omnium oculos incurrit, studuisse, ut invidiam Lamindo atque odium falsis hisce querelis crearet. Somnium quippe est, enatas in Gallia duas illas Theses. Somnium, prodiisse e Gallia *Monita salutaria*, quum Germano Coloniensi tribuantur. Somnium fortassis etiam est, *Monita* illa a Clemente X. Anno 1676. explosa fuisse; nam serius, si bene memini, id contigit: quod in praesentia exquirere nec vacat, nec interest. At somnium certe contumeliosum Galliae genti nemo non sentiat in Parthenotimi oratione scribentis: *non paucos Gallorum Deiparae cultum, ejusque Sanctitatem impetere*. Quis haec ferat de Catholica ac pia gente Gallica proferri, quando ne ipsi quidem Jansenistae, quos observari ante oculos Parthenotimi hoc in loco par est credere, Deiparae cultum, ejusque Sanctitatem improbare deprehenduntur? quod si is eodem obelo configit & illos, qui intemperantiam nonnullorum in cultu ac laude Virginis non ferunt, noverit Siculus Scriptor, se incaute maledicere Theophilo Raynaudo, sibi tam caro, & quibusvis Theologis Catholicis, etiam Italis, qui legitimum Mariae Cultum docent ac suadent; spurium ac superstitiosum arguunt, & arguendum esse fatentur. Praeterea somnium perquam ridiculum est, sibi in Lamindo fingere *doctrinam, unde qua Italiae, qua Galliae oriri queant scandala*. Tot anni jam effluxere, ex quo Lamindi Liber prodiit, neque ullum in Gallia, Germania, ac Italia, quibus in locis idem impressus fuit, auditum est murmur, nullaque scandali vel levis umbra apparuit. At inquit Siculus: *In Italia vovendi Virgineae Immunitatis defensionem vetus consuetudo est*. Lamindus vero hanc impugnare non veretur; & *doctrinam, quae licet ipsi appareat Vera, Ceteris est Falsa, nefas non putat proferre ac inculcare, quod inspersa superstitionibus sit gentis Italae in Deiparam observantia*. Hactenus putaveram ego, rem mihi esse cum *sacrae Theologiae Professore* gravissimo, ut Libelli ab ipso editi praesefert titulus. Sed nunc justae defensionis necessitas dicere & expostulare me cogit, pugnam mihi esse cum Theologo Visionario, ne duriori etiam nomine utar. Nemo enim, nisi qui somnia somniat, & Visiones videt, deprehendere uspiam poterit, quae Lamindo Parthenotimus heic affingit. Quisquis hactenus Lamindi Librum legit, aut ipsius Parthenotimi Opusculum, ubi integra Lamindi censura exhibetur, a vestigio haec verba obvia habet:

Satis

Satis quibusdam non fuit calamo & rationibus Immaculatam Deiparae Conceptionem tueri: quod procul dubio cum vera Pietate consonat. Si Parthenotimo animus est significare, Scotisticam de Conceptione sententiam a Lamindo improbari, habet unde pudeat talia scripsisse. Si de voto tuendi *calamo ac rationibus* eandem sententiam, rursus ei os obstruunt verba Lamindi, laudantis, sive intercedat, sive non intercedat Votum, propugnatores sententiae ipsius. Una inter Lamindum & Parthenotimum hactenus controversia fuit *de Voto Sanguinario*: hoc unum Lamindus censura sua impetiit. In hoc unum quoque collineant, quae hucusque ego congessi; nempe: *Minime licere Sanguinem & Vitam profundere pro tuenda Scotistica Sententia.* Si vero Parthenotimus contendit, doctrinam hanc, *quae Lamindo apparet Vera*, *Ceteris esse Falsam:* Ceteros ego spero judicaturos, nonnisi in phantasia supra modum fervente id genus judicia atque assertiones posse nasci: quando omnibus notum est, non paucos adhuc esse, qui vel ipsi Scotisticae sententiae adversentur: ceteros autem spero ego adversaturos Voto tuendae ipsius profusione Vitae.

Ne quis tamen injurium me putet Parthenotimo, dum illi somnia ac Visiones tribuo, ipsum fatentem exhibere juvat, se ejusmodi somniis atque Visionibus obnoxium. Oculos converte ad illius Praefationem, qua *integerrimae Virgini*, *sanctissimae Dei parenti*, *omnis prorsus maculae experti*, *se*, *suamque Dissertationem inscribit Auctor.* Ibi vir pius, & gratiis coelestibus refertus, haec ad Virginem, quam alloquitur: *Literariam in arenam jam jam publice descensurus*, *non semel*, *ut scis*, *Te verbis illis interpellavi*, *quibus Barac Deboram: Si venis mecum*, *vadam: si nolueris venire mecum*, *non pergam. Judic.* 4. 8. Neque haec perfunctoria dicta; nam subdit: *Et audire mibi VISUS SUM. Ibo quidem tecum. Atque nescio*, *quid solaminis animo meo ingessere*, *quae subdere VIDEBARIS: Sed hac vice victoria non reputabitur tibi.* Addit infra: *Verum ut cum spe victoriae*, *quae Tibi tandem cederet*, *Scholastico in pulvere militarem*, *cognovi*, *Te consulendam esse; & semel atque iterum*, *ac saepius consului. Exploratus mibi erat mos Apostolorum*, *qui arduis Fidei in rebus non aliud*, *quam tuum interrogare consueverunt oraculum.* „ *Pulsandam igitur erat*," *inquit Rupertus Abbas*, *te alloquens*, *ac pristina Ecclesiae tempora memorans*, „ *ad Ostium Veritatis*, *& consulendum Oraculum Spiritus Sancti*, *scilicet sacrarium pectoris tui*, *ut Viva Voce omnem necessario tenendam* „ *demonstrares regulam Fidei*, *cum testimonio Scripturarum*, *quas memoria retinebas. In V. Cant.* Haec Parthenotimus. Non consuluerit, puto,

puto, occasione ista Theologus noster Libros aliquos a Deipara conscriptos, quos ad manus haberet. Ergo duntaxat eam interrogarit & consuluerit necesse est in Visione aliqua, hoc est in familiari colloquio cum ipsa Virgine Sanctissima habito. Neque ipse diffitetur scribens: *ET AUDIRE MIHI VISUS SUM*. Habemus ergo (idque dolens repeto, sed me argumenti gravitas repetere cogit) non Theologum gravem, sed Visionarium, seque talem suo ore fatentem, qui Voti Sanguinarii patrocinium suscepit. Quid recti, quid solidi consequenter ab eo exspectandum sit, agnoscant ac discant tandem prudentes rerum aestimatores. Agitur heic de Vita hominum, idest de maximo Reipublicae negotio: ferrine potest, ut homini ita composito decernenda caussa tanti momenti relinquatur? Fuit, semperque erit mos, immo debitum Theologorum, qui sui muneris probe sint conscii, in quaestionibus ad Religionem spectantibus consulere divinas Scripturas, Sacra Concilia, Sanctos Patres; simulque oratione pulsare Deum, ut ad Veritatem assequendam, Erroremque fugiendum, infirmis ingeniis nostris opem conferat. Ut hoc ipsum a Deo nobis impetret, exorare quoque Virginem beatissimam licebit atque juvabit. Sed potissimum, *ne pateat aditus Errori*, *recolendum est*, *quod ut privatis mentibus a Deo existimetur infusa lux*, *cohaereat necesse est cum Regula*, *quam vocant Fidei vivam*, *seu Romano Pontifice ex Cathedra docente*. Haec sunt Parthenotimi verba pag. 36. quae & mea facio; atque utinam is nunquam fuisset oblitus, quando obtrudere coepit clientibus suis tanquam Certam, & ab omni formidine Erroris immunem Scotisticam de Conceptione sententiam, quam tamen Romani Pontifices e Cathedra sat aperte docuerunt, esse interea Incertam, & posse aliquando Veritatem deprehendi in opposita sententia. Habemus ergo fontes non fallaces Veritatum ad Theologiam spectantium. Appellet nunc Parthenotimus, quantum lubet, Virginem sanctissimam *ostium Veritatis*, *& oraculum Spiritus Sancti:* non obstabo, neque innuam, quanta circumspectione Mystica haec, seu Metaphorica vocabula in Theologia severiori sint adhibenda. At Consulere Virginem, atque ab ea Exspectare, *ut Viva Voce omnem necessario tenendam demonstret regulam Fidei;* immo respondentem illam *Audire Sibi Videri:* id genus Revelatio bene ferventis Phantasiae opificium profecto fuerit, quod a solidae Theologiae legibus ac usu quantum abhorreat, atque Errori non uni ostium aperire quotidie possit, nihil est, quod ego ostendam. Dolebat nuper Siculus Theologus, opera Lamindi hominis Itali Gallos in ea opinione stabiliri, quod *inspersa superstitionibus sit*
gentis

gentis Italae in Deiparam observantia. Immo nunquam fuit Gallis tam finiſtra de gente Itala opinio; eoque minus in eam deſcenderunt, ex quo Italicum Scriptorem animadverterunt, libero calamo, neque contradicente Eccleſia inſectantem, non *gentis Italae*, ſed *paucorum Siculorum* naevos in obſervantia erga Deiparam. Neque enim in ulla gente naevi unquam defuere, nullo tamen univerſitatis dedecore, quum paucorum ii ſint, & ipſis hiſce paucis cenſura aliorum non parcat. Videat potius Parthenotimus, quam feliciter ipſe pugnet pro gloria Italiae, quum non tantum ſe patronum palam praeſtet *Voti Sanguinarii*, quod Superſtitionem olere videtur, illudque omnibus animoſa contentione ſuadeat; ſed etiam rem antea ignotam prodit, ſcilicet inter nos non deeſſe Theologos Viſionarios, qui de tam grandis momenti rebus & quaeſtionibus Deiparam conſulunt, ejuſque *Vivam Vocem* audiunt, & victoriae ſpem certam ab ipſa reportant. Aſt nihil edocere Gallos, ceteroſque Populos oportet, univerſam Italiam tantum abeſſe a probando pſeudo-*magnanimo* illo *Voto*, quantum ab auſcultandis ejuſmodi Theologis. Et quid dico Theologis? Unus fuit, unus, ut ſpero, erit ex Italis, qui haec audeat, & ſcribat. Quod ſi mihi ſerio in re tanta agenti ludere placeret, denique adderem, fieri poſſe, ut Prophetae potius laudem Parthenotimus referat, ſed alio, quam ipſe ſperet, eventu, ex hujuſmodi certamine, quando ipſemet tradit, ſibi hoc reſponſi datum fuiſſe: *Sed hac vice victoria non reputabitur tibi;* ſive ut Sanctes Pagninus interpretatur: *Verum non erit gloria tua in via, per quam ambulas;* ſive ut Vatablus reddit: *Hoc non erit tibi bonori*. Tempus aperiet, penes utrum e nobis ſtatura ſit victoria.

Interea perpendendum relinquam Lectoribus, non craſſo ſub aere natis, an artificium aliquod ſubdubitare liceat in Parthenotimo, commemorante, *Theſes* & *Monita ſalutaria*, a Sancta Sede proſcripta: poſt quae ille ſubdit: *Abſit, ut in mentem meam cadat ſuſpicio, quod rem paucioribus ex Gallia gratam facturus, haec ſcripſerit Lamindus*. Scilicet ille quidem a ſe ita amolitur ſuſpicionem de arcano aliquo foedere cum Janſeniſtis, ut eodem tempore ipſam clientulis ſuis ſuſpicionem ingerere videatur; nam qui *non pauci* in Gallia *Deiparae cultum, ejuſque Sanctitatem impetunt, & pauciores* poſtea (nempe comparati cum reliquis Gallis) appellantur, non alii ſunt, quam Janſenii ſectatores famoſi. Miratus hercle fuiſſem, ſi Parthenotimo excidiſſet hoc telum; nam & in ipſa ſplendidiſſima Siculorum Metropoli Panormo, ubi is degit, parum abſuit, quin ante annos duos obor-

ta Grammaticali controverſia, publicis etiam lucubrationibus agitata, Janſeniſmi notam effugerit, qui cum altero Parthenotimo manus conſerere eſt auſus. Sed quiſquis fuerit heic Theologo noſtro animus, placido illi ore reponam, me nihil indigere ejus monitis, ut diſcam, qui cultus Beatiſſimae Salvatoris noſtri Parenti debeatur; neque enim in ea colenda cuiquam concedo. Monendum vero ipſum, ne in exceſſus rapi ſe ſinat, a quibus cuicumque Catholico, nedum Theologo homini, cavendum eſt. Una mihi cum illo controverſia eſt, tolerandum ne ſit, an non, Votum Sanguinarium. Pro me ſtare confido, non dicam univerſam Italiam ceteraſque Chriſtiani nominis Provincias, ſed & ipſos religioſiſſimos, doctiſſimoſque Parthenotimi ſodales, qui quum obſervantia & amore erga Deiparam cum omnibus, nedum cum Siculis, certent, ab ejuſmodi tamen Voto abſtinent, amplexuri jamdiu, ut conjicio, non impigre, ſi cum recta Pietate conciliari illud poſſe animadvertiſſent. Quare perpendat Parthenotimus, quos contemnat, quos feriat ipſe, dum in Lamindum (quem alioquin omnes norunt Janſenii errores peroſum) Janſeniſmi ſuſpicionem ſub ſpecie nolentis commovet, eaque tantum de cauſſa, quod Votum, nemini ferme, ſi paucos Siculos excipias, probatum, rejiciat. Porro antequam Capitulo huic finem faciam, monendus eſt Lector, Parthenotimum non ſuas duntaxat Viſiones in aciem eduxiſſe, ſed & alienas. Nam pag. 27. Revelationem adfert, factam *Venerabili Dominico a Jeſu Maria, Generali Ordinis Fratrum Carmelitarum Excalceatorum a Divo Thoma Aquinate*. Revelatum, inquam eidem fuit, *quod futurum eſſet Concilium, quo Immaculata Deiparae Conceptio definiretur*. Libenter heic peterem a Parthenotimo, utrum is fidem adhibeat ejuſmodi Viſionibus, an non. Si non adhibet, cur bonae genti eas propinat, quaſi & mercibus iſtis futura ſit virtus ad confirmandos clientes ſuos in Perſuaſione Certitudinis ſententiae ſuae? Sin adhibet, dicat quaeſo, an ſit prudentis Theologi, ac bene conſcii, quae ſint vires piarum Phantaſiarum, hujuſmodi Revelationibus fidere in Diſputationibus de doctrina Fidei? Eoque minus fidendum erat Venerabili viro illi, cujus virtutes ac merita ut ut egregia fuerint (intacta quippe illa dimitto) Viſiones tamen characterem tantummodo praeferunt Phantaſiae ſine ſomno ſomniantis. Ejus Vitam ad manus non habeo; haec tamen ibi narrata olim intellexi. Saepe videlicet is traditur in extaſim raptus. *Quadam vero die in Coelum ſublatus vidit aeternum Patrem, qui & Dominico gratias egit, quod negotia Dei in terris promoveret. Vidit & Deiparam in throno conſidentem,*

coepit-

coepitque contendere cum Sancto Bernardo, uter ex iis praestaret devotione erga Mariam. Noluit Virgo quaestionem dirimere, sed amborum ora praemii loco lacte suo conspersit. Tunc jussus Dominicus Missam celebrare in Coelo, Diaconum sibi habuit Sanctum Joseph, Subdiaconum Sanctum Franciscum Assisinatem. Sed oborta lite, quaenam Missa eligenda foret, Sanctus Franciscus Missam de sacris Stigmatibus, Joseph Missam de Incarnatione, Dominicus Missam de Beata Maria praeferebant. Ex decreto aeterni Patris lis Dominico adjudicata est. Tunc Angelorum chori complures coeperunt Musicis modi cantare Salve sancta Parens &c. Ante Communionem scrupulus Dominicum invasit; nondum enim media nox advenerat, ipse vero non erat jejunus. De hoc monitus Pater aeternus dispensationem elargitus est. Demum peracto sacro idem aeternus Pater Dominicum sedere jussit in throno, cunctisque Angelis praecepit, ut ad illius manus deosculandas accederent. Si vera sunt haec, ut olim me legere memini, nihil ultra exposcas, ut manu tangas, quodnam sit precium quarumdam Revelationum. Et optandum quidem foret, ut in Phantasias Pietate aestuantes sapientum Hispanorum diligentia severius introspiceret, quando apud eos postremis hisce temporibus & foecundius pullularunt, & felicius exceptae sunt, cum virorum, tum mulierum multiplices Revelationes, a quibus amplectendis, aut probandis longe absunt ceterae Catholicorum Provinciae & Ecclesiae; immo constat, Romanae Congregationis decreto perculsas fuisse Visiones & Revalationes *Hippolitae a Jesu*, & *Mariae de Agreda*, uti & Academiam Parisiensem postremae Libris nigrum theta inscripsisse.



CAPUT XIX.

Sanguinarium Votum Romae, & alibi, insuetum, quia improbatum. Parthenotimus Consuetudinis clypeo illud frustra tuetur. Senecae auctoritate abutitur. Suarii Doctrina de Votis ad Vitae discrimen sese extendentibus explicata. Cardinalis de Lugo invitus in controversiam nostram pertractus.

SUMMOPERE Ecclesiae Romanae cordi est, fovere Pietatem erga Deiparam: quo in studio non dicam tantum Italiam, sed omnes Catholicas regiones concordes ac aemulatrices habet. Attamen neque Romae, neque innumeris aliis in locis, Votum unquam Sanguinarium in usu fuit. Cur quaeso? Quum tribuere id nemo possit, nisi imprudenter, Pietatis defectui: justae conjecturae locus restat, ab eo reliquos Catholicos, qui Immaculatae Conceptionis sententiae favent, hac ipsa de caussa abstinere, quod ipsum sentiant pugnare cum vera Pietate. Reponit Siculus pag. 72. *Non inde opus est inferre, quod inhonestum sit, quidquid nondum Romana Ecclesia in consuetudinem induxit in ipsa Urbe; praesertim si Romana ipsa Ecclesia alibi inter Catholicos vigere consuetudinem illam probe sciat, nulloque vel levissimo indicio reprobet. Divum Gregorium Magnum consuluerat Augustinus Anglorum Episcopus, quamnam consuetudinem inferre oporteret in Angliam, recens in Ecclesiae Romanae sinum redeuntem. Consultus Romanus Pontifex ita respondet: Novit fraternitas tua Romanae Ecclesiae consuetudinem, in qua se meminit enutritam. Sed mihi placet, ut sive in Romana, sive in Gallicorum, sive in qualibet Ecclesia aliquid invenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicite eligas.* C. *Novit Dist.* 12. Haec Parthenotimus, qui & subdit; *Esto, necdum inductus Romae sit mos Vovendi, Jurandique Virgineam Immunitatem: si apud Hispanos & Siculos, ac Hispaniarum & Siciliae Ecclesias vigeat, & Deo placere probatum sit: quid erit obstaculo, quominus prudenter eligatur?* In Hispaniarum Ecclesiis vigere Votum Sanguinolentum, nondum bonis tabulis quisquam ostendit. Apud Siculos quidem, sed perpaucos, illud concipi testem habemus Parthenotimum ipsum. At Romanam Ecclesiam probe nosse Consuetudinem Voti hujus, alibi inter Catholicos vigen-

vigentem, affirmat quidem ſecundum ſua deſideria Parthenotimus, ſed ſapientes meliori titulo negabunt. Innumerae ſunt Opiniones, ac ritus, in Libris, atque in variis Orbis Catholici locis occurrentes, quae ubi ſerium revocarentur in examen, aut falſae, aut ſuperſtitioſae, aut in praxi pernicioſae, aut ſcandaloſae reputarentur; nulla vero ex iis legitime dicitur Apoſtolicae Sedi nota. Tum ſolum ejuſmodi merces noſcit, & perſpectas habet Romana Eccleſia, quum ad illius tribunal perpendendae deducuntur. Porro ad Votum Sanguinarium quod attinet, tantum abeſt, ut ipſum *probe ſciat Eccleſia Romana*, *nulloque vel leviſſimo indicio reprobet*, ut contrarium potius elucere poſſit, quandoquidem uti vidimus, Sacra Congregatio in Libro Theophili Raynaudi, magnificam ſpem factam pro Immaculata Conceptione morientibus nequaquam probavit. Sed quod vehementius miretur Theologorum Reſpublica, illud eſt, quod Parthenotimus e Gregorii Magni Epiſtola in patrocinium ſui Voti corraſit, nihil animadvertens, quid inter Dogma & Diſciplinam interſit. Agebat Sanctus Pontifex *de Ritibus Miſſae*, de quibus ajebat *Angliae* Apoſtolus Auguſtinus: *Altera Conſuetudo Miſſarum eſt in Romana Eccleſia*, *atque altera in Galliarum Eccleſiis*. Hoſce Ritus, alioſque ejuſmodi ad Diſciplinam ſpectantes, quamvis varios pro varietate locorum, laudabiles nihilominus eſſe poſſe nemo inter Eruditos ignorat. Verum in caſu noſtro de Dogmate Morali agitur, & magni quidem momenti: videlicet: *Num liceat mortem ſubire pro tuenda ſententia*, *quae ad Fidem divinam minime ſpectet*, *Et num liceat animo tam firmo adhaerere Opinioni de Revelatione alicujus rei*, *ut non ſecus ac pro certo Revelatis a Deo animam ponere liceat*. Ad haec fruſtra *Conſuetudinis* nomen heic Parthenotimus uſurpat, quum ejus Votis originem Novitas ipſa arguere poſſit, videlicet ab Anno duntaxat 1624. deducta. Accedit, quod ſemper inquirendum reſtat, an rite inſtitui a paucis potuerit Votum de re tam gravi, qualis eſt hominum Vita, quum reliqua Catholicorum gens pro honore Virginis ferventiſſima nihil tale audeat. *Ex ſingulis Eccleſiis*, *quae pia*, *quae religioſa*, *quae recta ſunt*, *elige*; ſubdebat in eodem loco inſignis Pontifex Gregorius Magnus; & Auguſtino docente, Epiſtola ad Januarium, in Diſciplinae ritibus illud tantummodo, *quod neque contra Fidem*, *neque contra bonos mores injungitur*, *indifferenter eſt habendum*: quod & alia a Gratiano collecta in Diſtinctione ſupra laudata confirmant. An vero *pium*, *religioſum*, *rectum*, & *ſecundum Fidem* dici poſſit, praefracte velle *Certum*, quod Eccleſiae Romanae in pervulgatis Decretis *Incertum* adhuc

eſt;

est; & *nolle in Dei, Romanorumque Pontificum auctoritate conquiescere* (quod Gregorius XV. ut supra vidimus, de Controversia ista scribens, a quocumque Fideli exigebat;) Pias denique Opiniones aequare velle Dogmatis Fidei: nullo negotio docti ac prudentes judicabunt.

In Praefationis pagina 16. Theologus noster pro se exerit auctoritatem Senecae, scribentis in Epistol. 33. *Ego utar via veteri. Sed si propiorem, planioremque invenero, hanc muniam. Qui ante nos ista moverunt, non domini nostri, sed duces sunt.* Tum addit*: Majores quidem nostri, ut aiebat Seneca, non domini nostri, sed duces sunt. Duces, ait, non hostes. Eorum igitur ductum nec sequi pudeat, nec pigeat deserere. Sequi non pudeat, ubi eos Veritatis semitam dereliquisse minime appareat. Deserere non pigeat, ubi eos a Veritatis tramite aberrasse liquido constabit.* Verum parcat Theologus noster, si dixero, hoc unum satis esse posse, ut ejus ductum quisque saltem suspectum habeat, atque ab ejus Theologia & Libello sibi metuat. Etenim quandonam Senecae Ethnico Philosopho, & de Philosophicis duntaxat loquenti, tantum auctoritatis accessit, ut Theologorum Christiani nominis norma, & in Theologicis praeceptor noster evaserit? Ad haec nil gratius contingere nostrorum temporum Haereticis possit, quam accipere a viro, eoque Catholico, quae nunc Siculis observanda proponuntur. Nimirum & ipsi reponunt, ut sese auctoritati Traditionis & Sanctorum Patrum subducant, Patres ipsos in numero ducum habendos, quos *sequi non pudeat, nec pigeat deserere; & viam veterem* eligendam*; sed si proprior ac planior inveniatur, hanc muniendam.* Atqui vera Theologia nos docet, Sanctos Patres ita esse duces nostros in explicandis divinis Scripturis, & tradenda doctrina Fidei, ut ab eorum unanimi consensu discedere crimen sit, quum legitimi ii sint Traditionis custodes. Celeberrima est in hanc rem sanctio Tridentini Concilii, Sessione IV. quam supra attuli. Idem quoque tradiderat Trullanum Concilium Can. XIX. Paria itidem Martinus Papa I. in Lateranensi Concilio scribens: *Nihil permittere dici noviter a quopiam, quod Sanctorum Patrum traditio minime definivit.* Temere ergo faciat, qui se non Patrum sectatorem, sed Judicem constituat; eos sequi paratus, si sibi videantur Veritatis semitam non dereliquisse; deserere, ubi a Veritatis tramite aberrasse illos sibi constet. Quorsum vero Theologus noster periculosis hisce documentis Praefationem suam insperserit, nondum liquido sum assequutus. Num ut fidem Patribus adimat, si quando plurimi ex iis Scotisticae sententiae obsta-

obſtare reperirentur: quod tamen ipſe Parthenotimus pag. 51. negat? At hoc verum-ne ſit, an falſum, judicabit aliquando Cathedra Petri. Nunquid ut antiquos Theologos dejiciat, apud quos *Communis* fuit Thomiſtica de Conceptione ſententia? Sed pariter judicabit Apoſtolica Sedes, an in doctrina Catholicae Religionis praeferendi ſint *non Sancti Sanctis, & moderni antiquis Doctoribus*, uti ajebat Cardinalis Cajetanus in 3. S. Thomae, quaeſt. 27. art. 2. & praecipue ſi concordes cum praecipuis Eccleſiae Doctoribus Theologi veteres deprehendantur. Num denique ut Voto Sanguinario patrocinium paret, ſi forte contra ipſum proferatur Antiquorum auctoritas? At nullum novi ejuſmodi quaeſtionis documentum apud veteres; neque enim eis unquam in mentem venit, excogitare homines tam ſui ac Prudentiae oblitos, ut pro Opinionibus tuendis vellent animam ſuam pervicaciſſime ponere, atque ad id ſeſe Voto obſtringere. Primus mihi notus, qui caſum hunc ipſum de tutela Immunitatis Marianae praeſenſit, ut ſupra vidimus, Alphonſus de Caſtro (quem poſtea ſequuti ſunt Gabriel Vaſquez & Theophilus Raynaudus) *Haereſis* damnavit, *qui tam firmiter Opinionem Scotiſticam teneret ac doceret, ac ſi eſſet Articulus Fidei, & ita pro illius Opinionis defenſione eſſet mori paratus, ſicut faceret pro illis, quae ad Fidem pertinere noſcuntur.*

Quaerit Parthenotimus pag. 12. an particula *uſque ad Sanguinem* ſubintelligatur in omnium Votis de tuenda Deiparae Immunitate. Indicat Sanctum Antoninum, Cardinalem de Turrecremata, Gerſonium, ac alios, ſcribentes, in Vitae diſcrimine eximi voventes a ſervanda re promiſſa. Tum Suarii doctrinam producit, docentis, id verum eſſe, *ubi alia aliunde non colligatur eſſe mens & voluntas voventis. Et haec, ut Suarius ſubdit, etiamſi ſe extendat ad Vitae diſcrimen, rationabilis eſſe poteſt & prudens, nedum ubi materia Voti ſit opus praeceptum, verum etiam ubi ſit opus conſilii.* Addit Parthenotimus: *Nec mihi dubitandum eſt, quin plerumque Vitae diſcrimen non excludant pie voventes.* Contra mihi nulla dubitatio eſt, quin qui vovent voce tantum & ſcriptis tueri Scotiſticam ſententiam, alieni omnino ſint a voluntate obſignandi Sanguine ſuo Opinionem iſtam, ſimulque perdendae Prudentiae, immo & Animae ſuae, pro tutela rei, quam Certam, pendente judicio Eccleſiae, ſentiunt ſe praeſtare non poſſe. Eoque magis ab imprudenti hujuſmodi ſacrificio abhorrebunt; nam ut animadverti ſupra, licet quidem & laudabile eſt, Vitae diſcrimen ſubire pro actibus Pietatis, aut alterius Virtutis ad Deum tendentis, ſed ea conditione, ut actus illi ſint *Virtutis Intrin-*

ſecae,

fecae, non *Opinativae*, Neque sufficit, ut actus ipse referri possit ad Virtutem etiam Intrinsecam. Necesse est etiam, ut pretio suo superet pretium Vitae nostrae. Si secus fit, insipienter, & non sine peccato, Vita profundetur. Ecclesia praecipiens certis diebus Jejunium, aut Abstinentiam a carne, aut interesse incruento Sacrificio, nos certe non obligat ad rem praestandam cum periculo vitae. Immo desiperet, & peccaret, qui praefracte mortem eligeret in necessitate cibi, oblata sibi ad comedendum carne, aut imminente sibi certo interitu, si ad audiendum Sacrum proficisci vellet. Et quis, rogo, e Theologis nisi delirans, auctor homini esset, ut potius exiguum pecuniae sibi reliquae conferat in eleemosynam Sacerdoti celebraturo sacrum, quod vovit; aut in candelis emendis impendat, quas vovit, ante sacram quamquam Imaginem accendendis, quam extremo Vitae periculo ob defectum cibi empto pane succurrat? Et ratio est, quia a Dei & Naturae legibus sub gravi praecepto obligamur ad servandum pretiosum Vitae Bonum, nisi forte agatur de illa impendenda pro Bono praestantiori, aut Malum instet majus, quam mors corporis nostri. Igitur interdum modici sunt pretii, quae vovemus, quia neque in multam utilitatem nostram, neque in magnum Dei honorem cedere possunt; & tunc in arbitrio nostro minime positum est ita earum rerum pretium augere, ut Vita prudenter pro iis detur, & dispensatos nos jure putemus ab obligatione tuendae Vitae. Deus tantum & Ecclesia indicare certo nobis possunt, quando laudabile sit mortem sponte eligere; ac proinde non careat Peccato, qui pro levibus rebus, neque a Deo, neque ab Ecclesia imperatis, occumbere velit. Ideo consequens est, doctrinam Suarii intra honestos limites esse coercendam; hoc est, tunc revera cum Prudentia & Pietate consentire etiam Vitae discrimen, quum agitur de Bono Certo ac praestantiori; non autem quum de levibus praecepti aut consilii operibus, secluso semper Scandalo & contemtu Ecclesiae. Utrum vero Scotisticae sententiae tutela sit res tanti momenti, quae in summam gloriam Dei, & Virginis, aut utilitatem nostram cedat, facile patebit, si consideremus, nondum pertinere sententiam ipsam ad Fidei doctrinam; atque ab Ecclesia liberum fieri cuicumque etiam contrariae adhaerere sententiae; & fieri insuper aliquando posse, ut in ipsa opposita sententia Veritas deprehendatur. Quis ergo, nisi temere ac imprudenter trucidandum se sinat, pro asserenda ejusmodi adhuc incerta sententia? Et nimium quidem differt Votum propugnandae verbis tantum & calamo saepe laudatae Immunitatis a Voto etiam tolerandae mortis pro eju-

ejusdem tutela. Distinguebat Sanctus Augustinus Theologicas Opiniones a Dogmatis Fidei Libr. de Peccat. Original. Contr. Pelag. Cap. XXIII. scribens: *Longe aliter se habent Quaestiones istae, quas esse praeter Fidem arbitratur, quam sunt illae, in quibus salva Fide, qua Christiani sumus, aut ignoratur quid Verum sit, & sententia definitiva suspenditur; aut aliter quam est, humana & infirma suspicione conjicitur &c. Quis enim non sentiat, in his atque hujusmodi variis & innumerabilibus Quaestionibus, sive ad obscurissima opera Dei, sive ad Scripturarum abditissimas tenebras pertinentibus, quas certo aliquo genere complecti ac definire difficile est, & multa ignorari, salva Christiana Fide, & alicubi errari sine aliquo Haeretici Dogmatis crimine?* Paria habet Ephraem Antiochenus apud Photium Cod. 228. Necesse profecto est, ut alterutra de duabus sententiis de Conceptione Virginis falsa sit: attamen quia neutra ad Christianam Fidem spectat, nobis licet eam amplecti, quae probabilior videatur; & quamvis fortasse in illa eligenda ac propugnanda erremus, nullum doctrinae Catholicae detrimentum infertur. Verum ubi Vitam quoque nostram, insigne scilicet Bonum, cujus usum nobis divina liberalitas concessit, erogare velimus pro tutela alterutrius ex hisce sententiis; jam certo contra Christianae Fidei doctrinam erramus, quando mori eligimus pro sententia, cui certi non sumus an subsit Error. Christianum vero Dogma instat, non esse prodigendam Vitam pro sententiis, quas Ecclesia probe illarum conscia, nondum ab Errore immunes pronunciavit, immo aliquando etiam improbare possit.

Ut ostendat Theologus noster, posse aliquid credi a Deo Revelatum in Scripturis, *etiamsi nondum publice cunctis proposita fuerit Revelatio*, Cardinalem de Lugo laudat pag. 23. in haec verba scribentem Disput. 20. de Fide num. 59. *Potest contingere, quod aliquibus sit de Fide aliquod in Scriptura contentum, quibus manifestum est, id in Scriptura contineri, quod tamen omnibus non sit de Fide; quia non ita clare Scriptura loquitur, ut id possit ab omnibus animadverti.* Vera est sententia Cardinalis, in eo tamen casu, quo Ecclesia nondum agnoverit, an eadem Revelatio subsistat, nihilque de ea protulerit. Disputatur autem a tot Seculis, Revelatum-ne a Deo fuerit Mysterium Conceptionis Marianae. Ecclesia non semel interposito judicio suo nos docuit, nondum constare, num Revelatum fuerit ejusmodi privilegium, an potius oppositum. In tali rerum statu audacia in illo non desideretur, qui auditoribus suis venditet, *Fide divina* posse credi Immunitatem Mariae, idque tam Certo, ut prudenter pretio-

ſum Vitae depoſitum pro hac Perſuaſione tuenda diſcrimini oblatum credatur, non ſecus atque fiat pro certiſſime Revelatis a Deo. Dum *Probabilem* & *Piam* ſententiam tuam putes, annuo & conſentio, quia ex Eccleſiae decretis id merito deducis; quanquam & contrarium ſentientes ex iis ipſis deducant *Probabilem* quoque ac *Piam* non deſinere eſſe Opinionem ſuam. Ubi vero Certitudinem Fidei divinae adſtruere vis Scotiſticae ſententiae, repetit Lamindus: *Cuinam certum id videtur? Creaturae fallaciſſimae:* additque; *immo & in caſu noſtro temere judicanti*, quum ſuum judicio Eccleſiae anteponat, Parthenotimo autem reponenti: *Nec Theologorum placita ſola admiratione exploduntur*, reſpondet, tum maxime fallax eſſe privati hominis judicium, quum ſe putat plus ſcire quam Eccleſia; & quod Incertum huic eſt, tanta is pervicacia vult Certum, ut Sanguinem pro ejuſmodi Perſuaſionis tutela dare non dubitet. Et profecto, conſideratis Eccleſiae decretis, nemo non agnoſcat, fundamento nullo niti, quae Parthenotimus addit pag. 28. ſcribens: *Non eſt igitur adeo clarum, ut ſibimet Pritanius blanditur, quod pia Sententia ſit Opinio, & mera Opinio, cui ſubeſſe poſſit falſum.* Ex quo oppoſitam amplecti Thomiſtarum ſententiam Fidelibus Eccleſia liberum facit, ac pro ejus Veritate definitivum decretum pronuntiare aliquando poſſit (quod ne noſter quidem Theologus negare eſt auſus): leges omnes Logicae Scotiſticam inter *Opiniones* aduc enumerandam decernunt. Fruſtra quoque is pag. 33. contendit dari Certitudinem, quae a Divina Fide non oriatur, & Bagotium laudat, qui *in Apologetico Fidei per plures diſputationes contra Academicos aliam firmat a Certitudine Fidei Certitudinem*. Nihil opus erat Bagotii auctoritate ad confirmandam rem meridiano Sole clariorem, & quam univerſa Philoſophorum ac Theologorum ſchola, immo & vulgus novit, nempe innumera fuiſſe, ac eſſe in rerum natura ſine divinae Revelationis praeſidio, nobis notiſſima, Certiſſima, Evidentia. Non vagetur quaeſo Theologus noſter: conſiſtat in quaeſtione noſtra. Diſputatur heic, an Certus quiſpiam eſſe poſſit, Revelatam fuiſſe a Deo Immunitatem Virginis (hoc autem ex iis eſt, quae niſi ipſe Deus revelarit, reſcire nobis non licet) non ſolum nulla voce Eccleſiae agnoſcentis hanc Revelationem, ſed etiam cum diſerta voce Eccleſiae nos docentis, adhuc abditum eſſe in theſauris Dei hujuſmodi myſterium. Quid ultra quaerimus? Eccleſia ita nos erudiente, nonniſi Prudentiae monita peſſumdet, qui ita pertinaciter Scotiſticam ſententiam ſibi Certam perſuadere velit, ut quaſi de articulo Fidei ageretur, tormenta ac mortem pro ea aſſerenda ac tuenda eligere ſtatuat.

CA-

CAPUT XX.

Thomistica de Conceptione Sententia ne ipsa quidem Certa. Potest & ipsa esse honorifica Virgini. Gersonii locus a Parthenotimo adductus, contra ipsum militans. An erret judicium putantis, licere mortem oppetere pro tutela Scotisticae Sententiae. An ab Haeresi excusari possit, negans Christum Filium naturalem Dei. An ante Ecclesiae definitionem credere quaedam liceat spectare ad Fidem Divinam.

PARTHENOTIMI verba sunt pag. 40. *Sit ergo utraque Sententia (quod mordicus nego) eodem modo Probabilis; at Immunitatis sententia Virgini perhonorifica, ac proinde Deo grata, & ejus defensio Deo Potest promitti: secus autem sententia maculae, ejusque propugnatio.* Pro more quorundam, Amorem sui tantummodo consulentium, sua duntaxat respicit, sua laudat Theologus Siculus. At adversariorum quoque mens & rationes aequo animo sunt perpendendae, ac sincere ferendum de iis judicium. Contendunt Thomistae, e Scripturae locis nonnullis, iisque non mysticis, sed literalibus, deduci, Virgini minime collatam fuisse Praeservationis Originalis praerogativam. Addunt, plerosque Sanctos Patres, non secus atque ipsi sentiunt, interpretatos fuisse illa sacrarum Literarum loca. Denique sententiam suam *Communem* fuisse usque ad initium Seculi XIV. scilicet usque ad tempora Joannis Duns cognomento Scoti. An ii pro Veritate militent, ego homuncio ignoro; atque ajo, pendente judicio Ecclesiae, *Probabilem* esse utramque de Conceptione sententiam, neutram vero *Certam* posse merito appellari. At fingamus tantisper, solidissimis fundamentis niti Thomisticam Sententiam. In hac suppositione tria necessario consequuntur, scilicet Thomistarum sententiam non solum gratam, sed unice esse posse gratam Deo Veritatis parenti. Secundo, eam tantum, non vero Scotisticam, posse placere Virgini, cui nunquam placuit, nunquam placeat, nisi Veritas; & quae falsas laudes aversatur, idque duntaxat cupit de se affirmari, quod cum Voluntate Dei consonum fuit, est, & erit. Tertio, Ecclesiam, custodem divinitus constitutam Veritatis,

posse ac debere, in hoc supposito, uni adhaerere Thomisticae Sententiae, & hanc unam gratam habere. Quare in ista suppositione evanescere statim vides metum, ne honorificentia Virginis minuatur aut laedatur, quum honorificum Deiparae illud tantummodo sit, quod Deus voluit illi elargiri (& quidem innumera eidem dona certissima est elargitus) non quod nostra Devotio importune, & praeter, aut contra mentem Ecclesiae & Dei tribuendum illi censet. Honor profecto Virginis cordi erat tot Sanctis Viris, plisque Theologis, & adhuc cordi est iis, qui aliam a Scotistica tenuere, tenentve Sententiam. Et quamquam zelus eorum laudetur ac Pietas, qui Mariam sine labe conceptam tuentur, eorum quoque zelus & Pietas commendanda est, qui vigilant, ne Error ac Falsitas in doctrinam Ecclesiae irrepat. Quod si accidere posset (nunquam autem accidet) rueret Ecclesia tota; quum nemo ignoret, si Ecclesia in uno errare deprehenderetur, frustra postea privilegium Infallibilitatis de ea posse depraedicari. Itaque sophismate laborat memorata nuper Parthenotimi argumentatio. Nam ex quo nos aliquid excogitamus uti honorificum Virgini, non continuo sequitur, illud quoque esse Verum, & certissime gratum Deo, gratamque esse Virgini sine ulla dubitatione ejusdem praerogativae tutelam. Gratum quippe illud unum Deo est, quod ipse voluit, non quod nos cupimus ipsum voluisse. Fallaci, inquam, argumentatione dicimus: Istud in honorem Virginis cedit: ergo illud voluit ac fecit Deus: ac proinde hoc affirmare ac tueri, gratum quoque Deo est. Contraria nimirum ratione argumentatio efformanda est. Deo & Virgini & Ecclesiae certo placere tantummodo potest, quod verum est, & Deus in sacris Literis, aut in Traditione Patrum revelavit a se factum, non quod devotio nostra excogitat & exoptat. Donec vero ab Ecclesia decernatur, quid re ipsa de hoc Mysterio Deus revelarit, utraque sententia inter Opinionis fines contineatur necesse est; neque ea Certitudine suam Deo gratam arbitrari quisquam potest, ut certo affirmare fas ei sit, alteram esse ipsi Deo ingratam. Proinde id unum superest, laudabile quidem esse tueri voce & calamo Scotisticam Sententiam. Laudabile quoque opinari, gratam Deo esse illius tutelam voce & calamo: Verisimile quippe & Probabile, quando Certam Veritatem divinarum humanarumque rerum assequi non possumus, tenere ac propugnare decet. Porro Vitae prodigus foret, atque peccaret, qui pro ejusdem sententiae tutela Sanguinem funderet, quum nefas sit, ipse Parthenotimo, ceterisque Theologis fatentibus, pro Opinionis alicujus, quantumvis Piissimae, tutela impende-

pendere Vitam, de cujus Certissimo pretio, ejusque custodiendae praecepto, nemini dubitatio occurrere potest. Vetuit etiam Apostolica Sedes, ne duarum *De gratia Dei* & *Libero Arbitrio*, sententiarum patroni, alter alterius Opinionem Haeresis, impietatis, aut Erroris insimularet. Itidem vetuit Anno 1667. ne disputantes *de vi Attritionis ex metu Gehennae* in Sacramento Poenitentiae, alter alterius sententiam aliqua Theologica censura percelleret. Temere sane ac imprudenter ageret, qui pro defendenda alterutra ex hisce sententiis mortem eligeret, ea persuasione seductus, suam esse Certam, atque a Deo Revelatam in sacris Literis, aut in Traditione Patrum. Ex quo ad Ecclesiae Tribunal utraque sententia delata est, decretumque fuit, abstinendum interim esse ab alterutrius censura, laudabiliter quidem suam quisque tueatur oratione & scriptis, uti Probabilem, aut Probabiliorem altera; at non sine gravi crimine pro ea, videlicet pro Opinione, securibus collum praebeat. Quod si scandalis & jurgiis, ob ejusmodi controversias oborientibus, praecidendum cursum Prudentia Ecclesiae censeret, indicto alteri ex iis silentio, sed simul sibi reservato judicio de Veritate aut Falsitate ejusmodi sententiarum, nemo nisi somnians contenderet, ereptam uni Probabilitatem, additam vero alteri Certitudinem; diserta enim Ecclesiae protestatio Persuasioni huic, immo praesumtioni, obsisteret.

Dixerat Lamindus: *At enim subjicis, quamquam subesse error huic Opinioni, & falli intellectus possit; nunquam tamen heic errare Affectus dicetur &c.* Tum ostendit, hunc ipsum Affectum errare posse, neque exspectandum esse praemium ac laudem e zelo sine scientia. Ad ista Parthenotimus pag. 53. respondet: *Nedum pie voventes, sed Theologos Voti pietatem non improbantes, Lamindus carpit, aeque nobis aperiens verae Theologiae, ac verae Pietatis dogmata.* Ita auditoribus suis per Ironiam aut illudit, aut imponit, qui se sacrae Theologiae Professorem inscribit. Evidens est, Lamindum pugnare heic, & in reliquis suis de controversia ista verbis & argumentis non contra omnes Voventes tutelam Scotisticae sententiae (*calamo* enim & *rationibus* id praestare, laudem ab ipso meruit) sed unice contra paucos Voti Sanguinarii patronos. Si apertis oculis aliam Lamindo mentem Siculus Professor tribuit, videat ipse, quo nomine sit dignus; si caligantibus, ineptum ad haec dijudicanda incaute se prodit. Subdit ille: *Fallitur Lamindus, si credit, quod unus erret Affectus; nam neque errat Judicium, quo Pium esse asseritur, Immaculatam Virginem colere, & ob Immaculatae Virginis cultum mortem oppetere.* Ut hoc

ipsum

ipsum evincat, en quo argumento utatur. *Omisso hic*, ait, *examine, utrum reapse falsitati obnoxium sit judicium, quo Immaculata asseritur Conceptio: disputat Gerson, quaenam Veritates credendae sint de necessitate salutis, & inter alia haec habet: „ Sicut dixit Aristoteles, nihil refert, Falsa Probabiliora esse quibusdam Veris: ita nihil refert, quaedam Falsa Pie credi. Non quod ea ratione, qua Falsa sunt, vel si sciuntur esse Falsa, credi possunt (procul hoc a Pietate Fidelium) sed cadit existimatio, seu Pia Credulitas non super Veritate vel Falsitate; sed tantummodo super Apparentia, vel Probalitate. Et hoc non est periculosum vel Falsum, quia constat de Apparentia vel Probabilitate; dum Falsitas, vel Veritas ignota est.* „ Lectorem rogo, ut non incuriose perpendat, an Parthenotimus ea reapse proferat, quibus aperte juguletur caussa, quam protegit. Ut ostendat, *non errare judicium, quo Pium esse asseritur, Immaculatam Virginem colere, & ob Immaculatae Virginis Cultum mortem oppetere*, ita argumentatur: *Nihil refert, Falsa Probabiliora esse quibusdam Veris. Nihil refert, quaedam Falsa Pie credi*, & reliqua e Gersonio. Egregia, inquam, tela conquisivit Siculus Professor, sed quae in unum ipsum recidant, neque ego aptiora instruere potuissem. Haec enim validissima quidem sunt ad ostendendum, laudabili studio posse nos tueri voce, calamo, & Festo, immaculatam Virginis Conceptionem; at simul evincunt, nisi temere Vitam impendi posse pro eadem tuenda. Primum legitime prudenterque praestamus; quia etsi Error huic Opinioni subesse possit, dum tamen *Apparentiam Veritatis, vel Probabilitatem* in ea deprehendimus; & nobis ignotum est (neque innotescere potest, pendente judicio Ecclesiae) an Falsum in ea lateat: Prudenti homini hoc satis est, ut eidem sententiae adhaereat, & secundum illam cultum suum erga Virginem regat. Verum quippe est, non Falsum, constare nobis de ista *Probabilitate*, seu *Apparentia Veritatis;* neque id periculosum est, quia per hoc non creduntur Certo Vera, quae Incerta adhuc sunt, & Falsitatis metum non excludunt. Deinde ista *Credulitas Probabilitatis* prudenter fundata est; eamque habere ac tueri voce & scriptis, nihil incommodi aut periculi adfert doctrinae, aut disciplinae Ecclesiae, uti neque Reipublicae regimini & quieti: quandoquidem *pia ista credulitas non cadit super Veritate vel Falsitate objecti:* ipsaque *Falsa pie credere*, nullum piaculum est, dum *Probabilia sint*, & *apparentiam* praeferant *Veritatis*, & dum nulla sufficiens ratio occurrat, cur Falsa nobis credenda sint. Quum ergo in sententiam Scotisticam confluant motiva robusta, Proba-

Probabilitatis, & *Veritatis apparentia* in ipsa minime desideretur: propterea centies & ego, laudavi uti Pium & Prudens, amplecti, & voce scriptisve tueri Immaculatam Conceptionem. Neque ullus sapiens vitio nobis vertit, quod Intellectus noster in obscuris adhaereat Probabilitati & Verisimilitudini, quotiescumque Certitudo Veri aciem mentis nostrae fugit. Itaque concordes in hoc pergimus Theologus Siculus & ego. Quum vero is addit: *Neque errat Judicium, quo Pium asseritur ob Immaculatae Virginis cultum mortem oppetere*, hoc utique praeter mentem Gersonii adtexit, & contra rectae Rationis leges omnino pugnat. Namque id unum Gersonius scite statuit, licere nobis Pia Credulitate ferri in assensum Opinionis, quae Probabilitatem & Apparentiam Veritatis secum adducat: nunquam vero somniavit, licere etiam pro ejusdem Opinionis tutela jugulum carnifici offerre. Nemo enim e Theologis, Parthenotimo ipso fatente, unquam docuit, fas esse pro Opinionibus tuendis vitae discrimen incurrere.

Certe sunt ipsius Siculi verba pag. 15. *Theologi numquam dixerunt, licitum esse mori pro Opinione*, etiamsi Pia. Idem repetit infra: *Nullus Theologorum est, quod ego sciam, qui asserat, posse quemquam honeste mori ob caussam Immaculatae Conceptonis, si haec tantum sit Opinio, & pro mera ista Opinione Sanguinem profundere velit.* Ex his agnoscimus enormem Parthenotimi nostri contradictionem. Uno in loco agnoscit & ipse, nefas esse pro Opinione mori. Tum in altero contendit, Gersonii auctoritate abutens, fas esse pro Immaculata Conceptione, quamvis eam duntaxat Opinionem Piam respiciamus, Sanguine nostro pugnare. Et ne quis dubitet, hanc ejus mentem esse, pag. 55. docet, etiamsi Sanguinario Voto sese adstringentes *Opinarentur, Virginem ab Originali labe fuisse praeservatam*, attamen *dum Falsitas* hujus *Opinionis ignota est, & Apparentia pro Veritate stat, iidem putarent licitum & honestum illam defendere* Sanguine suo. Atqui Gersonius tantummodo tradit, prudenter assensum praeberi Opinionibus, Probabilitatem & Apparentiam Veritatis praeseferentibus, & *nihil referre, si quaedam Falsa Pie credantur Vera.* Quis vero nisi imprudens, seu potius Fanaticus, dicat: *Nihil refert mori pro Veritate aut pro Falsitate:* Ad primum sufficit Probabilitas & apparentia Veritatis. Ad alterum necessaria est Certitudo Veritatis, non minor atque est Certitudo Vitae nostrae, & Certitudo praecepti divini & naturalis de illa servanda. In illo non errat judicium, quia Verum est, & non Falsum, Opinionem illam esse *Probabilem* & Piam, hoc est haberi in ea *apparentiam Veritatis*, ita ut non immerito O-

pine-

pinemur, ſpectare ipſam ad cultum Dei, ſive ad Honorem Virginis, aut Sanctorum. At in iſto fallibile eſt judicium, quia non amplius uti *Probabilis*, ſed uti *Certa* ſumeretur ſententia illa, & ſupponeretur ut Certum atque indubitatum, ſpectare ad Cultum & Honorem Dei & Virginis, quod tamen Probabiliter tantum ſpectat, & metum involvit, ne Falſum aliquando deprehendatur. Proinde ſapientibus conſiderandum relinquam, an in Eccleſia Dei toleranda diutius ſit doctrina, & quidem a Theologo diſſeminata, quae nullam diſtinctionem ſtatuit inter *Pie Opinari* de aliqua re & *Mori* pro tutela iſtius Opinionis; & quae non ſolum laudem, ſed & *Martyrii* gloriam pollicetur in mortem ruentibus, dum tueantur aliquid, quod *Pie* ideſt *Probabiliter*, & *ſecundum apparentiam Veritatis* credant. Si ita ſentire, ac docere fas eſſet, heu quot miſeris aut ſtultis via ſterneretur, ut imprudenter ac temere Vitam darent pro Falſis rebus atque ſententiis, quas Probabiles reputant! Immo docerentur Fideles pro duabus etiam oppoſitis ſententiis Sanguinem fundere: quod patens abſurdum eſt. Exempli enim gratia quum Thomiſtae Pie credant, ſententiam ſuam de Conceptione Virginis inniti ſacris Litteris, ac Traditione Patrum, ſibique perſuadeant, *apparentiam Veritatis*, ſive *Probabilitatem* in ea minime deſiderari; quotieſcunque locus foret Parthenotimanae doctrinae, non erraret illorum Judicium, aſſerendo Pium eſſe pro illa Opinione occumbere. Verum quis hoc ferat? Non minus Thomiſtae quam Scotiſtae, temere animam ſuam darent, quia tam illi quam iſti pro re Incerta Sanguinem ſuum commutarent, atque alterutra certe pars pro Errore & Falſitate poſtremo fato ſuccumberet. Quod ſi Parthenotimus pag. 60. intolerandum idem Dogma repetit ſcribens: *Etiamſi Certa non eſſet* (quod idem eſt ac dicere, etſi mera *Opinio* foret) *Deiparae Immunitas ab omni labe, nihilominus Immunitatis tuitio, utpote ad Virginis laudem conducens, ſpectat ad Prudentiam:* Utique (reſpondebit mecum quicunque ſapit) ad Prudentiam ſpectat, eam calamo ac voce tueri, uti *Probabilem*, quia ſufficientia motiva *Probabilitatis* pro ea militant, ut prudenter opinemur, non vero ut Certo credamus, eam ſententiam ad laudem Virginis conducere; quando certi non ſumus, an Deus ita voluerit, & ſitne tribuenda an neganda ejuſmodi laus Virgini Sanctiſſimae. At Sanguine & Vita velle tueri eamdem tantummodo Probabilem ſententiam, ad Imprudentiam & tranſgreſſionem divinae Legis ſpectat. Ubi *Certa* non ſit Scoti ſententia (uti nunc ſupponit Parthenotimus) *Opinio* dicatur oportet, ſimulque *Opinativus* ſit *Cultus*, *Honor*, *Laus*, *Pietas*, & ſi qua ſunt alia

alia praedicata eidem Opinioni inhaerentia, aut inde manantia, quemadmodum & in ceteris Opinionibus Piis accidit, quae in cultum & honorem Deiparae & Sanctorum collineant, neque propterea definunt esse Opiniones. Repetat nunc Lector confessionem Parthenotimi ipsius agnoscentis, *nefas esse pro Opinionibus tuendis mori*, & quid ex jam dictis consequatur, demum intelligat.

Dixerat Lamindus: *At mibi certissima est hujusmodi Opinio, aliquis dicet. Cui? Homini, nempe Creaturae fallacissimae. Num rogo, certum est aliquid, quia id tibi Certum videtur?* Atque huc faciunt Apostoli verba Roman. III. vers. 4. *Est autem Deus Verax, omnis autem Homo Mendax.* Respondet Parthenotimus pag. 20. *Creatura, quae est per Theologos fallacissima, per eosdem Certitudinem assequi potest. Haec est eorum assertio, nec sola Lamindi interrogatione labefactatur. Homo suadet sibi, Certam esse Immaculatae Virginis Assertionem, quia id insinuant Patres, docent Theologi, fert communis sensus &c.* Nihil est, quod ego ultra laborem in ostendendo, quantum a Veritate absit, quod heic summa confidentia Siculus Theologus clientibus suis edisserit. Jam supra evicimus. Scotisticam Sententiam *Piam* ac *Probabilem* ab omnibus juste haberi; Certam vero esse falso dici, si de Certitudine Objectiva, & a parte rei agatur. Fateri quippe cogimur, ex quo a sententia ista non abest *Erroris formido*, ipsam intra *Opinionis* septa contineri. Hanc formidinem, pendente judicio Ecclesiae, tolli non posse, fateatur quisque necesse est; neque negavit Parthenotimus ipse, scribens pag. 55. definiente controversiam hanc Apostolica Sede *deprebendi posse Veritatem in sententia Piae contraria*. Ergo falsum heic nobis obtruditur; & quanquam Certitudinem sibi Siculus in hac sententia fingere possit, semper fallibile dicendum erit illius Judicium, sive Persuasio, quia infallibilis Cathedra Petri potest, non in ista, sed in opposita sententia deprehendere Veritatem. Ergo stabilis est Lamindi interrogatio atque responsio; & donec erumpat Ecclesiae definitivum decretum, nullus Theologorum heic a fallacia immunem se praestare potest. Falsum denique est, nos *Certitudinem* hanc assequi posse per *Theologos*. Nam ut omittam, quod Theophilus Raynaudus, carum Parthenotimo caput, & a me quoque maximi factum, tradit Partit. I. Erotem. XIX. de malis ac bonis Libris, num. 471. nempe *communem Doctorum Scholasticorum sententiam non continere irrefragabile argumentum; quia Certitudo infallibilis, qualis ad statuendum pro potestate de re Fidei exigitur, niti debeat promissione aliqua divina, quam pro Doctoribus universis nusquam*

reperimus. Ut etiam omittam, Theologos veteres fere omnes fuisse, & non paucos etiam e recentibus esse in contraria sententia: illae ipsae Academiae, & ceteri, qui Scotisticam tuentur, atque hujusmodi argumentum rite ac sincere versantur, si interrogentur, quae sit eorum mens (exceptis tantum illis, quibus factionis suae amor nimius, aut sine justo criterio efformatum judicium tenebras offundit) continuo respondebunt, se *Piam* quidem & *Probabilem*, & si mavis *Probabilissimam*, existimare Scoti sententiam; non vero *Certam*, Certitudine saltem Objectiva, quae formidine quacumque Erroris careat. Quid Academiae voveant, jam vidimus supra Cap. 19. Quapropter Certitudinem hanc potest quidem Parthenotimus jactare in coetu suorum clientum, edicendo, eam *insinuari a Patribus*, *doceri a Theologis*, *ferri a communi sensu*: at nos qua facilitate id ab eo affirmatur, eadem negabimus. Judicium firmum tunc tantum habituri erimus, quum Romanus Pontifex reservatam sibi sententiam pronunciabit. Interea pro *Certam esse Immaculatae Conceptionis Assertionem* Parthenotimus rogandus est ut scribat *Probabilem*: & neminem a se dissentientem habebit.

Magnopere tamen vereor, ut id impetremus ab homine, qui post susceptum Sanguinarii Voti patrocinium non sentire nequit, corruere ejusmodi Voti fundamenta, si pro sententia *duntaxat Probabili* concipiatur. Immo ipsum videas pag. 22. caute insinuare discipulis suis, posse secundum quosdam Theologos Certum esse homini, aliquid spectare ad Fidei dogmata, quanquam Revelationem hanc Ecclesia non proposuerit, quoties nempe *ille homo sibi persuadet*, *id facile a Deo Revelatum*. Sed millies repetendum est, *Persuasionem* hominis ferri posse tam in Verum quam in Falsum; & ubi *Persuasioni* tantum ponderis tribueremus, Haereticis *Persuasione* abundantibus, sed *Veritate* destitutis, grande patrocinium a nobis praeberetur. Interdum quidem proderit Persuasio ista, dum videlicet conjuncta sit cum *Ignorantia Invincibili* ad excusandum, immo & laudandum hominem mori volentem pro tuendo, quod ipse invincibiliter sibi persuadet revelatum fuisse a Deo. Ubi vero cum *Persuasione* jungatur *Ignorantia* duntaxat *Vincibilis*, desipiat miser ille, & peccet, dum temerario & imprudenti affectu ruit in mortem. Jam diximus, *Ignorantiam Invincibilem* admitti non posse in viris doctis, si forte sibi persuadeant, Certo revelatam fuisse a Deo Praeservationem Virginis, quum neminem e doctis latere possit, quid hac de re sentiat Ecclesia Romana, omnium Magistra. Ei profecto non ignota quaestio est: attamen ipsa

rem

rem uti Incertam adhuc respicit, quum alterutri ex oppositis sententiis adhaerere liberum nobis reliquerit. Ceterum dissimulanda non sunt, quae Parthenotimus hanc in rem pag. 23. adjicit, inquiens: *Adducit Granadus illius exemplum, qui censeret, posse divina Fide credi, quod Christus sit Filius Naturalis Dei; nec inde inferre licet, quod sit Haereticus, qui illud negaret.* Sed animadvertant Siculi, quo eos ducat eruditio Theologica Magistri sui. Sub finem Seculi a Christo nato Octavi in Hispania Felix Orgellitanus Episcopus, & Elipandus Archiepiscopus Toletanus tradidere, Christum non *Naturalem*, sed *Adoptivum Dei Filium* esse. Doctrinam hanc Haereticam pronuntiarunt in Forojuliensi Concilio Anno 791. complures Episcopi; tum in Francofordiensi plenario Concilio Anno 794. Episcopi Italiae, Germaniae, & Galliae, assistentibus Pontificis Legatis; eamque praeterea damnavit Hadrianus tunc Romanus Pontifex in Epistola ad Hispanos. Alcuinus etiam Lib. I. adversus Elipandum testatur, perversum idem Dogma confixum fuisse in Concilio Ratisponensi Anno 792. eundemque Hadrianum anathemata in ipsum protulisse. Ad haec Anno 799. Leo III. Papa in Synodo Romana hanc Haeresim proscripsit. Eodemque Anno idem Felix Orgellitanus publicam edidit Confessionem Fidei, in qua agnovit, *Dominum nostrum Jesum Christum in utraque Natura, Deitatis videlicet & Humanitatis, Proprium at Verum Dei Filium esse.* Vide Labbeum & Aguirrium in Collect. Concil. & Alcuini Opera. Denique Patrum plerique oppositam docuere sententiam, quibus liceat mihi adjungere Marium Victorinum Rhetorem Urbis Romae Annô Christi 362. in Epistola ad Candidum Arrianum, edita a Mabillonio inter Analecta. *Deus*, inquit, *caritate praedestinavit nos in Adoptionem per Christum. Numquid & Christum per Adoptionem Filium Deus habet? NULLUS AUSUS EST DICERE; fortasse nec tu.* En quam mature Felicis Orgellitani doctrina improbata fuerit in Ecclesia Dei. Quod ineunte Seculo XIV. Scotus, Durandus, & Bassolis eamdem Opinionem renovarint, excusandi sunt. Non enim eis perspecta erant Acta Conciliorum illorum, neque Epistola Hadriani, quorum editionem Surio debemus; neque alia Eruditionis Ecclesiasticae monumenta, quae nunc abundant. At postquam postremis hisce temporibus tanta lux facta est Quaestioni huic, laboret necesse est non levi ignorantia Theologiae Dogmaticae, qui placido calamo haec in medium profert, & praesertim nulla facta distinctione duarum in Christo Naturarum. Aut si haec minime ignorat, videat ille, an culpam depellere a se possit, quod paucos Theologos

X 2 Scho-

Scholaſticos recentiores, pro ſuae gentis honore omnem lapidem moventes, tanti aeſtimet, ut eorum auctoritate fretus arbitretur, non amplius temerariam atque Haereticam propoſitionem, quam Summi Pontifices, & plenarium Occidentalis Eccleſiae Concilium ab ipſo Papa probatum damnavit. Hiſce interea utitur Parthenotimus noſter Auctoribus, qui neglecta aut contemta Sanctorum Patrum doctrina, in cerebro ſuo quaerunt, atque inveniſſe ſe putant, quid Fidelibus credendum ſit, aut non credendum. Religioſior certe ac prudentior his Carolus, jure cognomento Magnus, qui concors cum eodem Hadriano I. & Patribus Concilii Francofordienſis, de hac ipſa re ſcribebat ad Hiſpanos. *Me Apoſtolicae Sedi*, ajebat ille, & *Antiquis ab initio Eccleſiae, & Catholicis Traditionibus tota mentis intentione, tota cordis alacritate conjungo. Quidquid in illorum legitur Libris, qui divino Spiritu afflati, toti Orbi a Deo Chriſto dati ſunt Doctores, indubitanter teneo: hoc ad ſalutem animae meae ſufficere credens, quod ſacratiſſima Evangelicae veritatis pandit Hiſtoria; quod Apoſtolica in ſuis Epiſtolis confirmat Auctoritas; quod eximii ſacrae Scripturae Tractatores, & praecipui Chriſtianae Fidei Doctores, ad perpetuam poſteris reliquerunt memoriam.*

Parthenotimus noſter interea perpendat, an forte ex iis ſit, qui Patrum auctoritati praeferre non dubitant recentiorum Theologorum meditamenta. Verum ille his dimiſſis, contendere pergit, poſſe divina Fide, abditum hactenus credi Conceptionis Virgineae Myſterium. Et ſane haec ſcripſerat Pritanius: *Quamquam ſumme Pia ſit Perſuaſio illa, qua Beatiſſimam Chriſti parentem ſine Labe Conceptam putas; nihil aliud tamen eſt, quam Opinio humana Errori obnoxia, dum Romana Sedes ejuſmodi Sententiam antiqua Traditione, ſive Revelatione divina ſufficienter niti ſtatuat.* Inſurgit heic Theologus Panormitanus, & pag. 32. *Minus recta*, ait, *minus digna Theologo ejuſmodi argumentatio. Fac, te vixiſſe, antequam Eccleſiaſtici Liber declararetur ab Eccleſia Canonicus. Fac, te per id tempus hoc judicium concepiſſe: Eccleſiaſtici Liber Canonicus eſt. Num idcirco id judicium erat re ipſa Errori obnoxium? Abſit. Verum erat; Certum re ipſa erat, & divinae Revelationi re ipſa conforme. Vides nunc, arbitror, quam utilis Theologia Scholaſtica ſit, ne in hujuſmodi propoſitiones impingas, quales Lamindus heic profert.* Utilis procul dubio Theologia Scholaſtica eſt, immo neceſſaria Eccleſiae; atque auctor & ego ſum omnibus, ut ei dent operam; ſed nequaquam Logicae, qua Parthenotimus utitur; haec enim facile in paralogiſmos addiſcentem conjiciet. Primo, exem-

exemplum *Ecclesiastici* si recte metiare, deprehendes, Traditionem explicitam praecessisse, antequam Ecclesia Librum inter Canonicos retulerit: quod nondum Immunitatis Marianae patroni ostenderunt suae adesse sententiae, persuadentibus immo sibi contrariae patronis, Sanctos Patres, & Theologos antiquos pro sua explicite stare. Secundo, si dubitatum fuisset ante judicium Ecclesiae de divina origine Ecclesiastici, ne tunc quidem *Objectiva Certitudine* Certum fuisset privati hominis judicium de illius authenticitate, sed quidem *Certitudine Subjectiva*, & *Persuasionis*, quae formidinem Erroris excludere non potuisset, donec dubitationem & formidinem suo infallibili judicio sustulisset Ecclesia. Plurima nunc incerta sunt, & disputantur in Scholis. Si unam ex hisce Quaestionibus Ecclesia post centum annos dirimeret, ac statueret, spectare ad Fidem, puta, *Scientiam Mediam*, aut necessitatem alicujus actus *Dilectionis Dei in Attritione Sacramentali*: peto ego a Parthenotimo, an Certum Certitudine Intrinseca, Formali, & Objectiva nunc esset illorum sententia, quae post centum annos relata in censum Dogmatum ab Ecclesia contrariae praeferretur? Si negat, habet ille, unde sibi respondeat. Sin affirmat: nolo ego tempus ultra terere in ejus dictis refutandis. Tertio, quam incongruum sit exemplum hoc loco productum, disparitas inter nostram atque illam rem evincit. Nunquam Ecclesia media stetit inter disputantes de authenticitate Libri *Ecclesiastici*, neque agnovit, Eas esse utriusque oppositae sententiae rationes, ut neutram damnari interdixerit. At in casu nostro Apostolica Sedes, conscia a tot Seculis disputationum de Immaculata Conceptione, rationumque hinc inde productarum, nihil aliud hactenus decrevit, quod est ad Veritatem sententiarum, nisi ut nemini liceat hanc aut illam censura configere. Itaque perspiciat Lector, *quam utilis sit Theologia Scholastica* Parthenotimo nostro ad solvendos inextricabiles nodos, quibus Votum suum Sanguinarium constringitur. Alio tamen exemplo is pugnam renovat, inquiens pag. 33. dari posse, ac dari *Judicium moraliter Certum, nullique prudenti formidini obnoxium de credibilitate Fidei Christianae* in Ethnico ad Religionem Christianam sese convertente. Hoc autem judicium non a Revelatione divina trahit originem, actumque Fidei praecedit, & Certum nihilominus est. Ergo, is infert, judicium de Veritate Sententiae Scotisticae Certum esse potest, etsi nondum ad Fidem Divinam spectet. At hoc sane minime dignum Theologo judicium, ut mitissime loquar, quando is cum Veritate, seu Credibilitate Christianae Religionis componit Veritatem seu Credibilitatem

Im-

Immaculatae Conceptionis. Omnium Theologorum concors sententia est, sanctissimam Religionem nostram adeo evidenter esse Credibilem, ac tot in eam confluere motiva gravissima Credibilitatis, ut inexcusabilis sit quicumque Infidelis, qui rite sibi annuntiatam non amplectatur. At quisnam audeat asserere, Evidentiam Credibilitatis in sententia de Conceptione Scotistica deprehendi? Esset hoc conjicere dedecus caecitatis, aut extenuatae nimium Pietatis in Ecclesiam, quae tamdiu rogata, nondum tamen Opinionem illam dignam censuit, quae inter Dogmata Fidei referretur; immo in contraria Opinione pondus Credibilitatis se agnoscere satis testatur. Porro nunquam disputavit Lamindus, an aliquid homini Certum esse possit, etiamsi nondum sibi sit propositum credendum Fide divina, aut ante actum Fidei divinae. Vagatur Parthenotimus. Quaestio nostra est, an Scoti Sententia, de qua quid hactenus judicarit Ecclesia, ignorare non potest, Certa adeo esse homini prudenti possit, ut legitime ac prudenter pro ejus tutela mortem eligat. Hoc nondum Theologus noster ostendit; & me contrarium ostendisse, jam Lector, ut spero, animadverterit.

CAPUT XXI.

Cavillatoris nota Pritanio perperam a Parthenotimo inusta. Inquisitioni Hispanicae an juste tributa ab ipso quaedam Infallibilitatis species. Aliae Parthenotimi cavillationes.



LIAM nunc scenam aperit ingeniosus Parthenotimus, per quam clientes suos confidit magis atque magis in sua sententia confirmandos. Didicit ille, spem victoriae in concertationibus augeri, ubi non rationes tantum adversariorum oppugnantur, sed & in ipsos adversarios odium & contemtus conflatur. Supra vidimus, artificiose injectas ab eo *Jansenismi* suspiciones in Lamindum; nunc ipsum uti *Cavillatorem* traducere conatur, quaerens praecipue pag. 82. *Cur Lamindus in cavillationem se proripiat.* Cedo Cavillationes istas. Ea palmaris, & quae non uno in loco recurrit: videlicet Lamindum *omisisse distinctionem Votorum*, hoc est, non explicuisse, an utrumque Votum improbet, quorum unum pollicetur patrocinium Immunitatis Marianae

voce

voce duntaxat *& calamo*; alterum paria pollicetur, addito etiam *Sanguine & Vita*. Hanc eandem cantilenam Parthenotimus exorditur pag. 13. tum ipſam in aliis locis ingeminat. Quod pejus eſt, ſibi interdum fingit, Lamindi mentem revera fuiſſe damnandi etiam Votum Academiarum, ſine ulla *Sanguinis* mentione conceptum. Neceſſe profecto eſt, ut pugnandi ardor criterii uſum prorſus eripuerit Siculo Profeſſori, quando in ipſo ſuo Libello haec Lamindi verba diſertiſſima refert, neque eorum ſenſum & vim intelligit. *Satis*, inquit Lamindus, *quibuſdam non fuit calamo & rationibus Immaculatam Deiparae Conceptionem tueri, quod procul dubio cum vera Pietate conſonat*. Qui haec dicit, cubitalibus literis ſignificat, ſe ſummopere probare quoſcumque *tuentes calamo & rationibus* eandem ſententiam. Cuncta vero ejuſdem ſpicula eos duntaxat petunt, qui *Vitam* pro tuenda ipſa ſententia vovent, ſeque *Martyres* futuros pro hujuſmodi cauſſa morientes confidunt. Et nihilominus identidem Siculus cenſor Lectoribus ſuis perſuadere non veretur, impugnari a Lamindo alterum quoque Votum, hoc eſt Academiarum, nimium ab iſto diverſum. Uter noſtrum *in Cavillationes ſe proripiat*, recti Judices decernere jam incipiant. Dixerat Lamindus: *Quomodo te Numini placiturum putas, illiuſque Martyrem te futurum ſperas, ſi rite certus non es, te pro Veritate mortem oppetere? idque tanta contentione fuiſſe vis, quod aliter Deus voluiſſe poteſt, incertumque adhuc eſt, an aliter eſſe voluerit? Cave, ne amorem, & reverentiam Virgini debitam eo uſque amplifices, ut ſuperſtitioſam efficias. Non unus autem ego in hoc Voto profundendae Vitae pro Immaculata Conceptione Virginis Superſtitionem timeo. Timuit, & timet Apoſtolica Sedes &c.* Plura heic retuli, & quorſum intelliget Lector, ubi acceperit, quid ad iſta adnotarit Panormitanus Theologus pag. 65. *Principio*, inquit, *videat Lamindus, quo ipſum abripiat ille ſuus, quem vocat Superſtitionis timorem, ſed nonnemo diceret audaciam: dum Superſtitionis notam Catholicorum ſententiae inurit*. Quid heic ſibi velit Parthenotimus, quum ait *Catholicorum ſententiam*, non ſatis aſſequor. Si forte Scotiſticam de Conceptione ſententiam Superſtitionis nota a me inſperſam vult, ad quemcunque Lectorem tam foede ac immerito a Cavillatore laeſus appello, a quo etiam indigne habitus ſum ſuperius, perinde quaſi *Mendacii* nomine denigrarim eamdem Scoti Sententiam. Sin *Votum* tantummodo *profundendae Vitae*, quod unum reapſe Lamindus minime tolerandum contendit: brevi indicabo, quam juſtus mihi ſit timor Superſtitionis in illo. Atqui ſubdit Parthenotimus: *Si Superſtitionis, ſeu*

Cul-

Cultus falsi censura notatur Votum, quod Virginis Immunitatem, & hujus defensionem respiciat, eadem afficiendum esset nota celeberrimum Conceptionis Deiparae Festum, quod ex nuper dictis Praeservationem ab originali macula respicit. De Festo Conceptionis supra egi. Repeto nunc, ne umbram quidem Superstitionis occurrere in tuenda voce & calamo Scotistica sententia, uti neque in celebrando secundum eandem sententiam Festo Conceptionis: quod liberum Alexander VII. cuicumque fecit. Sufficit enim Pietas Opinativa, Probabilibus ac Verisimilibus motivis innixa, ut Opinioni alicui adhaereamus, eamque propugnemus, atque ut Festum etiam celebretur. Celebrantur per totum Catholicum Orbem tot Festa pro Sanctis ab Apostolica Sede minime canonizatis, pro tot Reliquiis, & Corporibus Sanctorum, eorumque Miraculis. Probabilitas ista legitimum prudenti suppeditat argumentum ita agendi. At ubi agatur de Vita danda pro Probabili tantum sententia, hoc est pro Opinione tuenda, atque Martyrum praemio inde sperando, Imprudentiam & Crimen heic deprehendimus, & Superstitionis justus metus occurrit. Addit Parthenotimus pag. 67. *Supremum Inquisitionis Hispanae Tribunal permisisse Thesin de Martyrio morientis pro Immaculata Conceptione:* quo scilicet tempore Laminae Granatenses, Dextri Chronicon, & reliquae piorum hominum imposturae persuaserant religiosissimae Hispanicae genti, in Concilio ipso Apostolorum cognitam fuisse veritatem *Immunitatis Marianae.* Subdit Siculus, damnatam quidem fuisse *a suprema Lusitaniae Inquisitione* Thesin Auctoris statuentis, *quod inconsulto Summo Pontifice, poterat Festum Conceptionis celebrari.* Hic idem Auctor *Virginis Conceptionem inter Veritates ad Fidem pertinentes collocavit.* Hic inferebat: *quare verum subiret Martyrium.* At Siculus Theologus subdit, totam istam, integramque sententiam a Lusitanis fuisse vetitam. *Theologi vero, qui Martyrium esse defendunt Mortem pro Marianae Conceptionis defensione, nunquam somniarunt defendere Martyrium esse, quia inconsulto Summo Pontifice, possit Festum celebrari: quodque eodem inconsulto, Fidei Veritatibus sit annumeranda Deiparae illibata Conceptio. Fallitur ergo, si quis unquam credat, inter se Fidei Quaesitores dissidere.* Nullus est mihi Liber, quo possim intime perscrutari, quae heic ab unius Parthenotimi eruditione didici. Quare tantum respondeo, nihil mea referre (ac puto idem dicturos ceteros Italos, Germanos & Gallos) quid agat, aut non agat, probet aut improbet Inquisitio Hispanica & Lusitanica: neque enim ab illorum judiciis quidquam pendet reliquus Catholicus Orbis. Immo serium ridebit quisquis Tribuna-

bunalibus iis quandam Infallibilitatis speciem tribui a Parthenotimo audit. Satis sit mihi dicere, ab Hispanica Inquisitione proscriptum fuisse temporibus nostris eximium Opus, & celebre Eruditionis Ecclesiasticae promtuarium, scilicet *Acta Sanctorum* a Bollando: aliisque Clarissimis Patribus Societatis Jesu Antuerpiensibus collecta & illustrata, quae tamen eodem tempore illaesa evasere e Romano examine. Immo ea ipsa in Hispania sub novo Rege Catholico Philippo V. libertati pristinae reddita sunt, pauculis verbis expungi aut mutari jussis, ut aliqua praecedenti Censurae excusatio fuisse videretur. Ceterum non satis mihi persuasit Parthenotimus, non idem fuisse damnatum a Lusitanis, quod ipse clientibus suis in Opusculo suo, feliciusque alibi, insinuandum curat. Nempe scribit heic, *Theologos nunquam somniasse defendere, quod Summo Pontifice inconsulto, Fidei Veritatibus sit annumeranda Deiparae illibata Conceptio*. Atque is nihilo secius pag. 22. *Theologos*, memorat sentientes, *quod Fide divina posset credi, sine labe Virginem fuisse conceptam; cum sibi homo persuadeat, id fuisse a Deo revelatum*. Et pag. 29. addit. *Neque quia Ecclesia, fidissima Dogmatum testis, adhuc ut Fidei articulum Sententiam Piam non proposuerit credendam, inferre licet, quod ea non fuerit Revelata*. Et pag. 47. *Ut autem dicamus, quod in Revelatione aut scripta aut tradita, pia contineatur sententia, tot Doctorum sententia sat esse videtur*. Haec ille scribens nonne nobis insinuat, posse nos *inconsulto Romano Pontifice* divina Fide credere veram Scotisticam sententiam? Certe constat, Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Magistram, una cum Tridentino Concilio, in albo Opinionum reliquisse Scoti sententiam, sibique de illa reservasse judicium, quod nunc sibi Parthenotimus usurpat.

Petit Parthenotimus pag. 80. *cur in scrupulos se proripiat Lamindus?* Scrupulum autem Lamindi arbitratur, *timuisse Superstitionem in Voto Sanguinario*. Tum percontatur: *Unde tanta lux uni se pandit Lamindo, quae ceteris fuerit occlusa? Num ex Bibliis, & sacra Traditione, quae Dumtaxat ipse praecipit consulenda?* Contra ego perlibenter ab eodem Parthenotimo sciscitarer, quandoquidem is glorioso Theologi nomine insignitum se ait, an licere putet imponere proximo suo sententias periculosas, aut erroneas, ab ejus mente prorsus alienas? Lamindus Pritanius Lib. I. Cap. XI. de Ingenior. Moderat. dixerat: *Praeter divinas Scripturas, & Traditiones, Concilia sacra, & praesertim Oecumenica, Romanorum Pontificum Epistolae & Decreta, Sanctorum Patrum Libri, probatae Veterum Historiae, Theologorum, aliorum-*

que Orthodoxorum ſcripta, *ſunt ii fontes & loca*, *unde Eccleſiae Catholicae doctrina eſt haurienda*. In eo ipſo Libro, adverſus quem arma Parthenotimus arripuit, haec leguntur; & nihilominus Parthenotimus idem palam ſcripſit, *Lamindum praecepiſſe*, *conſulenda dumtaxat Biblia & Sacram Traditionem*. An Theologum deceat ars iſta pugnandi, quum vacabit, ille nobis prodet. Addit deinde: *Bibliorum & ſacrae Traditionis plerique Theologorum gnari*, *illis potius conſonum*, *utpote Pium*, *tuiti ſunt Votum*. Votum quidem tuendi *Voce & Calamo* Illibatam Virginis Conceptionem, a plerіſque Theologorum probatur; probatur & a me illorum diſcipulo. At quandonam *Plerique Theologorum* Votum Sanguinarium, de quo uno loquitur Lamindus, *ſacris Litteris ac Traditioni Patrum conſonum*, *utpote Pium*, ſcripſere? Immo tacite hoc ipſum, ſi paucos infimi ſubſellii excipias, ii damnarunt, quando ſenſere, *nefas eſſe pro Opinionibus tuendis Animam noſtram ponere*. Non confundat quaeſo diverſa haec Theologus noſter, & veritatem preſſius ſequatur, ſuiſque auditoribus tradat. Denique is ait pag. 81. *Quodnam Eccleſiae Dogmatibus detrimentum accedet ex eo quod hic vel ille pro hoc aut illo Virtutis Actu mori*, *aut non mori*, *licite queat?* Serio-ne loquitur heic Theologus noſter? Serio, nemo neget. Itaque ſecundum illum inter veros ac proprios Martyres, & Martyres improprie appellatos, nullum erit diſcrimen: quod tamen Theologi graviores negant. Immo, ſi Theologum hunc audimus, nihil Eccleſiae Dogmatibus officit, quod *hic vel ille pro hoc aut illo Virtutis Actu mori*, *aut non mori*, *licite queat*. Ubi Parthenotimus hiſce verbis tradat, *Virtutis Actum* eſſe pro tuenda Illibata Conceptione Mori: jam quiſque videt, fruſtra ab ipſo aſſumi tanquam Certum & probatum, quod adhuc inter nos diſputatur, ſcilicet: *An liceat*, *& Virtutis actus ſit pro ejuſmodi cauſſa occumbere*. Hactenus oſtendi, id abhorrere a recta Pietate, atque inter Peccata referendum fore. Et profecto ſi temere ac imprudenter Vita propter hoc prodigatur, nemo non intelligit, quantum inde dedecoris in doctrinam Eccleſiae, quantum detrimenti in Rempublicam effluere poſſit. Foecundus deinde in interrogando Siculus Scriptor & Cenſor haec habet pag. 82. *Petitur etiam a Lamindo*, *cur in ſolum Votum de tuenda Virginis Immunitate uſque ad Sanguinis profuſionem tela vibret; & cetera praeterit intacta*, *ut Votum ſerviendi infirmis etiam cum Vitae diſcrimine*, *& quidem magis aperto*, *Votum carnibus non veſcendi toto Vitae tempore*, *aliaque id genus*. Nihil eſſet, cur ego reſponſum facerem importunis hiſce interrogationibus, quando ſuperius ſatis reſpondi. Breviter tamen

men dicam, nullam fuisse caussam adducendi in examen praeter Sanguinarium reliqua Fidelium Vota; neque enim de istis instituendus sibi erat Tractatus. Nunc autem a Parthenotimo coactus repeto, Votum inserviendi aegris, aut peste infectis, ut salvam faciant animam suam, aut sanitatem corporis recipiant, etsi inde Vitae discrimen per accidens incurratur, esse de Certo & eximio Virtutis, hoc est Caritatis Actu, quem Evangelium ipsum probat, atque commendat. Ubinam vero Christus Dominus, aut Ecclesia commendarit veluti sacrificium Deo carum, Vitam nostram impendere caussa propugnandae Opinionis de Immunitate Mariana: post decem annos nobis Parthenotimus ostendet; tantum enim illi temporis ad quaerendum ac docendum concedo. Ad Votum vero non vescendi carnibus toto vitae tempore quod attinet, jam dixi Cap. III. illud minime ferendum, nisi excludat periculum mortis ob alimoniae defectum. Praeterea petit Siculus Professor pag. 83. cur Lamindus Sanguinario Voto *nec ullum*, *quem rectum habere potest*, *det sensum*. Quaemnam quaeso? Nimirum illius patronos *non mori pro eo*, *quod esset tantum Probabile in Virginis Conceptione* (hoc est pro Veritate sententiae: cogitur quippe & ipse fateri, Probabilem quidem, non vero Certam illam esse) *sed pro eo*, *quod est ibi Certum*, *hoc est pro defendendo Cultu & Festo Immaculatae Conceptionis praescripto ab Ecclesia: quod in Veritate Speculativa est Certum*, ut ait Jacobus Granado, cui Minorita Velasco consensit. Sed centies dixi, *Cultum* hunc *Opinativum* esse, quod est ad statuendam Immunitatem Virginis; atque e Festo Conceptionis, reluctante Romana Ecclesia, deduci, a Summis Pontificibus pro Scotistica sententia contra oppositam fuisse quidquam definitum, quum diserte ii contrarium protestentur. Et Cultus & Festum laudanda sunt. Mors vero, quae subiretur a Sanguinarii Voti patronis, quippe tolerata *pro Opinione*, imprudens facinus & scelus dicenda est. Porro inania sunt effugia quae heic & alibi quaerit Theologus noster. Ipsius enim revera Votum est, non pro tuendo Cultu & Festo Conceptionis, sed *pro tuenda Immaculata Deiparae Conceptione*, ut ipsius Opusculum in titulo & fronte potentissime profitetur.

CAPUT XXII.

Confusio a Parthenotimo somniata in Lamindi censura. Nullum Heterodoxis ex ea censura ministrari posse scandalum, sed quidem e Voto Sanguinario. Neque Lamindus Doctores Catholicos, Theologosve Scholasticos traducit.

PERGIT deinde is dicere pag. 84. *In plerisque formularum, quibus Deo promittitur tuitio Conceptionis sine labe, maxime quibus Academiae utuntur, nulla fit Mortis mentio, nec exprimitur Usque ad Sanguinem. Neque in Neapolitana reperitur.* Denique subdit: *Quod si qua ulla est alia Vovendi ac Jurandi formula, qua Usque ad Sanguinem additur; cur hujus tantum formulae, & non aliarum, recordatur Lamindus?* Mirentur heic iterum Parthenotimi ingenium Lectores. Non uno is in loco Lamindum exhibuit (per summam tamen injuriam) non Voti tantum Sanguinarii censorem, sed & ceterorum pro tuenda Scotistica sententia fine Sanguine conceptorum. Heic autem dolet, quod idem Lamindus Voti duntaxat Cruenti, & *non aliorum* fuerit recordatus. Insuper Lectorem opportune monendum ille censet, a plerisque formulis Votorum abesse *Sanguinis* & *Mortis* mentionem; neque prospicit, hoc ipsum jaculum in suum caput recidere, quando ut alibi animadverti, tot Academiae, Ecclesiae, & Theologi, saltem non minus quam Siculi, judicio, doctrina, & zelo honoris Deiparae ornati, Votum quidem suscipiunt tuendae Scotisticae sententiae (quod laudabile est, praecipue *dissensionis componendae caussa, quemadmodum in Hispaniis fit*, uti ipse Parthenotimus fassus est pag. 77.) sed a Voto Sanguinario abstinent, & ut puto, abhorrent. Addit Siculus Censor pag. 85. *Cur tam confuse & generatim conqueritur Lamindus: Quod nostris quoque temporibus tum in privatis colloquiis, tum in publicis concionibus Idem Votum repetitur?* Nollet, uti hactenus vidimus, Theologus noster, Lamindum adeo in scrupulos pronum, ut imprudentiam, immo & Superstitionem timeat in Sanguinario Voto. Ego contra Parthenotimum ipsum scrupulosiorem vellem, ex quo *Confusionem*, & *Generalitatem* sine ulla caussa tribuit Lamindo, quasi is Vota omnia pro tutela Conceptionis Virgineae sugillarit. Prostat Lamindi

Liber,

Liber, prostat & ipsius Parthenotimi Libellus, in quo ejusmodi Lamindi verba leguntur. *Idem Votum* meridiano Sole clarius non alios respicit, quam affirmantes: *Pro caussa Immaculatae Conceptionis pium esse mori*, ut ibi diserte atque unice scribit Lamindus. Quod ubi ita esse Lector deprehenderit, poterit-ne non agnoscere, unum Parthenotimum occurrere nobis, qui in *Cavillationes* se proripiat, qui *Confusionem* prae aestu disputationis in Lamindi scripta intrudit, ut incautis Lectoribus alio respicientibus, ipse interim pudorem Voti Sanguinarii imprudenter concepti, atque infelicius propugnati, a se & a clientibus suis aliqua ratione amoliatur? Eodem pede currit subsequens Siculi Professoris querela pag. 85. *Catholicae gentis fama*, *ait*, *num digna non est*, *quae unius privati viri famae non sit praeferenda? Cur ergo publicae caussae non prospexit Lamindus*, *qui tantam in privata expostulat cautionem?* Inanes naeniae, expostulationes joculares, dicere liceat. Ubinam quaeso Lamindus universae *Catholicorum gentis* famam arrodit, postquam ipse aperta professione testatus est: *Calamo & rationibus Immaculatam Deiparae Conceptionem tueri*, *procul dubio cum vera Pietate consonare?* Siculos quosdam tantum, aut si qui sunt alibi, certe paucos, Lamindus non virulenta, sed amica oratione aggressus est, ut eos ab imprudenti ac periculoso Voto Sanguinario averteret, quod ipsi duntaxat concipiunt, & legitimum reputant, non vero universa *Catholicorum gens*, aliena nimium ab hujusmodi improvida novitate. Sed qui praeoccupatus ferventi affectu in litteraria palestra dimicat, difficile vitia suae sententiae sensit, facile in adversarii confingit.

Declamatorio deinde stylo eadem pag. 85. Parthenotimus subdit: *Quo jure*, *Cavillationis vitio*, *quod Lamindus ipse in alienis scriptis curat amoliri*, *tuebitur sua non esse inspersa?* Magnum aliquod portendit haec emphasis. Intentis auribus audiamus. *Quid suspicabitur de Catholicorum more Heterodoxus*, *qui haec a Catholico scripta offenderit?* Tum multis e pixide Candidati Rhetorici figuris depromtis, tandem ait dicturos Heterodoxos: *Dubia-ne ergo prudenter nobis erit Romanorum Superstitio? Narrat Pritanius*, *quod Romanus pro re incerta mortem oppetere licitum*, *immo honestum putat*. *Ita igitur res erit*. *Ergo in plerisque Catholicorum mos Divos venerandi certo pravus inolevit*. *Haec Heterodoxus inferre ex Lamindi Lectione facile potest: maxime si ex Jansenistis fuerit &c.* Ego vero, sepositis parumper Heterodoxis, referam potius, quid haec legentes Catholici dicturi erunt. Necesse sane est, Parthenotimum vel vigilantem somniare, quando talia scripsisse illum videmus. Primo *Cavillationem* in Lamindo nonnisi

nisi somnians appellet id, quod minime Lamindus dixit, sed unus Parthenotimus in felici sua Phantasia fabricavit. Nam etiamsi id supponeremus, non *Cavillatio* Lamindi id foret appellandum, sed *Consectarium* tantummodo censurae ab illo efformatae. Secundo, somnium merum est, posse Heterodoxos e Voto Sanguinario elicere, inolevisse *in Plerisque Catholicorum pravum morem venerandi Sanctos*; prorsus enim falsum est, *Plerosque* e nostris imprudenti Voto illi sese obstringere. Pauci tantum Siculi, fortasse pauci & alibi, illud amplectuntur. Tertio, inane somnium est, Sectariis ansam praeberi deprehendendi Superstitionem in Romana Ecclesia. Immo ne deprehendant, neque nobis objicere illam quisquam possit, Catholicus Scriptor Voto paucorum Sanguinario sese opposuit. Alienae vero communionis homines intelligere hinc etiam possunt, non dissimulari apud nos, immo oppugnari libere, quaecunque errorem aut abusum in Pietatis negotio praeseferre videntur. Atque eo longius aberunt a tribuenda Catholicis Superstitionis nota in Quaestione de Immunitate Mariana, quum animadverterint, Lamindi Librum a tot annis editum, atque infensum Superstitioni, aut Superstitionis umbrae in hac eadem caussa, pacifice versari, neque sine plausu (si dicere licet) inter Catholicos; ejusque censuram de Voto Sanguinario a sapientioribus probatam, uno Parthenotimo excepto, qui pro honore proprio sollicitus aliter sensit. Quod plus est, ostendit in eodem Libro Lamindus, ne probari quidem ab Ecclesia Romana ejusmodi Votum; quod unum sufficit, ut nulla Heterodoxis reliqua sit caussa culpandae hanc ob caussam Catholicae Ecclesiae. Ceterum nisi hospes esset in Polemica Theologia Parthenotimus noster, nullo negotio resciret, objici nobis ab Heterodoxis alios ritus, alios mores, ac opiniones, quae a nonnullis interdum sine consensu Ecclesiae usurpantur, aut litteris etiam traduntur, & Superstitionem olere videntur. Quid vero Catholici Sapientes respondent? Non omnia illi, quae quilibet Catholicus facit aut sentit, recte facta, aut excogitata contendunt. Sed Heterodoxos appellant ad Ecclesiarum nostrarum, Romanae in primis, Catechismos, ad Romanorum Pontificum Decreta, ad Concilia nostra, atque ad sanioris Theologiae Doctores, in quibus vera Catholicorum Doctrina quaerenda est, non in vulgi insipientia, aut in privatorum placitis, nonnunquam falsis, erroneis, scandalosis, temerariis, ridendis. Tunc in tuto est dignitas & puritas Ecclesiae Catholicae. Quanto autem magis huic cautum est in Lamindi Libro, postquam Votum ipsum Sanguinarium ibi exhibetur, ab ipsa Apostolica Sede jamdiu sufficienter improbatum

atque

atque explosum? Haec, ut spero, Catholici de Parthenotimi commentis, quae is Heterodoxis somniat, dicturi erunt. Immo & ab ipsis Heterodoxis commendanda venit Catholicorum cura, quod lollium, in agro Ecclesiae nullo non Seculo germinans, & germinaturum usque ad finem Seculi, non negligant, & primi ipsi vitandum aliis ostendant. Quid vero iidem Haeretici dicturi contra forent, si aliquando Votum Sanguinarium quisquam sua morte compleret, & ferale spectaculum gentis pro eo trucidatae in eorum oculos incurreret, jam indicavi superius. Interea probrum sibi ducit, ac propterea negat Parthenotimus, ut nuper vidimus, *quod Romanus* (idest pauci Siculi) *pro re Incerta mortem oppetere, licitum immo honestum putat*. Contendit etiam, *Catholicis* (hoc est paucis Siculis) *haec scita, quae non docuerunt, & vix somniaverunt, a Lamindo appingi*. Sed illi gratiae habendae, quod haec scribens, rationem germanam ac breviorem ipse tandem omnibus patefecerit dijudicandi, tolerandum ne sit, an non, Votum Sanguinarium. Vicit ille, si verum est, voventes pro tuenda Scotistica sententia Vitam, morituros esse *pro Sententia Certa, omnem Erroris formidinem excludente*. Vicit contra Lamindus, ubi verum sit, mortem electuros *pro sententia adhuc Incerta, & nondum e finibus humanarum Opinionum, quamvis Piarum, egressa*. Hoc se hactenus evicisse Lamindus sibi persuadet. Judicabunt sapientes, qui interim animadverterint, quae consectaria emanent e doctrina nuper a Parthenotimo tradita. Neque cavendum esse in posterum Catholicis viris, ne erroris, superstitionis, aut haeresis doctrinam cujusquam Catholici unquam insimulent; secus enim faciendo, Heterodoxis ansa praebebitur arguendae Catholicae Ecclesiae. Ejusmodi terriculamenta excogitat ars Declamatoria, sed ridet meliorum sapientia.

Petit praeterea Panormitanus Professor pag. 87. *Cur Lamindus Votum saltem ex parte non excusarit. Si displicebat ipsi, quod Voventes Virgineae Immunitatis defensionem, Sanguinem velint profundere: cur ejusmodi Voto hanc non curavit moderationem adhibere, ut interim intacta esset tuendae Immunitatis promissio, & amoveretur Sanguinis profusio?* Ita utramque paginam Theologus tantopere a Cavillationibus aversus, hujusmodi accusatione onerat, ut si quo possit modo eorum saltem odium, qui Lamindi Librum nequaquam legerunt, in Lamindum conjiciant. Repetere tamen cogor, quod toties dixi: ex eodem videlicet fonte effluere hallucinationes Parthenotimi non dignoscentis, quibus vitiis suum Votum laboret, & rursus videre se putantis in Lamindi Libro, quae nemo alius videre hactenus potuit.

Quod

Quod enim est ad reliqua Academiarum Vota, dixit jam Lamindus; ac centies repetet, ea sibi innoxia, immo commendanda procul dubio videri. Porro pag. 92. iterum displicet Parthenotimo, *quod Lamindus eodem Opusculo* (ita nempe Librum appellat, qui paginas octingentas septuaginta duas spissi characteris in quarto implet in prima Parisiensi Editione) *de Ingenior. Moderation. quo cum hoste alienae Religionis, & Batavae gentis, in litteraria acie congreditur, hostes sibi aut facit, aut fingit Catholicos, ac proinde ejusdem Religionis viros*, Hercle vereor ego, ut Lamindus, aut quisquam alius, quum Libros de Religione conscripturus est, Magistrum sibi adhibere velit Siculum Theologum, cui certe tantum auctoritatis non conciliavit soliditas Libelli, hactenus a me ad stateram appensi. Immo heic potissimum hospitem in Eruditione Ecclesiastica ille se prodit; paucos quippe reperias, qui dimicantes cum Haereticis honesta etiam libertate non arguant, si quos e Catholicis in defectus aut excessus sententiarum declinantes animadvertunt. Vide Alphonsum de Castro, Melchiorem Canum, Bellarminum, & Gottum S. R. E. Cardinales, Petavium, Theophilum Raynaudum, Beccanum &c. Subdit Siculus; *Si animus Lamindo est, cum Catholicis congredi, congrediatur, ut lubet*. Me plane felicem, cui tanta indulget liberalis hic Censor. Pergit ille: *Sed ut mos congrediendi Catholicis est, Opusculo mutetur titulus*. Lamindo consilium fuit tractandi de negotio Religionis, in quo Haeretici passim, sed aliquando Catholici delinquere solent. Ergo cum de illis, tum de istis, argumentum poscebat, ut ageretur; ac proinde videant severi Judices, quo plausu excipiendus sit Parthenotimus exigens a Lamindo, ut titulum Libri sui mutet. At ille addit: *Non enim Religionem spectant Catholicam, quae de Immaculata Virginis Conceptione inter Catholicos disceptantur*. Dicat quaeso egregius iste Theologus, ad quamnam Religionem spectent, si minime ad Catholicam? Si vera is hoc in loco tradit: qui pro Scotistica sententia occumbat, Vitam minime dabit pro re pertinente *Ad Catholicam Religionem*. Atque ita is ore suo Votum suum cruentum damnabit. Utcumque tamen Parthenotimi mens heic fuerit, illud constat, Lamindum confessum fuisse antea *summe Piam* sententiam Immunitatis Marianae, ejusque *tutelam voce & calamo cum vera Pietate consonare*. Verum quod nonnulli abutentes Pontificiis decretis, immo contra eorumdem mentem, depraedicare audeant tam Certam sententiam, ut non solum liceat, sed laudabile sit, & Martyrii gloriam referat, pro illa occumbere: contra periculosum hoc Dogma &

ritum

ritum exercere vocem & juvat, & opus est, ne sub Pietatis specie Superstitio in Populum Fidelem, atque in Religionem Catholicam irrepat: a quo morbo Apostolica praesertim Sedes cavendum jubet.

Praeterea Parthenotimo pag. 93. *displicet, quod Lamindus falso Doctores Catholicos traducat, quasi vero docuerint posse quemquam mortem subire ob purae Opinionis caussam: cum aperte ab eis oppositum sit defensum*. Sed quis Proteum hunc teneat, atque ab eo certam de Voti Sanguinarii mente confessionem exprimat? Si ei objicimus, Scotisticam de Conceptione sententiam, pendente judicio Ecclesiae, nihil aliud esse, nisi *Opinionem*, *Piam* quidem & *Probabilem*, sed minime *Certam;* ac proinde pro illa tuenda non sine crimine Vitam offerri, quum fatente ipso Parthenotimo nefas sit ob Opinionis tutelam velle Vita spoliari: is e manibus nostris elabitur per rimam, quam Granadus excogitavit, scilicet, non pro Veritate ejusdem sententiae (quam & ipse sentit praestari non posse Certam) voventes fore morituros, sed *pro Pietate, quae inest Actui Opinativo de Conceptione Virginis*, *aut pro Cultu & Honore* ejusdem Deiparae, aut *pro Festo* ab Ecclesia praescripto. Si rursus instamus, agi heic de *Pietate Opinativa*, de *Cultu Opinativo &c.* quae justum quidem titulum nobis suppeditant Opinandi, Virginem sine labe fuisse conceptam, atque ipsam colendi atque honorandi secundum istam Opinionem sive sententiam; verum non sufficere haec, ut legitime Vita impendatur, quum Pietas ista & Cultus, & Festum innitantur sententia nondum praetergressa fines Opinionum, is ad priora redit, atque contendit, sententiam eandem *Certam* esse; suosque discipulos docet, opus esse, ut sibi persuadeant, eam *Certam* esse, alioquin imprudenter occumberent. Hoc ipso in loco ita ille scribit: *Asserat Lamindus, puram esse Opinionem, quod Deipara omnis maculae fuerit expers, cum a Theologis, ut visum est, isthuc defendatur Saltem tamquam quid moraliter Certum. Quod tamen pura sit Opinio, sumi non debet ut quid certum, ut quid exploratum*, & *maxime ubi de negotio Religionis agatur*. Immo quia & de negotio Religionis agitur, & de Vita hominum projicienda, non debet Parthenotimus adeo Certam & exploratam sumere sententiam Scotisticam, ut pro illa tuenda Fideles nimium credulos impellat ad subeunda tormenta, mortemque temporalium malorum terribilissimum. Ad Religionem quod attinet, falli non possumus, pro *Opinione* duntaxat accipientes Piam Scoti sententiam; neque enim Ecclesia aliter hactenus sensit, & docuit, dum suum locum oppositae sententiae reliquit. Contra falli possunt, & falluntur, qui illam nunc *Saltem tam-*

quam Moraliter Certam depraedicant, si hoc nomine intelligunt *Certitudinem* Erroris metu liberam. Ex certo praeterea falluntur, neque temeritatis culpa absolvi possunt docentes, illam posse nunc etiam credi, tanquam *Fidei* doctrinam: quod insinuari videas a Parthenotimo ipso scribente *Saltem*. Quicunque enim tenet sententiam aliquam, ignarus quale judicium prolatura de ea aliquando sit Ecclesia falli nescia, necesse est, ut ei adhaereat cum formidine saltem aliqua Erroris; & consequenter illam tamdiu agnoscat uti meram Opinionem, quamdiu pendet judicium Ecclesiae, quum proprius sit Opinionis character involvere formidinem Erroris. Quomodo ergo nos conscii, quid adhuc Apostolica Sedes, ac Tridentinum Concilium, de duabus oppositis sententiis ad Conceptionem Virginis spectantibus senserit, *Scotisticam Moraliter Certam* appellare audeamus; immo tam *Certam*, ut *divina Fide* credi possit inconcussa? Repugnat aliquid esse hodie *Moraliter Certum*, immo *Fidei divinae* objectum, quod cras possit ab Ecclesia judicante *Falsum* deprehendi. Hoc autem contingere posse de Scotistica Sententia, ne ipse quidem Parthenotimus negare est ausus pag. 55. Quod si nihil aliud hactenus quam *Opinio* est hujusmodi sententia, & quamvis apud multos non sit *Opinio actualiter formidans*, attamen non desinit esse *Opinio radicaliter* Saltem *formidans*; eamque uti talem viri docti agnoscere coguntur, quippe qui ignorare hac in re non possunt Decreta Ecclesiae: habemus jam tandem a Parthenotimo ipso pronuntiatam damnationis sententiam in Votum Sanguinarium, quandoquidem ex ipsius quoque confessione nefas est mortem subire tuendae caussa Opinionis. Religionis Catholicae dignitati & securitati consultum vidimus, minime credendo Certam Scoti sententiam, immo hanc ipsam judicii suspensionem Religio exigit, dum pendet judicium Ecclesiae; neque aliter Academiae faciunt, quae tutelam Immunitatis Marianae vovent *juxta Summorum Pontificum decreta jam edita, aut deinceps edenda*; sive *donec aliter a sancta Apostolica Sede definitum fuerit*. Consulat ergo Parthenotimus, & si quis alius cum eo sentit, pretiosae hominum Vitae, neque amplius contra Catholicae Religionis praecepta auctor sit Fideli Populo, ut *Votum* concipiat *pro tuenda Immaculata Conceptione usque ad Sanguinem*: quod unum Lamindus minime ferendum ostendit.

Theologo nostro itidem pag. 94. *displicet, quod de Theologis Scholasticis Lamindus saltem tacite obloquutur*. Quare? *Horum*, ait, *ut vidimus, flocci pendit Opiniones ac sententias, dum contrarias credit, venditatque, omni formidine amota, ut veras*, Ergo finendum, ut Partheno-

thenotimus, omni formidine amota, de Vita hominum decernat, suisque clientibus, immo universae Catholicae Reipublicae persuadeat, Vitam cum laude dari, ac Martyrii coronam esse sperandam, si pro Scoti sententia, hoc est pro Opinione, in Mortem incurratur. Fingat ille sibi tantisper, temere concipi ejusmodi Votum (quod hactenus ego factum contendo) ac tunc dicat, honestum-ne sit exigere, ut omnes sileant, ut nemo periculosae Opinioni occurrat, ne molestia sibi, & *Scholasticis Theologis* creetur, quo nomine semetipsum duntaxat, & paucos suos asseclas designat? Ecclesiae caussam, reipublicae tutelam, praeferendam heic esse, unusquisque intelligit. Audiamus tamen Parthenotimum alias nentem querelas: *Debuerat* (inquit pag. 100.) *quae cauta Lamindi prudentia est, saltem animis pendere, utrum pro Immunitatis Virgineae tuitione, honestum sit mori, honestum sit hujusmodi tuitionem, utpote Piam, Deo Virginis Filio promittere. Non debuerat Theologos, qui a Voto steterunt, ut temere in mortem ruentes, sugillare.* Sed est cur Eruditi mirentur Parthenotimum novas leges invehentem in Rempublicam Literariam. Quisquis vel de limine salutavit officinas Theologorum tam Moralium, quam Scholasticorum, novit, quemque intrepida libertate suas proponere sententias, atque alienas impugnare, prout Verum a se stare, Falsum ab illis putat; & quot pugnae sint inter eos omnibus patet. Quis, rogo, alterum nimiae licentiae, aut inurbanitatis, aut iniquitatis merito arcessat, quod contrariam foveat sententiam, sibique Theologali quamvis laurea illustri adversetur? Libertatem hanc nemini Ecclesia negat, dum a doctrina Fidei laedenda, atque ab aliis excessibus abstineatur. An peculiare aliquod privilegium ostentare Parthenotimus possit, ipse aliquando aperiet. Interea alteram ille excitat querelam, scribens: *Non verbis, iisque Legum instar, paucis; sed rationibus improbanda sunt Theologorum responsa. Lamindus ergo non Legislatorum, sed Disceptantium more cum Theologis congrediatur &c.* Ita inanibus hisce cantilenis Lectorem suum detinet Parthenotimus, neque respicit, Lamindum obiter camerinam istam movisse; neque enim susceperat istud ex professo pertractare argumentum, in alia pro suo instituto intentus. Attamen in paucis iis verbis Lector easdem rationes conclusas deprehendet, quas heic susius expressas accepit. Et quidnam quaeso hactenus Theologus Siculus Opusculo suo praestitit, nisi easdem Lamindi rationes, quocunque modo potuit, refellere atque infirmare? Igitur mera haec verba sunt lyrae, non justae querelae.

CAPUT XXIII.

Theologorum auctoritas commendata. Sed non omnes certi ad Veritatem duces. Quid Amor Factionis, quid Amor Novitatis audere soleat. Excedi etiam posse in extollendis Deiparae praerogativis. Immo ea etiam via in Errorem ac Haeresim Pietas intemperans & pervicax prolabi potest.



LTUM interea Theologo nostro manet imo in pectore vulnus, quod Theologis Voti Sanguinarii patronis Lamindus contradicere est ausus. Ii sunt Theologi: grande eorum nomen; insignis auctoritas. Lamindus vero *privatus homo; recens homo, qui vero sub nomine apparere veritus est*, uti Parthenotimus ait pag. 103. *Larvatus homo, & vix notus de nomine*, uti idem repetit pag. 75. Ea de caussa irascitur, & pag. 100. his verbis occurrit hominibus non satis aestimantibus eximios hosce Viros: *Scio, quod parum ponderis habeat penes aliquos Theologorum auctoritas. Verum is decipitur, qui credat, Theologorum coetus apum esse examina, quae pulveris exigui jactu compressa quiescunt*. Pag. vero 46. praemiserat & ista: *At Suarez (reponet quidam Lamindi nomine, Lamindi caussam agens) quid aliud quam Scholasticus, & ex pusillis ingeniis? Quid aliud, quam Scholastici, Suarii asseclae? Non est ergo magni faciendum horum omnium judicium, ubi agitur de re Fidei a Romano* Pontifice decidenda. Tum in laudes Theologiae Scolasticae excurrit eruditus Theologus, & Sixti V. Constitutionem, in qua eadem commendatur, objicit Criticis eidem Theologiae oblatrantibus. Quem, vel quos prae oculis habeat haec scribens, & non uno in loco inculcans Parthenotimus, divinare nescio. Si forte Lamindum: inique sane, postquam is, atque in controversia praesenti, sua laude non fraudarit Theologos *calamo* & *rationibus Immaculatam Deiparae Conceptionem tuentes*. Deinde quot, rogo, sunt Theologi isti, quos Parthenotimus nova lege, nova ratione argumentandi, a Lamindo contemtos dictitat, ea tantum de caussa, quod eorum Votum Sanguinarium non probet? Illos brevi in digitis suis Siculus Professor recensebit. Atqui Lamindus innumeros alios, & longe graviores, habere se putat, non aliter, quam ipse, sentientes, Scoti-

sticam sententiam consistere adhuc intra Piarum Opinionum fines, ac propterea a Voto illo imprudenti alienos. Quei ergo Theologorum contemtum huc Parthenotimus noster trahit, quum Lamindus communem Theologorum sententiam, immo Romanae Ecclesiae judicium, in hujusmodi Quaestione sequatur? Quei ridenda plane exaggeratione sibi fingit, *Suarez*, insignem adeo Theologum, a quopiam *inter pusilla ingenia* conjectum? Digna sane non est tam gravis quaestio, quae hisce commentis, confictisque querelis pertractetur.

Attamen quando auctoritate Theologorum (paucorum certe) tueri se pergit Parthenotimus, atque inde nobis terrorem incutiendum, odiumve creandum sperat, monet me locus, ut corollarium praesenti controversiae adjungam. Et primo una cum aliis Catholicis dignitatem Theologiae Scholasticae agnosco, utilitatem depraedico, necessitatem sentio. Neque quod in ea excolenda occurrant aliqui interdum Novatores, atque in Prudentiam, aut in ipsam meliorem doctrinam peccantes, quidquam nobilitas & pretium eximiae hujus Scientiae decrescit. Fortunatae nimium forent Artes ac Literae, si a perfectis tantummodo tractarentur ingeniis. Secundo gloriosum Theologi nomen nimis urgendum non est ad conciliandum tantum auctoritatis Opinioni alicui, hoc est sententiae extra Fidei pomoeria sitae, ut contra sentire aliis non liceat, atque audaciae insimulandus veniat, qui adversus Opinionem illam in arenam descendat. Innumera sunt, quorum veritas in abditissimis tenebris, immo & insuperandis, jacet. Praeterea inter ipsos, qui Theologica laurea ornati incedunt, non desunt imbecillia, ac male educata ingenia. Et ex ipsis Theologis, in quos profusior Naturae liberalitas fuit, & quibus majores vires addit contentio studii atque meditationis, quemnam ostendas, tam firmis passibus in investiganda Veritate procedentem, ut ceteris ingeniis facultas erepta sit meliora sentiendi? Hercle videas Suario ipsi, quamquam singularis ingenii & doctrinae viro, alios, atque ex ipso suo doctissimo instituto, contradicentes. Idem & aliis contigit, & quotidie contingit. Neque mirum, quum vel ab ipso Angelico Doctore, cui in Ecclesia Dei supra Theologos reliquos veneratio major defertur, & quem pleraeque Scholae sequuntur, alii in tot quaestionibus dissentiant, ac dissentire temerarium nemini videatur. Immo integras Scholas inter se in tot controversiis discordes sub oculis habemus. Quare quisque intelligat, quo plausu sit excipiendus, qui paucos Theologos sibi concordes commemorans, & speciosum hoc *Theologi* nomen exerens, putat, id ponderis accedere posse Opinioni alicui suae,

aut

aut alienae, ut adversus ipsam insurgere piaculum sit & crimen. Nullus profecto Theologicis studiis operam navans est, qui jure non usurpet, quae olim Sanctus Augustinus ad Sanctum Hieronymum scribebat: *Ego*, ajebat, *fateor Caritati tuae*, *solis iis Scripturae Libris*, *qui jam Canonici appellantur*, *didici hunc timorem*, *honoremque deferre*, *ut nullum eorum Auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam*. Nobis post tot Secula viventibus addendum est, honorem quoque deferendum Decretis Romanorum Pontificum, & Conciliorum generalium, & concordibus Sanctorum Patrum Sententiis. Ceterum subdit Augustinus, & nos cum illo: *Alios autem ita lego*, *ut quantalibet sanctitate*, *doctrinaque polleant*, *non ideo Verum putem*, *quia ipsi ita sentiunt*, *sed quia mihi vel per illos Auctores Canonicos vel probabili ratione*, *quod a Vero non abhorreant*, *persuadere potuerunt*.

Porro neque gloriosa *Theologi* appellatio a quoquam excludit imbecillitatem ingenii, turbidosque affectus, quibus obnoxia passim est hominum, licet doctorum, natura; & quibus furtim impellentibus, dum Veritatem Theologus assequutum se censet, raptum se in Errorem neutiquam animadvertit. Vidimus tot Propositiones ab Alexandro VII. Innocentio XI. & Alexandro VIII. proscriptas. Earum proculdubio Auctores Theologico nomine gloriabantur. Sunt & alia complura ejusmodi, aut inepte, aut temere excogitata, & nondum a Sancta Sede confixa; a quibus tamen, quanquam per Theologos propositis, meliorum sapientia abhorret. Vide Theophilum Raynaudum in *Heteroclitis*, & in *Diptychis Marianis*. Nimirum aut *Amor Factionis*, aut *Amor Novitatis* in praeceps agunt nonnullorum ingenia, ut alios affectus omittam, & gravi ad Veritatem detegendam sive secernendam impedimento sunt. Intuere, quos aut leges Instituti a se suscepti, aut mos Scholae, sive Magistri imperium, quasdam sententias sequi jubent, aut cogunt: e vestigio quidquid ibi discunt, illud uti Verum, aut saltem uti Probabilius, quam aliarum Scholarum placita, amplectuntur. Quae ibi rationes & argumenta resonant, ea duntaxat invincibilia videntur. Propterea, quantiscumque possint viribus obsistant aliarum Scholarum pugiles, fortiora etiam proferant, nusquam tamen Verum, aut Veritatis umbram conspiciunt, nisi in Scholae documentis, ad quam illos electio, casusve perduxit, & cui affectus omnes & obsequium primo devovere. Ita spiritus *Factionis* pro suis Opinionibus tanquam pro aris & focis pugnat; immo, si humanae etiam artes ac vires suppetunt, nihil omittit, quo adversarios, eorumque Cathedras dejiciat, suisque sententiis imperii praerogativam

ubi-

ubique procuret. Atque utinam nulla unquam hujus impotentiae exempla Hiſpanica Regna dediſſent. Et Veritatem quidem ſe in hiſce foederibus conſectari quiſque arbitratur, quum tamen pro gloria ac tutela propriae *Factionis*, potius quam pro certitudine Veritatis a ſe ſtantis, tot excitet motus. Interim longe graviora incommoda progignit alter Amor, nempe *Novitatis*. Hinc Haereſes, hinc tot aut temerariae, aut erroneae, aut periculoſae, aut ineptae ſententiae, quibus nunquam caruit, nunquam carebit ipſa Chriſtianorum Reſpublica. Mitto nunc fortia Ingenia, quae plus libidini ſuae mentis, quam Pietati ſtudentia, enormia procudunt placita, unde Pietas ipſa, atque Orthodoxae Religionis doctrina laeditur. Heic ante oculos mihi tantummodo verſantur Ingenia in Pietatem prona: nam & ex ipſis ſunt, quae *Novatorum* nomen non refugiunt, immo illud ambitioſe conquirunt; glorioſum quippe hunc titulum cenſent, dummodo pro Pietate novum aliquid proferant; atque ejuſmodi inventis tam caeca interdum firmitate adhaerent, ut qui ſecus cogitet aut ſentiat, ſaltem eorum judicio languentem in ſe Pietatem innutrire videatur. At non minus primi, quam ſecundi errare poſſunt, quanquam ea invaluerit conſuetudo, ut primos horrore quodam excipiamus atque inſectemur; alteros vero pacifice toleremus, quaſi non & iſti exceſſus in detrimentum atque opprobrium Eccleſiae, ac verae Doctrinae, vergere poſſint. Ad utrumque Theologorum genus aptari quodammodo poteſt, quod Cardinalis Cajetanus habet in Summa, Verbo *Opinio*, ubi haec inter alia animadvertit: *Errant Sectarum aemulatores, Opiniones ſuae Sectae ſequentes, non ut rationi magis conſentaneas; ſed quia nati ſunt, aut nutriti in Secta illius doctrinae. Secundo, ex non relatione ad ſuam regulam; omnis enim Opinio examinanda eſt ad ſuam regulam. Et quia in his, quae ſunt Fidei & Morum, regula eſt Sacra Scriptura expoſita ab Eccleſia Catholica, non excuſatur aliquis a quantumcumque rationabili Opinione in hujuſmodi, ſi ſuſpecta eſt communi Eccleſiae, ſeu Apoſtolicae Sedi. Et hinc damnantur credentes Haereticorum, & antiquorum, & novorum, adhaerentes doctrinis reprobatis, aut ſuſpectis, ſaltem apud Apoſtolicam Sedem. Tertio ex modo, dum nimis firmiter inhaeretur Opinioni, & ASSERITUR UT CERTUM atque INDUBITATUM, quod tamen eſt intra latitudinem OPINABILIUM. Et hinc ſaepe erratur ex nimio affectu ad noſtra; & minore, quam opus fuerit, examine, reſolutione, ac judicio, dum Probabilia accipiuntur, ut Demonſtrata.* Id genus Theologos agnovit etiam & exploſit Thyrſus Gonzalez Praepoſitus Generalis Societatis Jeſu in Fundam. Theolog.

Moral.

Moral. Differt. I. num. 33. ubi fcribit: *Ex dictis inferes, non facere Opinionem Probabilem Authores illos, qui vel ex desiderio placendi hominibus, vel ex pravo affectu faciendi sibi nomen, & inveniendi Sectatores; vel sine sufficienti Studio, nimis propere ferunt judicium, docentes esse licitam actionem, quam illicitam esse docuissent, si ex SINCERO DESIDERIO INVENIENDI VERITATEM diligenter incubuissent illius controversiae studio, & non ducerentur ALIQUO INORDINATO AFFECTU.*

Neque heic ii mihi culpantur, immo laudantur, qui nova quidem Pietatis inventa, five ritus, five fententias invehunt, fed quae legitima funt confectaria veteris, femperque ftabilis Catholicae doctrinae, & recte confonant cum probatiffima Ecclefiae difciplina. Cavendum tantummodo ab iis, qui indomito ingenio, aut exuberanti affectu rapti, nova fabricant, gloriolam inde tacita cupiditate aucupantes, aut praeftantioris Ingenii, aut ferventioris Pietatis. Etenim non raro accidit, ut ex eorum conatibus nihil aliud emergat, nifi aut infulfae, aut temerariae Opiniones five fententiae. Infulfum eft, quidquid nullo facrarum Literarum, aut facrae Traditionis documento innititur, fed ex argutiolis duntaxat Intellectus noftri depromitur, praeeunte nullo, aut aliquo fed non fatis firmo principio, quod veluti folidiffima bafis fententiis iis fubfternatur. Parum, exempli cauffa, vifum eft nonnullis tradere, *dona ac privilegia Sanctis a Deo concessa, Beatissimae quoque Virgini fuisse collata*: quae fententia caute etiam, neque fine exceptionibus fuis eft adhibenda. Majora infuper excogitarunt, contendentes, nihil ferme laudis effe, quod Deiparae tribui merito non poffit. Bafilii Seleucienfis verba huc traxere fcribentis Homil. *in Sanctam Deiparam*, apud Combefifium in Auctar. Bibliothec. Patrum. *O Virgo Sanctissima, ut ut quis honesta quaeque ac gloriosa de te loquatur, haud quidem ille aberrabit a Veritate, immo nec pro merito fecerit satis*. Habemus heic Hyperbolem tolerandam atque laudandam in Oratione Panegyrica, quum & nos non incongrue dicamus, Deiparam fupra omnem laudem noftram effe; & fimilia de inclytis Principibus, nedum de Sanctis, ufurpentur. Verum nemo fanioris criterii locum hunc excipit veluti fententiam Theologico rigore conceptam. Alioquin deliria non pauca, etiam divinitati injuriofa, patrocinium fub ejus umbra polliceri fibi jam poffent. Attamen non defuere Theologi, qui arrepto axiomate ifto, fuper illud mira multa in Deiparae laudem aedificarunt, non contraria fane Scripturis divinis, neque Traditioni, verum univerfae antiquitati ignota;

eaque

eaque uti praeclara Virginis encomia, atque ornamenta in Scholas, in Libros, in Suggesta adduxere. Mirum, quot Conclusiones, quot Opiniones in hanc rem pii Viri Hispani in primis, subtilitatibus pasti, & in inventis foecundi produxerint. *Mariae Corpus*, si eos auscultamus, e *Materia Adami innocentis efformatum fuit. Maria concepta sine conjugali commercio, sine parentum concupiscentia. Maria in primo instanti, quo caepit esse, Visione Beatifica a Deo donata est*, qualem in divino Redemtore nostro Patres ac Theologi agnoscunt. *Usu rationis praedita in ipso primo instanti, e vestigio erupit in altissimum actum Fidei & Amoris Dei, propter quem Gratiam sibi infusam a Deo meruit de Congruo, & ex opere operantis. Tunc etiam Votum Virginitatis emisit. Conceptio Virginis in gratia praeordinata a Deo fuit ante praescientiam peccati, ita ut ipsa Mater Domini, futura fuisset, etiamsi Adam non peccasset.* Et mirum profecto, quei sibi tantum tribuat humana infirmitas (rectius dicam, temeritas) ut sine ulla Scripturarum luce, confidentissime concipiat ac dirigat in mente Dei consilia & decreta ab aeterno condita, quasi ea oculis cerneret, manu tangeret. Addunt, *Conceptionem Virginis majorem ei attulisse Gratiam, quam Gratia omnium Beatorum collective sumptorum*. Nolo ultra progredi, atque hujusmodi furfure chartam onerare. Uno verbo dicam, haec atque alia id genus a severioribus Theologis nihil aliud reputari, quam Somnia vigilantium piorum, inter quae & Visiones piarum mulierum, quam parum aut nihil intersit, nullo negotio agnoscas. Pete, an ejusmodi ornamentis Deipara delectetur, quibus nullum solidum Veritatis fundamentum divina Scriptura aut Traditio suffecit: nemo cordatus credat. Apud homines leves corde Adulatio quidem gratiam invenire potest, non vero in Beatorum animis, qui proinde effugere atque odisse credendi sunt, quidquid non prudens, humilis ac bene fundata Pietas, sed intemperantium Ingeniorum ambitio aut simplicitas excogitavit, quae e Novitate sententiarum sibi gloriam nominis, potius quam Virgini honorem videntur conquirere. Eam ob caussam Sanctus Anselmus in Libro de Excell. Virgin. *indecens esse reputabat, de Beata Matre Dei quid dubitabile in laudem ejus recitari, quum ea, quae incunctanter de illa vera existunt, tanta laudis materia sint referta, ut quicumque in laudando eam morari desiderat, necesse sit, ut facultas ejus magnitudini rei & veritati succumbat.* Proinde ab his melior Theologia, & sobria Pietas abstinent atque abhorrent, quando, unum constans *Nego* imaginarias omnes has moles dissolvere ac dejicere potest. Quod tamen dolendum, ita hujusmodi

piis doctorum virorum imaginationibus, uti ex mulierum Revelationibus nonnulli oblectantur eisque assuescunt, ut eas pari ardore & credulitate excipiant, aut in Libros inferant, atque Evangelicas Veritates: quod & nuper factum vidimus in Vita Beatissimae Virginis edita, quae ad satietatem, ne dicam ad nauseam, aerea haec scita cum certis commiscet. Consulat prudens Lector, quae Gersonius in Epistola ad Joannem Bassandi edita Tom. I. pag. 450. scribit, eos potissimum redarguens, qui ita argumentantur: *Christus potuit, & potest multa facere, & hoc decet eum: ergo fecit aut faciet. Consequentia haec*, subdit Gersonius, *quae fit a multis, saepe fallit per fallaciam petitionis principii &c.* Tum aut haeresis aut temeritatis damnat asserentes, *Christum communicasse Matri suae, statim dum Concepta aut Nata fuit, gloriosam & consummatam felicitatem, usumque perfectae rationis aut cognitionem lucidissimam totius decursus vitae suae & Filii &c.* Reliqua praetereo.

Neque tamen heic stetit in nonnullis novandi ardor. Non solum quae Veteres ignorarunt, suo ingenio adinvenisse sibi sunt visi, sed etiam abjectis majorum sententiis, novas procuderunt, quas quia piae genti gratiores censuerunt, ideo animosius evulgare non sunt veriti. Neque inanis fuit spes, ruente multorum Pietate in amplexum cujuscumque narrationis aut opinionis, dum ad augendam Deiparae, Sanctorum & Populi sui gloriam pertinere videatur. Sed ubinam sunt, bone Deus, principia verae Theolgiae? Dicam non peregrina, non ignota, sed quae vel tirones in vestibulo tam sublimis Scientiae nosse possunt, aut debent, & certe non ignorat Parthenotimus ipse. Quidquid a Revelatione Dei pendet, haurire nos tantummodo possumus aut e divinis Scripturis, secundum interpretationem Ecclesiae Catholicae expositis, aut e Traditione Apostolica, per Decreta Romanorum Pontificum, per Concilia, per Sanctos Patres ad nos transmissa. Theologi, qui post Annum a Christo Nato Millesimum illustrare hanc omnium nobilissimam Scientiam coeperunt, etsi multis destituti subsidiis, quibus aetas nostra abundat, ad hos tamen fontes intenti semper fuere, inde Revelationem aut explicitam, aut implicitam educturi. Exploratum quippe iis erat, posse quidem humanam Rationem ex indubitatis ac evidentibus principiis alias eruere Veritates; sed ubi de iis agitur, quae Deus facere, & non facere potuit, tunc nisi is revelaverit, quid revera fecerit, succumbere prorsus sentimus ipsius Rationis vires, & ineptas tantum aut temerarias sententias per ipsam procudi. Audi Sanctum Thomam in 3. Quest. I.

Art.

Art. III. *Ea, quae ex sola Dei voluntate proveniunt supra omne debitum creaturae, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in Sacra Scriptura* (addo aut in Traditionis sacrae monumentis) *traduntur, per quae divina voluntas nobis innotescat*. Et quid si interpretationi divinarum Litterarum, aut Traditionum Patrum palam, sive clanculum, novae istae sententiae adversentur? Nonne error, & ubi pertinacia adjungatur, Haeresis inde proficiscitur? Exemplum temeritatis hujus huc advocare juvat, argumento, quod prae manibus habemus, perquam affine, ex quo dignoscat Lector, quid possint Ingenia sine froeno speculationibus innutrita; & quid prurigo & amor *Novitatis*, quidve intemperans *Pietatis* sive *Devotionis* aestus gignere inter homines possit. Denique Parthenotimus ipse hinc intelligere poterit, quae ratio habenda sit Theologorum, ubi pauci in sententiis dissentiunt a communi Sanctorum Patrum, ipsorumque praestantiorum Theologorum doctrina.

CAPUT XXIV.

DEBITUM Peccati Originalis Veteres omnes in Virgine agnovere: Quando caepta est tribui eidem ab ipso Immunitas. Patrum & Theologorum chorus concors adversans hujusmodi sententiae.

USQUE ad Annum Christi 1615. omnes fere, qui a macula *Peccati Originalis exemtam* credidere Sanctissimam Christi Matrem, agnoscebant tamen, ac fatebantur, illam nequaquam fuisse immunem a *DEBITO* ipsius Peccati, a quo Peccato incurrendo postea singulari divinae bonitatis privilegio praeservatam contendebant. An quisquam ante annum illum Opinionem diversam tradiderit, ignoro. Illud certum, si quis talia proferre est ausus, ab insignium Theologorum choro concordi auctoritatem & vocem ei ademtam fuisse. At postquam commentitii veterum Libri de Conceptione Immaculata tractantes, ac praesertim *Laminae Granatenses*, eandem sententiam ipsis Apostolis notam atque probatam mentientes, in Hispania prodiere; eaque figmenta veluti testes e coelo demissi, tanta, ut vulgo credebatur, cum gloria Hispanicae gentis excepta fuere: tunc effraenata ingenia nihil non permissum sibi censuerunt. Tunc ergo nonnulli ex Hispanis Theo-

logis venditare coeperunt, Scotisticam de Conceptione sententiam *Certam* evasisse; ac posse *divina Fide* credi cum Veritate conjunctam; & proinde *Martyrii* nomen & praemium iis minime negandum, qui pro ejusdem propugnatione tormentis & securibus suum corpus offerrent. Aliquas quoque partis roboris, idest audaciae, sententias excogitarunt, ac palam defendendas susceperunt, quas praecedenti Capite innui. Quod potissimum nunc animadvertendum, eodem Anno 1615. in Thesibus publicis audiri primum coepta est ea propositio: *Deiparam minime contraxisse Debitum peccati Originalis*. Ad Toletanae Inquisitionis examen pertracta haec Opinio, tum ad Matritensis Inquisitionis supremum Tribunal, accedentibus etiam, ut ajunt, plurium Academiarum votis, evasisse traditur illaesa. Certatim deinde convolarunt alii ad eam amplectendam atque tuendam, turgidusque fluvius adeo sensim crevit, ut quamquam meliorum sententia & vox obsisteret, obices omnes, repagula cuncta contemserit atque confregerit. Quid Plura? Si fides Auctori, qui Historiam edidit Controversiae de Conceptione Virginis Libri IX. Cap. XIV. Opinio haec *Hodie communior est in Scholis*. Equidem hoc ab illo, uti & alia multa, perperam scriptum opinor, quum gravissimi in Hispania quoque Theologi adversus ejusmodi sententiam pugnarint, pluresque Scholae Italicae, Gallicae, Germanicae, ac Belgicae eandem aversentur. Attamen quaecumque sit Theologorum recentium copia, obstare heic minime poterit, quominus novitia haec Opinio gravi censurae eripiatur, ubi eam deprehendamus concordi *Sanctorum Patrum Traditioni*, & doctrinae *Communi* Theologorum usque ad Annum 1615. adversantem, ac praeterea a melioribus subinde etiam improbatam. Quis enim ferat in Theologiam & doctrinam Ecclesiae invehi incostantiam illam, quam in Legum Civilium Scientiam irrepsisse intuemur, dum pro varietate temporum, Legislatorum, ac Interpretum, quae Communes olim sententiae fuere, in desuetudinem abeunt, succedentibus novis, immo contrariis? Non solum ergo operae pretium fore, sed plurimi interesse Catholicae Ecclesiae, unusquisque judicabit, diligentius introspici in Opinionem illorum, qui a Deipara *Debitum Peccati Originalis* excludunt. Nam si revera haec vitio Novitatis illius laborat, quae Traditioni Veterum opponitur: ipsam continuo explodendam esse constabit. Et jamdiu quidem rem ita se habere ostenderunt inter ipsos Hispanos Theologi Salmanticenses Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, quorum Opera Theologica, multis constantia Tomis, ac multa laude digna, in Italia quoque, hoc est Venetiis, Anno 1677. publicis ty-

pis

pis tradita fuere, quanquam & ipsi pro Immunitate Mariae a Peccato, acerrime pugnent. Sed quoniam hosce Libros, immo & Patrum loca ab ipsis commemorata, nonnulli aut minime legunt, aut lecta contemnunt, juvat nunc eadem methodo uti, qua usi sunt iidem Salmanticenses ad confutandam hujusmodi Opinionem: hoc est ante omnium oculos sistere easdem Patrum sententias, tum ab ipsis Salmanticensibus Tom. IV. Curs. Theolog. collectas, tum celeberrimo viro Dionysio Petavio Soc. Jesu productas Tom. VI. Theologiae Dogmaticae. Neque enim unquam legi Bandellum, Turrecrematam, Spinam, Launojum, aliosque id genus Scriptores, praeter Cardinalem Cajetanum. Quod ubi praestitero, luculentius perspiciet Lector, quantum influxus habeat exemplum istud ad prodendum, inutili conatu proferri quorumdam Theologorum auctoritatem, ut Voto Sanguinario patrocinium comparetur. Quod si ex hisce Sententiis nonnullae videbuntur ipsam infirmare, aut dejicere Scotisticam Sententiam de Conceptione Virginis, rationem indicabo, per quam illius patroni loca ista minime dissimulantes, ab eisdem sese, suamque sententiam expedire se posse sibi persuadent.

Clemens Alexandrinus Anno Christi 198.

Paedagog. Lib. III. Cap. XII. „ Solum Verbum est, in quod Peccatum non cadit: est enim peccare natura omnibus innatum & commune „.

Tertullianus Anno Christi 208.

Libro de anima Cap. 41. „ Solus Deus sine Peccato, & Solus homo sine Peccato Christus, quia & Christus Deus „.

Origenes Anno 240.

Homilia XII. in *Leviticum ex versione Ruffini haec habet.* „ Scriptura dicit: Nemo mundus a sorde, nec si unius diei fuerit vita ejus. Hoc ipso ergo omnis, qui ingreditur mundum, quod in vulva matris est positus, & quod materiam corporis ab origine, paterni sanguinis sumit, in patre & in matre contaminatus dici potest. Solus vero meus Jesus Mundum ingressus, in matre non pollutus „. *Cetera vide, uti & Homiliam VI. super Numeros.*

Dionysius Alexandrinus Anno 260.

In Epistola Synodica ad Paulum Samosatenum, si tamen illius est, certe antiquissima „ Nullus Peccati est expers, nisi Solus Christus, sicut & Pater Christi, & Spiritus Sanctus „. *Ita & alii Ecclesiae Graecae Patres, nempe* Gregorius Nyssenus, *cujus verba adfert* Sanctus Thomas in Caten. Luc. 2. & Sanctus Ephrem Syrus in Sermone de Passio-

Passione, & Chrysostomus Homilia VI. de Penitent. „ Christum Solum sine Peccato *depraedicarunt* „.

Sanctus Hilarius Anno 360.

Ejus verba adfert Sanctus Augustinus Lib. I. Cap. III. contra Julianum Pelagianum, *quae ejusmodi sunt*, *ubi de Christi Carne agit*. „ Ergo cum missus est in similitudinem Carnis Peccati, non sicut „ carnem habuit, ita habuit & Peccatum. Sed quia ex Peccato o- „ mnis Caro est, a Peccato Adam parente deducta, in similitudine „ Peccati carnis est missus, existente in eo non Peccato, sed Peccati „ carnis similitudine „. *Idem Tract. in Psalm.* 118. *de Christo ait*. „ Ipse utique perfectus, & sine Peccato Solus, & unus, in cujus ore „ dolus non fuit „. *Idem Tract. in Psalm.* 138. *in fine*. Ecce venit „ princeps hujus mundi, & non invenit in me quidquam. Solus e- „ nim extra Peccatum est Dominus noster Jesus Christus.

Sanctus Ambrosius Anno 385.

„ Dicit Beatus Ambrosius (*teste Augustino Lib.* 2. *Cap.* 9. *contra Ju-* „ *lianum*) unum Solum hominem Mediatorem Dei & hominum, eo „ quod sit natus ex Virgine, nec senserit nascendo Peccatum, gene- „ rationis obnoxiae vinculis non teneri. Omnes autem homines sub „ Peccato nasci, quorum ipse ortus in vitio est: quia Concupiscen- „ tiae voluptate concreti, prius subirent contagia delictorum, quam „ vitalem de hoc aere spiritum ducerent. *Olim vero* Obnoxii *appella-* „ *bantur* Servi. *Verba item Ambrosii e Libro de Arca Noe Augustinus adferebat Cap. II. ejusdem Lib.* 2. *contra Julianum:* „ Per unum „ Dominum Jesum salus ventura nationibus declaratur, qui solus po- „ tuit (*Floriacensi Codice praeeunte Monachi Benedictini scribunt* Non „ Potuit) justus esse, cum generatio omnis erraret, nisi (*fortassis* „ *addendum* quia) ex Virgine generationis Obnoxiae privilegio mi- „ nime teneretur. Ecce (*inquit idem Amnbrosius*) in iniquitatibus „ conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea: dicit is, qui „ justus prae ceteris putabatur. Quem igitur jam justum dixerim, „ nisi horum liberum vinculorum, quem naturae communis vincula „ non teneant? Omnes sub Peccato: ab Adam in omnes regnabat „ mors. Veniat Solus Justus in conspectu Dei, de quo jam non ex- „ ceptione dicatur: Non peccavit in labiis suis; sed peccatum non „ fecit „. *Tum pergit dicere Sanctus Augustinus:* „ Huic dic, si au- „ des, quod Diabolum fecerit hominum conditorem, qui utriusque „ sexus commixtione nascuntur; quandoquidem Solum Christum, quia „ sit natus ex Virgine, a vinculis Obnoxiae generationis excepit, o-

„ mni-

„ mnibus ceteris ex Adam sub peccati obligatione nascentibus, quod „ utique Peccatum Diabolus seminavit „. *Idem Sanctus Augustinus Lib. 1. Oper. Imperfect. contra Julianum ait:* „ En adest ille Ambrosius: de hoc in quod inveheris, quid dicat, vide. Quomodo Solus, inquit in Libro de Arca, potuit justus esse Christus, cum generatio omnis erraret, nisi natus ex Virgine generationis Obnoxiae „ privilegio minime teneretur „? *Tum subdit Augustinus:* „ Audi adhuc, audi, & protervam linguam frontis elisione compesce „. *Atque heic sequentia refert Ambrosii verba expressa e Lib. II. in Cap. II. 19. Lucae:* „ Non enim virilis coitus vulvae virginalis secreta reseravit, sed immaculatum semen inviolabili utero Spiritus Sanctus „ infudit. Solus enim per omnia ex natis de femina sanctus Dominus Jesus, qui terrenae contagia curruptelae, immaculati partus novitate non senserit, & coelesti majestate depulerit „. *Haec ipsa Ambrosii verba nobis in Horis Canonicis ad Festum Circumcisionis Domini Ecclesia praescribit recitanda. Addit heic Augustinus ad Julianum conversus:* „ Cernis nempe, quod dico, quis dixerit? Cernis, quidquid contra me dicis, contra quem dicas? Si enim ego hinc sum Discipulus „ Manichaei, hoc est & ille. Non est autem hoc ille, qui haec ante nos dixit: Non est hoc igitur, quisquis haec dicit; sed Haereticus manifestus est, quisquis huic antiquo Catholico Dogmati contradicit „. *Sanctus Augustinus itidem in Libro contra duas Epistolas Pelagian. Libr. IV. Cap. XI. haec Ambrosii verba in Isaiam commemorat:* „ Idcirco Christus Immaculatus, quia nec ipsa nascendi solita conditione maculatus est „. *Addit haec alia de Domino:* „ Dignum etenim fuit, ut qui non erat habiturus corporeae Peccatum „ prolapsionis, nullum sentiret generationis naturale contagium. Merito ergo David flebiliter in se deploravit ipsa inquinamenta naturae, & quod prius inciperet in homine macula, quam Vita „. *Idem Sanctus Augustinus Lib. II. Cap. 3. contra Julianum haec verba e Tractatu Sancti Ambrosii contra Novatianos, sive de poenitentia Lib. I. Cap. III. describit:* „ Apostolus de Christo Non in similitudinem „ carnis ait, quia Christus veritatem suscepit carnis humanae, non „ similitudinem. Neque in similitudinem Peccati ait, quia Peccatum „ non fecit, sed Peccatum pro nobis factus est. Sed venit in Similitudinem Carnis Peccati, hoc est suscepit, similitudinem carnis peccatricis. Non enim sicut Omnis homo ex virili & feminea permixtione generatus, sed natus de Spiritu Sancto, & de Virgine, Immaculatum corpus susceperat, quod non solum nulla vitia macula-

„ ve-

„ verant, sed nec generationis, aut conceptionis concretio injuriosa „ fuscaverat. Nam Omnes Homines sub Peccato Nascimur, quorum „ ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum, dicente Domino: Ecce „ enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me ma- „ ter mea. Christi autem caro damnavit peccatum, quod nascendo „ non sensit, quod moriendo crucifixit „. *Denique idem Sanctus Augustinus Libr. I. Cap. 34. de Nuptiis & Concupiscent. haec Ambrosii verba ex illius expositione in Isaiam profert:* „ Ideo & quasi homo „ per universa tentatus est, & in similitudinem hominum cuncta su- „ stinuit, sed quasi de Spiritu natus, abstinuit a peccato. Omnis e- „ nim homo mendax, & nemo sine peccato, nisi Solus Deus. Ser- „ vatum est igitur, ut ex viro & muliere, idest per illam corporum „ commixtionem Nemo videatur expers esse delicti. Qui autem ex- „ pers est Delicti, expers est etiam hujusmodi conceptionis „.

Sanctus Joannes Chrysostomus Anno 404.

In Psalmi LVIII. vers. 5. verba: Neque iniquitas mea, neque &c. *ait*: „ Solus Christus haec dicere potuit, qui Peccatum non habuit, „ & idcirco cursum salutis nostrae direxit „. *Vide Catenam Graecor. Patrum a Corderio editam. Tom. II. pag.* 155.

Zosimus Papa Anno 417.

In Epistola, cujus Fragmentum adfert Sanctus Augustinus in Epistola 190. *olim* 157. *haec scribebat*: „ Nullus enim, nisi qui Peccati ser- „ vus est, liber efficitur, nec Redemptus dici potest, nisi qui vere „ per Peccatum fuerit ante captivus, sicut scriprum est: Si vos Fi- „ lius liberaverit, vere liberi eritis „.

Sanctus Augustinus Anno 425.

Libr. I. Cap. XII. de Nuptiis & Concupisc. loquens de Conceptione Christi haec habet: „ Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in „ Carne Peccati fieri non poterat sine illa carnis pudenda Concupi- „ scentia, quae accidit ex peccato: sine qua concipi voluit, qui fu- „ turus erat sine Peccato, non in Carne peccati, sed in similitudi- „ nem Carnis peccati; ut hinc etiam doceret, omnem, quae de con- „ cubitu nascitur, Carnem esse Peccati: quandoquidem sola, quae non „ inde nata est, non fuit Caro peccati “. *Epistola olim* 57. *nunc* 187. „ Hos ergo excepto lapide angulari (*idest Christo*) non vi- „ deo, quomodo aedificentur homines ad habendum in se inhabitan- „ tem Deum, nisi cum fuerint renati, quod non possunt esse, ante- „ quam nati “. *Lib. IV. Cap. 4. contra duas Epistolas Pelagian.* „ Si „ enim propterea morimur, quia ille (*Adam*) mortuus est: ille au-

„ tem

„ tem mortuus est, quia peccavit, poenam dicunt (*Pelagiani*) transire sine culpa, & innocentes parvulos injusto supplicio puniri, trahendo mortem sine meritis mortis. Quod de uno Solo Mediatore Dei & Hominum Christo Jesu Catholica Fides jubet ". *Libro X. de Genesi ad litteram*, *Cap.* 18: „ Et quid incoinquinatius illo utero Virginis? cujus Caro etsi de propagatione venit, non tamen de Peccati propagine concepit. *Addit*: Proinde Corpus Christi, quamvis ex carne feminae assumptum est, quae de illa Carnis peccati propagine concepta fuerat: tamen quia non sic in ea conceptum est, quomodo fuerat illa concepta, nec ipsa erat Caro peccati, sed similitudo Carnis peccati „. *Eodem Libro X. de Genesi ad literam*. „ Secundum rationem quippe illam seminalem ibi (*idest in lumbis Abrahae*) fuit Levi, qua ratione per concubitum venturus erat in Matrem, secundum quam rationem non ibi erat Christi Caro, quamvis secundum ipsam ibi fuerit Mariae Caro. Quapropter nec Levi, nec Christus in lumbis Abrahae secundum animam; secundum Carnem vero & Levi & Christus; sed Levi secundum concupiscentiam carnalem, Christus autem secundum solam substantiam corporalem. Cum enim sit in semine & visibilis corpulentia, & invisibilis ratio, utrumque cucurrit ex Abraham, vel etiam ex ipso Adam usque ad Corpus Mariae; quia & ipsum eo modo conceptum & exortum est. Christus autem visibilem carnis substantiam de carne Virginis sumpsit: ratio vero conceptionis ejus non a semine virili, sed longe aliter, ac desuper venit „. *Libro VI. contra Julianum Cap.* 4. „ Tu dicis etiam pro peccatoribus mortuum esse Christum: ego dico nonnisi pro peccatoribus mortuum, ita ut respondere cogaris: si nullo peccato parvuli obstricti sunt, non esse pro parvulis mortuum. Dicit enim ad Corinthios: Quoniam unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est &c. Quos igitur hoc loco intelligis mortuos? Numquid eos, qui de corpore exierunt? Quis ita desipiat, ut hoc sapiat? Eo modo itaque intelligimus mortuos, pro quibus omnibus mortuus est Christus, quomodo alibi dicit (*Col.* 2. 13.) *Et vos*, *cum essetis mortui in delictis*, *& praeputio carnis vestrae*, *vivificavit cum illo*. Ac per hoc Unus, inquit, pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt &c. Quia ergo non in corpore, restat ut in peccato esse mortuos omnes, pro quibus Christus mortuus est, nemo neget, nemo dubitet, nisi qui se non negat, aut dubitat esse Christianum. *Lib. II. Cap. XX. de Peccat. merit.* In hoc autem loco

„ utrum esset in filiis hominum, vel esse potuisset, aut posset, qui „ non ex peccato ad justitiam perfectissimam perveniret, sed nullo „ umquam peccato esset obstrictus, hoc quaeritur. Ideo si illa vera „ sunt, quae tam multa de parvulis diximus, nec est in filiis homi- „ num quisquam, nec fuit, nec erit, excepto Uno Mediatore, in „ quo nobis propitiatio, & justificatio posita est „. *Supra quoque dixerat*: „ Hunc prorsus nisi Unum Mediatorem Dei & hominum hominem „ Christum Jesum, nullum vel esse, vel fuisse, vel futurum „ esse, Certissimum est „. *Libro eodem Cap. XXIV.* „ Solus ergo il- „ le etiam homo factus manens Deus, peccatum nullum habuit un- „ quam; nec sumsit Carnem peccati, quamvis de materna Carne „ peccati. Quod enim carnis inde suscepit, id profecto aut suscipien- „ dum mundavit, aut suscipiendo mundavit „. *Libro eodem Cap. XXIX.* „ Nullus existit homo, de quo in hac vita constituto vera- „ citer dici possit, quod nullum habeat omnino peccatum, excepto „ uno Mediatore, qui nos Creatori nostro per remissionem reconci- „ liat peccatorum.

Idem Sanctus Augustinus Libro de Profect. Justitiae Cap. XXI. „ Quisquis ergo fuisse, vel esse in hac vita aliquem hominem, vel „ aliquos homines putat, excepto Uno Mediatore Dei & hominum, „ quibus necessaria non fuerit remissio peccatorum, contrarius est di- „ vinae Scripturae, ubi Apostolus ait (*Rom. V.* 12.) *Per unum ho-* „ *minem peccatum intravit in Mundum, & per peccatum mors; &* „ *ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Et ne- „ cesse est ut impia contentione asserat, esse posse homines, qui sine „ Mediatore Christo liberante atque salvante sint liberi salvique a „ peccato, quum ille dixerit (*Matth. IX.* 12.) *Non est opus sanis* „ *Medicus, sed male habentibus. Non veni curare justos, sed peccato-* „ *res* „. *Libro V. Cap. XIV. contra Julianum.* „ Quod si dementis „ est dicere, & sine dubio Caro Christi non est Caro peccati, sed „ similis Carni peccati: quid restat ut intelligamus, nisi ea excepta, „ omnem reliquam humanam Carnem esse peccati? Et hinc apparet, „ illam Concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fecisse „ in genere humano propaginem mali: quia Mariae corpus quamvis „ inde venerit, tamen eam non trajecit in corpus, quod inde non „ concepit. Ceterum Corpus Christi inde dictum esse *in similitudine* „ *Carnis peccati*, quia omnis alia hominum Caro peccati est. Qui- „ squis negat, & carnem Christi ita carni comparat nascentium ho- „ minum caeterorum, ut asserat, utramque esse puritatis aequalis,

„ dete-

„ detestandus Haereticus invenitur „. *Sunt & alia similia loca Lib. I. Cap. XXVIII. & XXIX. de Peccator. merit. & remiss. Et Libro XX. Cap. VI. de Civit. Dei, & Lib. II. Cap. LXXX. & CCXVIII. & CCXXV. Oper. Imperfect. Et Libr. IV. Cap. LXXIX. & LXXXVIII. & sequ. Et Lib. VI. Cap. XXXIV. Tum Lib. VI. Cap. XXXV. ejusdem Oper. Imperf. haec habet* : „ Nunc autem Christus missus est „ in similitudine Carnis peccati, quia Solus veram carnem sic ha- „ buit, ut non esset Caro peccati, sed ejus similitudo. Ac per hoc „ necesse est, ut fateamur, Carnem ceterorum hominum esse pecca- „ ti, cui similis facta est vera caro Christi, sed non caro peccati „ *Lib. IV. Cap. IV. contra duas Epistol. Pelagian.* „ *Nemo mundus a* „ *sorde nec infans, cujus est diei unius vita super terram*. Sinite mi- „ serum remissionem accipere peccatorum per eum, qui Solus nec „ parvus, nec magnus potuit habere Peccatum „. *Enarrat in Psalm.* „ *L. Cap. X.* Definita est sententia. *In Adam*, inquit Apostolus Rom. „ V. *omnes peccaverunt*. Solus esse Innocens Infans potuit, qui de „ opere Adam non natus est „. *Item eodem Libro VI. Cap. CXVIII. Operis Imperfect. haec habet :* „ Si autem quaeritur, quomodo Chri- „ stus non fuerit decimatus, cum etiam ipse, quod manifestum est, „ secundum originem carnis fuerit in lumbis Abrahae, quando a „ Melchisedech pater ille decimatus est: nihil occurrit, nisi quod „ Maria quidem mater ejus, de qua carnem sumpsit, de carnali „ Concupiscentia parentum nata est; non autem Christum sic ipsa „ concepit, quem non de virili semine, sed de Spiritu Sancto pro- „ creavit. Non ergo pertinuit ad rationem virilis seminis, per quam „ fuerunt in lumbis Abrahae, quos in illo decimatos esse sacra Scri- „ ptura testatur. *Ita Augustinus in postremo suorum Librorum: haec e-* „ *nim scribentem mors intercepit* „ : Item *Lib. II. Cap. XXXV. de Peccator. Merit.* „ Teneamus indeclinabilem Fidei confessionem. Solus „ unus est, qui sine Peccato natus est in similitudine carnis peccati „. *In Lovaniensi quoque editione Operum Sancti Augustini* Sermo XIII. de Tempore dubitabatur, num Augustinianus foret. Ei revera tribuendum non esse monent Benedictini Monachi Congregat. S. Mauri in nupera Editione. Attamen quum vetustum sit, & consarcinatum noverimus e variis Augustini locis, immo hunc ipsum nobis quotannis legendum Ecclesia Romana exhibeat in Horis Canonicis Vigiliae Epiphaniae, non incongruum erit, pauca haec inde referre dicta de Christo. „ Solus enim sine peccato est natus, quem sine virili com- „ plexu non concupiscentia carnis, sed Obedientia genuit mentis „.

Et quidem Augustinus Lib. II. Cap. XXXV. & ipse dixerat: „ Solus unus est, qui sine peccato natus est in similitudinem carnis „ peccati &c. Per quae ne putet quisquam indicari, Virginem caruisse sanctificatione ante nativitatem, animadvertendum est, Conceptionem quoque appellari *Nativitatem in sacris Literis. Noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea Natum est, de Spiritu Sancto est.* Ita Angelus de Joseph Matt. I. 20. Conceptionem Christi significans. Id quod Augustinus ipse agnovit, scribens Enarrat. in Psalm. LVII. numer. V. „ Non enim ex visceribus tantum homo „ nascitur, sed & in visceribus. Prius nascitur in visceribus, ut possit „ nasci ex visceribus. Propterea dictum est Mariae: *Quod enim Na-„ tum est in te, de Spiritu Sancto est.* Nondum de illa natum erat, „ sed jam in illa natum erat „.

Sanctus Leo Magnus Papa Anno 445.

Sermone I. de Nativit. Domini nostri Jesu Christi: „ Dominus „ noster peccati mortisque destructor sicut Nullum a reatu liberum „ reperit, ita liberandis Omnibus venit „. *Et infra.* Alienum quip-„ pe ab hac nativitate est, quod de omnibus legitur (*Job. XIV.* 4.) „ Nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super „ terram. Nihil ergo in istam singularem Nativitatem de carnis con-„ cupiscentia transivit, nihil de peccati lege manavit „. Hunc etiam Sermonem in Horis Canonicis quotannis nobis recitandum Ecclesia praescribit Natali die Salvatoris nostri. *Sermone II. de Nativitate Domini:* „ Nova nativitate genitus est, conceptus a Virgine, natus ex „ Virgine sine paternae carnis concupiscentia, sine maternae integri-„ tatis injuria: quia futurum hominum Salvatorem talis ortus dece-„ bat, qui & in se habere humanae substantiae naturam, & huma-„ nae carnis inquinamenta nesciret „. *Et infra:* „ Venit enim Do-„ minus noster contagia nostra auferre, non perpeti; nec succumbere „ vitiis, sed mederi „. *Et infra.* „ Nam superbia hostis antiqui non „ immerito sibi in omnes homines jus tyrannicum vindicabat, nec „ indebito dominatu premebat, quos a mandato Dei spontaneos in „ obsequium suae voluntatis illexerat. Non itaque juste amitteret o-„ riginalem humani generis servitutem, nisi de eo, quod subegerat, „ vinceretur. Quod ut fieret, sine virili semine editus est Christus „ ex Virgine, quam non humanus coitus, sed Spiritus Sanctus foe-„ cundavit. Et cum in Omnibus Matribus non fiat sine peccati for-„ de conceptio, haec inde purgationem traxit, unde concepit. Quo „ enim paterni seminis transfusio non pervenit, peccati se illic origo

„ non

„ non miscuit. Inviolata virginitas concupiscentiam nescivit, substantiam ministravit. Assumpta est de Matre Domini natura, non culpa. Creata est forma servi sine conditione servili: quia novus homo sic contemperatus est veteri, ut & veritatem susciperet generis, & vitium excluderet vetustatis „. *Sermone IV. de Nativit. Domini:* „ Terra enim carnis humanae, quae in primo fuerat praevaricatore maledicta, in hoc Solo Beatae Virginis partu germen edidit benedictum, & a vitio suae stirpis alienum. Cujus spiritalem originem in regeneratione quisque consequitur, & omni homini renascenti aqua Baptismatis instar est uteri virginalis, eodem Spiritu Sancto replente fontem, qui replevit & Virginem; ut peccatum, quod ibi vacuavit sacra conceptio, heic mystica tollat ablutio. *Sermone VIII. de Nativit. Domini.* „ In totius igitur humani generis strage communi, unum solum fuit remedium sub divinae rationis occulto, quod posset subvenire prostratis, si aliquis filiorum Adam originalis praevaricationis alienus, atque innocens nasceretur, qui ceteris exemplo prodesset & merito. Sed quia hoc naturalis generatio non sinebat, nec poterat vitiatae radicis sine semine propago esse, de quo Scriptura dicit (*Job. XIV.* 4.) *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne Tu, qui solus es?* Dominus David factus est Filius David, & de promissi germinis fructu proles est orta sine vitio, gemina conveniente natura. „ *Epistola XXV. ad Julianum Episcopum Coensem.* „ Nativitas Domini secundum carnem, quamvis habeat quaedam propria, quibus humanae conditionis initia transcendant, sive quod Solus ab inviolata Virgine sine Concupiscentia est conceptus, & natus, sive quod ita visceribus matris est editus, ut & foecunditas pareret, & virginitas permaneret: non alterius tamen naturae erat ejus caro, quam nostra. „ Quid significet *Solus*, qua voce tot usi sunt in hocce argumento, nos docet Ecclesia, quum in Hymno Virginum de Deipara ait: *Quae Sola Virgo parturit.* Adhuc tamen Sanctum Leonem audiamus in *Epistola CXVII. ad Monachos Palaestinos:* „ Ut per unum, ait, hominem fieret renovatio vetustatis; & mortis vinculum unius praevaricatione contractum, unius morte, qui Solus morti nihil debuit, solveretur. „ *Infra.* „ Nam quia captivitatis nostrae resolvi originalia vincula non poterant, nisi existeret homo nostri generis, nostraeque naturae, quem veteris debiti praejudicia non tenerent &c. *Sunt & alia loca, quae quia similia, praetermitto.* Vide supra Cap. IX. unum ex eis ab Ecclesia nobis propositum in ipsa Octava Conceptionis Deiparae.

Joannes Cassianus Anno 446.

Collat. XXII. Cap. XI. „ Hoc de illo, qui Solus est absque pecca-
„ to, tanquam Singulare memoratur: *Misit Deus Filium suum in si-
„ militudinem carnis peccati:* quia veram atque integram suscipiens
„ substantiam carnis humanae, non ipsum Peccatum in ea, sed simi-
„ litudinem Peccati suscepisse credendus est. „ *Ibidem Cap. XII.* In
„ hoc ergo ille homo, qui natus ex Virgine est, magna a Cunctis,
„ qui ex utriusque sexus commixtione producimur, distantia segrega-
„ tur: quod cum Omnes non similitudinem, sed veritatem Peccati
„ in carne gestemus, ille non veritatem, sed similitudinem Peccati,
„ & verae carnis assumtionem suscepit.

Sanctus Maximus Episcopus Taurinensis Anno 450.

In Sermone VII. de Paschate inter Anecdota Muratorii Tom. IV. „ So-
„ lus Dei Filius peccatores liberat, quia solus liber est a peccato.

Sanctus Fulgentius Anno 525.

Libro de incarnat. & Gratia Cap. VI. „ Haec est gratia, qua factum
„ est, ut Deus, qui venit peccata tollere, quia peccatum in eo non
„ est, homo conciperetur, atque nasceretur in similitudine carnis pec-
„ cati, de carne peccati. Caro quippe Mariae, quae in iniquitatibus
„ fuerat humana solemnitate concepta, Caro fuit utique Peccati, quae
„ Filium Dei genuit in similitudinem carnis peccati „. Quae heic
Sanctus Fulgentius dicit, ut Salmanticenses Teologi animadvertunt,
quatuordecim Episcoporum Africanae Ecclesiae auctoritate confirma-
tur, hoc est Daciani, Fortunati &c. qui omnes eidem Operi, ad E-
piscopos Orientales directo, subscribunt, uti colligitur e Cap. I. Libri
Primi. *Ibidem Cap. VI.* Si enim „ Caro peccati non mendaciter di-
„ citur, habet in se Caro ipsa peccatum; si vero peccatum non ha-
„ bet, falsum portat carnis peccati vocabulum. Sed eam, de qua lo-
„ quimur, carnem peccati, verax discipulus veritatis Paulus appellat.
„ Restat igitur, ut sicut vere caro, cum caro dicitur; ita vere in se
„ peccatum habet cum caro peccati ore Apostolico nuncupatur„. *Li-
bro I. de Verit. praedestinat. interpretans locum Apostoli Roman. V.
Per Unum hominem &c. haec habet:* „ Peccans igitur homo totam
„ in se peccato subdit progeniem, quando delinquendo veram perdi-
„ dit libertatem; a quo enim quis devictus est, & servus addictus
„ est, & omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Ab hac ser-
„ vitute, qua nascens parvulus tenetur obstrictus, Solus Mediator Dei
„ & hominum homo Christus Jesus liber est genitus: qui licet verus
„ homo natus fuerit, non tamen interveniente Cuncupiscentia carnis,

nec

„ nec ex concubitu maris & feminae, sed de Spiritu Sancto natus,
„ ita veram Carnem de carne Matris accepit, ut Dominus verus
„ non culpam humanae sumeret originis sed naturam. „

Homiliae editae sub nomine Episcopi Gallicani.

Habentur in Bibliotheca Patrum Tomo VI. Homiliae complures, pars quarum Eusebio cuidam Gallicano Episcopo, pars Eucherio Lugdunensi, aut Caesario Arelatensis, aut Fausto Regiensi, aut antiquissimis Monachis Lirinensibus, pars denique Brunoni Signiensi Episcopo, tribuuntur. Quicunque sit earum Auctor, certe pervetustus est. En illius verba *in Homil. Dominicae V.* „ Accedere ad mortuum, hoc „ est accedere ad peccatum, &c. Omnium commune est Originale „ peccatum: omnes igitur ad illud accedere non dubium est &c. Nunc „ autem de Summo Sacerdote videamus, per quem Dominum & Sal- „ vatorem intelligimus. Ipse enim ad nullum mortuum accessit, quia „ neque Originale peccatum a parentibus traxit; neque a se pecca- „ tum aliquod commisit. Ipse est enim de quo scriptum est: *Qui* „ *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Ipse igitur „ Solus est, qui ad patris & matris mortem & peccatum non acces- „ sit „. *Homilia II. de Nativitate Domini, cujus initium* Bene Nostis, *haec habet alloquendo Deiparam:* „ Initiator omnium rerum abs te „ initiatur; & profundendum pro Mundi vita sanguinem de corpore „ tuo accepit; ac de te sumpsit, quod etiam pro te solvat. A pec- „ cati enim veteris nexu per se non est immunis nec ipsa Genitrix „ Redemptoris. Solus ille, licet ex debito renascatur, lege tamen ve- „ teris debiti non tenetur „. Vide Salmanticenses, qui per additum illud *per se* nihil enervari ostendunt vim istius sententiae,

Cassiodorus Anno 550.

In Libro de Anima Cap. VII. haec de Christo Domino habet: „ Ait „ Angelus: Spiritus Sanctus superveniet in te &c. Quis, rogo, in hac „ majestate nascendi aut Originalis Peccati credat esse culpam, aut „ profanam aliquam carnis suspicetur offensam? Absque peccato sine „ dubio venit, qui erat omnium peccata soluturus, conceptus mysti- „ co inspiramine, natus ex Virgine &c.

Sanctus Gregorius Magnus Papa Anno 598.

Lib. XI. Cap. ultim. in fine explicans verba Job. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es? haec habet: „ Potest vero hoc in loco intelligi, quia Beatus Job incarna- „ tionem Redemptoris intuitus, Solum vidit in Mundo hominem de „ immundo semine non esse conceptum, qui sic in Mundum venit

ex

„ ex Virgine, ut nihil haberet de immunda conceptione. Neque e-
„ nim ex viro & femina, sed ex Spiritu Sancto, & Maria Virgine
„ processit. Solus ergo in carne sua vere mundus exstitit, qui dele-
„ ctatione carnis tangi non potuit: quia nec per carnalem huc dele-
„ ctationem venit „. *Lib. I. Homil. VIII. in Ezechiel. num.* 21. In
„ Solo sibi Unigenito Domino nostro Jesu Christo complacuit, quia
„ hunc inter homines hominem creasse non poenituit, in quo pec-
„ catum nullum omnimodo invenit, sicut de illo per Psalmistam di-
„ citur: *Juravit Dominus, & non poenitebit eum: tu es Sacerdos in*
„ *aeternum secundum ordinem Melchisedech*. In solo ergo Redemptore
„ nostro sibi complacuit Pater, quia in eo solo non invenit culpam,
„ in qua se reprehendat quasi per poenitentiam.

Ferrandus, qui & Fulgentius, Diaconus Carthaginensis circ. Annum Christi 630.

Epistola ad Anatolium Diaconum Urbis Romae in Blibliothec. Patrum Tom. IX. pag. 503. „ In carne Christi natura est nostrae carnis, sed
„ non reperitur culpa naturae. Sic caro Christi carni Mariae & si-
„ milis est, & dissimilis. Similis, quia inde traxit originem; dissimi-
„ lis, quia non inde contraxit vitiatae originis contagionem. Simi-
„ lis, quoniam licet voluntarias, tamen veras sensit infirmitates; dis-
„ similis, quoniam nullas penitus neque per voluntatem, neque per
„ ignorantiam commisit iniquitates „. *Infra* „. Caro Christi non e-
„ rat in iniquitatibus concepta: propter quid ergo conditionem mortis
„ videtur experta? Manifeste scimus, non necessitate, sed voluntate
„ pro nobis mortuum fuisse Filium Dei „ &c.

Clerus Romanus Sede vacante Anno Christi 639. vel 640.

In Epistola ad Episcopos Scotiae, Lib. II. Histor. Ecclesiastic. Bedae Cap. XIX. *Et primum quidem blasphemia & stultiloquium est dicere, esse hominem sine Peccato; quod omnino non potest, nisi UNUS mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui sine Peccato est conceptus & partus. Nam CETERI HOMINES cum Peccato Originali nascentes, testimonium praevaricationis Adae (etiam sine Peccato Actuali existentes) portare noscuntur, secundum Prophetam dicentem: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*. Scripta fuit Epistola haec ab *Hiliario Archipresbytero*, tunc *servante locum Sanctae Sedis Apostolicae*, atque a *Joanne Diacono, & in Dei nomine Electo*, hoc est a Joanne IV. Papa tunc duntaxat Electo, & nondum consecrato, atque ab aliis Ecclesiae Romanae Primoribus. Quae foret Traditio Sedis Apostolicae, hinc etiam certissime colligas.

Joan-

Joannes IV. Papa Anno 641.

Florebat Summus hic Pontifex circiter Annum 641. atque Apologiam scripsit pro Honorio Papa ad Constantinum Imperatorem filium Heraclii, quam primus e tenebris eripuit V. Cl. Jacobus Sirmondus Societatis Jesu. Haec ibi: „ Natus est ergo secundus Adam, nullum „ habens nascendo, vel cum hominibus conversando, peccatum. E- „ tenim Verbum caro factum *in similitudine carnis peccati*, omnia no- „ stra suscepit, nullum reatus vitium ferens ex traduce praevaricato- „ ris exortum. Similitudinem ergo intelligimus, non carnis ejus, sed „ peccati „. *Et infra* „. Hoc omne humanum patitur genus sub pec- „ cato constitutum; quoniam nemo mundus est ab hoc peccato prae- „ varicationis, *nec infans*, sicut scriptum est (*Job. XI. 16.*) *cujus* „ *est unius diei vita super terram*. Et quemadmodum Spiritus San- „ ctus per David ait: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, *&* „ *in delictis perperit me mater mea: Sicut enim in Adam omnes pec-* „ *caverunt*, secundum Apostolum, *ita in Christo omnes justificabun-* „ *tur*. *Et sicut per unum hominem peccatores constituti sunt multi*, „ *ita per unum hominem justi constituentur multi*. Ergo Unus & So- „ lus est sine Peccato Mediator Dei & Hominum homo Christus Je- „ sus, qui in mortuis liber conceptus & natus est. „

Sanctus Hildephonsus Archiepiscopus Toletanus Anno 660.

Libro de Virginitate Beatae Mariae Tom. XII. pag. 566. Biblioth. Patrum: „ At vero Beata Maria, licet ipsa de Carne peccati sit nata „ & procreata, ipsaque quamvis Caro peccati fuerit, non tunc jam „ praeveniente Spiritus Sancti gratia ab Angelo prae omnibus mulie- „ ribus benedicta vocatur? *Spiritus Sanctus superveniet in te*, *& Vir-* „ *tus Altissimi obumbrabit tibi*. Alioqui si non eodem Spiritu sancti- „ ficata est & Emundata: quomodo ejus caro non Caro peccati fuit? „ Et si caro ejus de massa primae praevaricationis venit: quomodo „ Christus Verbum caro sine peccato fuit, qui de carne peccati car- „ nem assumpsit; nisi quia Verbum, quod caro factum est, eam pri- „ mum obumbravit, in quam Spiritus Sanctus supervenit, & virtus „ Altissimi totam eam possedit? Propterea vere caro ejus non jam „ caro peccati fuit, in qua Deus totam infundit, & Verbum, quod „ caro factum est, sine peccato ad nos venit. „ Agnoscit nempe Sanctus Hildephonsus Virginem procreatam *de carne peccati;* at quia *Sanctificata & emundata* in utero illius caro fuit, propterea *jam non caro peccati fuit*, quum Verbum Dei in illam descendit, humanam carnem sumpturus. Vide Petavium, qui hunc locum refert, & ita ex-

plicat, atque addit, legi ejusdem Hildephonsi Sermone XI. de Assumtione B. Virginis haec verba (quae tamen inter ejus opera edita in Bibliotheca Patrum non invenio, sed quidem inter Sermones S. Petri Damiani:) *Caro Virginis ex Adam assumpta, maculas Adae non assumpsit*. Tum dicere pergit Petavius: *Sed de Originali, ut opinor, macula non loquitur; verum de vitiis, quae Adami posteros inficiunt*. Heic autem minime praetereundum est, Opusculum nuper memoratum *de Virginitate Sanctae Mariae*, a Petavio, aliisque tribui *S. Hildephonso:* Verum Dacherius & Mabillonius contendunt, illud *Paschasio Ratberto* esse tribuendum, qui Anno 840. floruit; ac propterea sub ejus nomine ab ipso Dacherio editum fuit in Spicilegio. Neque dissimulabo, illic legi haec etiam verba de festo die *Nativitatis* Deiparae: *Quia tam solemniter colitur, constat ex auctoritate Ecclesiae, quod nullis, quando nata est, subjacuit delictis, neque contraxit in utero sanctificata Originale Peccatum*: Et infra: *Nunc autem quia ex auctoritate totius Ecclesiae veneratur, constat eam ab omni Originali peccato immunem fuisse*. Atque haec minime Petavius & Salmanticenses ignorarunt; sed & ipsi tacite agnovere, importare tantummodo, Mariam in utero sanctificatam fuisse, quum haec alia verba praecedant: *Sic & B. Virgo Maria, nisi in utero matris sanctificata esset, minime Nativitas ejus colenda esset*. Tum vero diserte & ipse fatetur, Christum unum ab ea lege immunem fuisse, inquiens: *Plurimum desipiunt, qui dicunt eum communi lege naturae esse natum, qui non ea lege constat esse conceptus; quoniam haec lex nascendi, quae nunc lex naturae vocatur, ex vitio primae damnationis est. Et ideo ait Apostolus: Fuimus nos omnes aliquando filii irae, sicut & ceteri. Sed absit a Fidelium cordibus, ut ita Christus natus credatur filius irae, sicut Ceteri nascuntur in vitio corruptionis*.

Beda Venerabilis circ. Annum Christi 730.

In Exposition. Epistolae ad Roman. Cap. VIII. „ Ecce unde nemo „ sine peccato nascitur. Ecce propter quod Dominus non sic concipi „ voluit, quem Virgo concepit „ *Cap. V.* „ Genuit peccatores morti obnoxios primus peccator, primus praevaricator: venit ad salvandos de Virgine Salvator, qui ad te, non qua venisti, venit. „ Non enim ille de Concupiscentia maris & feminae, nec de illo „ vinculo concupiscentiae. *Sanctus*, inquit, *Spiritus superveniet in te*. „ Dictum est hoc Virgini in fide ferventi, non Concupiscentia carnis „ aestuanti „. *Commentar. in Psalm. IV.* „ Christus nullo modo cecidit, quia neque actualiter neque Originaliter. Quod actualiter

„ non

„ non ceciderit, patet. Patet quoque, quod non Originaliter. Soli „ enim illi casum originalis Peccati patiuntur, qui per poenam ipsius „ originalis Peccati, idest per Concupiscentiam, generantur. Christus „ vero per Concupiscentiam generatus non est, quia sine carnali de„ lectatione de Spiritu Sancto conceptus est „. *In Libros Boethii de* „ *Trinitate*: „ Item pertinet ad nostrae Fidei fundamentum Verbi „ incarnatio, ut scilicet credamus Dei Filium assumpsisse carnem ex „ Virgine, & in Virgine: quam carnem & creando assumpsit, & as„ sumendo creavit, non de nihilo carnem sibi in utero Virginis „ creando vel formando, sicut quidam Haeretici senserunt; sed po„ tius de substantia Virginis carnem assumpsit, quam assumendo crea„ vit, idest purificavit, non conceptus libidinosa lege concipiendi, & „ ideo immunis ab omni peccato, non tamen a poena peccati „. *Homilia in Feriam Quatuor Temporum*, *seu in Cap. Lucae I.* „ Mis„ sus est Angelus &c. Ad distinctionem nostrae sanctitatis Jesus sin„ gulariter Sanctus nasciturus asseritur. Nos quippe etsi Sancti effici„ mur, non tamen nascimur: quia ipsa naturae corruptibilis condi„ tione constringimur, ut merito cum Propheta gementes singuli di„ camus: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, *&* *in delictis pe*„ *perit me mater mea*. Ille autem Solus veraciter Sanctus est, qui „ ut ipsam conditionem naturae corruptibilis „ vinceret, ex commixtio„ ne carnalis copulae conceptus non est „.

Etherius Uxamensis Episcopus, & Beatus Abbas, Anno 790. *Libro I. adversus Elipandum*, *apud Canisium Part. I. Tom. II. Lection. Antiquar. pag.* 340. *Edition. Basnag.* „ Non potest Dei Filius „ tibi esse similis, quia & ipsa Conceptione humana multum dissimi„ lis tibi est. Ille conceptus de Spiritu Sancto, non de virili semi„ ne, SOLUS SINE PECCATO; Tu vero de virili semine, de „ massa perditionis, & concupiscentia utrorumque parentum. Et na„ tus de muliere in peccatis conceptus, & in peccatis natus. Ille „ enim inter homines SOLUS natus de Virgine, & Solus Sine Pec„ cato conceptus, & Solus Sine Peccato natus „.

Concilium Forojuliense Anno 791.

In Symbolo Fidei ibi dicitur: „ Non putativus Dei Filius, sed ve„ rus: non Adoptivus, sed proprius, quia numquam fuit propter ho„ minem, quem assumpsit, a Patre alienus. Solus enim Sine Pecca„ to natus est Homo, quoniam Solus & incarnatus de Spiritu San„ cto, & immaculata Virgine novus Homo „.

Haymo Episcopus Halberstadiensis Anno 845.

Commentar. in *Cap. V. Epistol. ad Romanos, qui ab aliis Remigio Antissiodorensi, de quo infra, tribuitur:* „ Adam exemplar est futuris „ posteris suis in peccato; quia sicut ille peccator, & mortalis exti- „ tit, ita Omnes posteri ejus peccatores & mortales nati sunt, & na- „ scuntur quotidie, transducto originali Peccato in posteros, ut Bea- „ tus Augustinus dicit, per Concupiscentiam coitus; sed per gratiam „ &c. Sicut enim nullus homo extra Adam, idest extra progeniem „ illius, ita nullus extra peccatum illius praeter Christum „.

Rabanus Maurus Archiepiscopus Moguntinus Anno 850.

In Tractat. adversus Judaeos edito a Chiffletio, & a Martene & Durand. Tom. V. Thesaur. Novi Anecdotor. quem Librum alii tribuunt Amuloni Archiepiscopo Lugdunensi iisdem temporibus florenti, *Cap. LII. haec ait*: „ In illa generatione, quae secundum Adam est, Nul- „ lus absque Peccato nasci potest: in ista, quae per Christum de Ba- „ ptismo exordium sumit, omnes, qui regenerantur, absque omni de- „ licto tam Originali, quam Actuali renascuntur. Ad exemplum vi- „ delicet Redemtoris nostri, qui Solus inter homines verus homo „ sine Peccato conceptus est, & absque ullo delicto de Virgine est „ editus, ut quod primus Adam per inobedientiam contraxerat, iste „ secundus Adam per obedientiam non delinquendo, retraheret „.

Remigius Antissiodorensis Monachus Anno 890.

Enarratione in Psal. L. Tom. XVI. Biblioth. Patrum: „ Et vincas, „ scilicet omnes judicatos: omnes enim juste judicari possunt, quam- „ quam multi justi, multum provecti: tu solus injuste, quia Solus „ a Peccato Immunis. Cum judicaris, o Pater in Filio. Verbum in „ assumpta humanitate hoc futurum praevidit, ut Filius Dei veniret „ judicandus. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Quasi dicat: „ Et non solum judicatus vincis omnes judicatos in tali, scelere, „ quale meum est, in hoc quod illi juste, tu injuste: sed etiam o- „ mnes homines, quia omnes sunt peccatores, tu autem Solus sine „ peccato. Et transfert in se omne humanum genus. Ecce enim in „ iniquitatibus conceptus sum. In quibus, subjungit, *Et in peccatis* „ *concepit me mater mea*, idest in Concupiscentia carnali concepit. „ Quae carnalis delectatio ex peccato primi parentis in carne nostra „ viget &c. Non enim maritus, quia maritus est, mortalis est; erat „ enim & Dominus mortalis, sed non de peccato suscepit poenam „ nostram, sed non culpam nostram.

San-

Sanctus Petrus Damiani Anno 1050.

In Opusculo, sive Libro, qui appellatur Gratissimus de Simoniacis Cap. XIX. „ Et quid alios memorem? Quandoquidem & ipse Dei Mediator & hominum de peccatoribus originem duxit & de fermentata massa, sinceritatis azymam absque ulla vetustatis infectione suscepit. Immo, ut expressius dicam, ex ipsa carne Virginis quae de Peccato Concepta Est, caro sine Peccato prodiit, quae ultro etiam carnis peccata delevit „. Heic ait Petavius: *Manifeste Petrus hoc loco Beatam Virginem Originali affectam Vitio fatetur, quod & ab eo significari necesse est, ut argumentationi vis & ratio constet.* Adducuntur autem ex ejusdem Sancti Viri Sermone XL. in Assumtione Beatae Mariae haec verba: „ Caro enim Virginis ex Adam assumpta, maculas Adae non admisit, sed singularis continentiae puritas in candorem lucis aeternae conversa est. „ Haec ipsa verba S. Hildephonso tributa nuper Petavius commemoravit, inquiens, de *actualibus Peccatis esse intelligenda.* Idem S. Petrus *in Sermone XXIII. in Nativ. Sancti Joan. Baptistae.* „ Secundus honor est Sanctificatio in ventre matris. Quicumque de massa praevaricatrice Mundum ingredimur, longam restem Originalis Peccati trahimus nobiscum. Solus Ille, qui Peccatum non fecit, excipitur, quem Virginalis thalamus, ignorante viro, terris effundit. Longe quippe aliter, & dissimili modo conceptus est, Spiritu Sancto tota majestate Virginem inundante atque mundante, superans usum carnis, naturae ordinem, viri commixtionem. Sic quippe decebat, ut Peccatum nesciret, qui peccata tollebat, ut similitudinem carnis peccati susciperet, non autem carnem peccati. Cum igitur omnes in iniquitatibus concepti sint, neminem umquam mortalium intra materna viscera Sanctificatum legimus praeter Hieremiam, & Joannem Baptistam. Quamquam & de singulari Virgine nulla sit ambiguitas, quin ipsa maternis circumsepta visceribus, sublimiore Sanctificationis genere Mundata sit „.

Sanctus Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis Anno 1100.

Libro II. Operis, cui titulus, Cur Deus homo, *Cap. XVI. ubi Bosonem collocutorem suum quaerentem sic facit:* „ Qualiter de massa peccatrice, & humano genere, quod totum infectum erat peccato, quasi azymum de fermentato, Deus assumpsit. Nam licet ipsa hominis ejusdem conceptio sit munda, & absque carnalis delectationis peccato, Virgo tamen ipsa, unde assumptus est, est in iniquitatibus Concepta; & in peccatis concepit eam mater ejus; & cum

„ Ori-

„ ginali Peccato Nata eſt; quia & ipſa in Adam peccavit, in quo „ Omnes Peccaverunt „ Subdit Petavius: *Cui reſpondens Anſelmus, pro confeſſo ponit, hominem illum abſque Peccato eſſe, de maſſa peccatrice licet aſſumptum; & quomodo id factum ſit, deinceps explicat.* Ita quoque Salmanticenſes, qui & aliis Sancti Anſelmi verbis iſtud confirmant. Idem Anſelmus *in Libro de Excellentia B. Virginis Mariae Cap.* 3. ubi de Angelica Salutatione Virgini facta ait „: Cum „ igitur in his, quae tantopere Deo placent, Sancta Virgo Maria „ tam excellenter illi placuit, ut nequaquam crederet quis, illam aliqua ratione excellentius placere potuiſſe; nimirum tenemus fide, „ ab omni, ſi quid adhuc in illam Originalis, ſive actualis peccati „ ſupererat, ita mundatum cor illius, ut & ſuper eam Spiritus Domini, ſcilicet ſuper humilem, & quietam, & trementem verba „ ſua, totus requieſceret „.

Gilbertus Criſpinus Abbas Weſtmonaſterienſis Anno 1106.

In Bibliotheca Patrum Tom. XX. pag. 1884. legitur Dialogus inter Chriſtianum & Judaeum, tributus Guillielmo de Campellis Epiſcopo Catalaunenſi (ſive de Chalons) qui Anno 1113. floruit. At hunc Librum Caveus, Du-Pinius, & alii tribuendum cenſent Gilberto Abbati Weſtmonaſterienſi, qui Anno 1106. Monaſterio illi praefectus fuit. Ejus haec ſunt verba: „ Cum Chriſtum Originali Peccato obnoxium eſſe dicis, omnino mentiris; nam de immaculata Virgine „ conceptus & natus, ſine virili ſemine genitus eſt, ac proinde Originalis Culpae particeps non eſt &c. Quapropter Omnis homo carnali delectamento genitus, cum Originali peccato naſcitur, qui per „ luxuriam vitiatam naturam a primo patre trahens, & de corruptione carnis natus, illa placida natura caret, in qua primum primus homo factus eſt. Denique dum in conceptu Chriſti omnis luxuria defuit, nullam de carne peccati maculam traxit; immo cooperante Spiritu Sancto placidum & mundum conceptum habuit, „ quia omni delectamento luxuriae caruit; & quia in terris patrem „ non habuit, de corruptione carnis natus non fuit „.

Rupertus Abbas Tuitienſis, Anno 1120.

Libro I. Commentar. in *Cantica ad Virginem haec dicit*: „ Et tu quidem veraciter dicere potueras: Ecce enim in iniquitatibus concepta ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Cum enim eſſes „ de maſſa, quae in Adam corrupta eſt, haereditaria peccati originalis labe non carebas; ſed ante faciem hujus amoris nec illud, „ nec aliud ſtare potuit. Ante faciem hujus ignis ſtipula omnis inte-

„ riit,

„ riit, ut totum ſanctum fieret habitaculum, in quò Deus totis no-
„ vem menſibus habitaret „.

Hugo de Sancto Victore Anno 1125.

In Summ. Sent. Tract. I. Cap. XVI. de Carne Chriſti, *antequam conciperetur*, *haec habet*: „ Sane dici poteſt, & credi oportet, juxta Sanctorum atteſtationis convenientiam, ipſam prius peccato fuiſſe obnoxiam, ſicut reliqua Virginis caro: ſed Spiritus Sancti operatione ita mundatam, ut ab omni contagione immunis uniretur Verbo. Mariam quoque totam Spiritus Sanctus in eam praeveniens a Peccato prorſus purgavit, & a fomite peccati etiam liberavit „.

Sanctus Bernardus Abbas Claraevallenſis Anno 1140.

In celebri Epiſtola CLXXIV. ad Canonicos Lugdunenſes ait: „ Si igitur ante Conceptum ſui ſanctificari (Maria) minime potuit, quoniam non erat; ſed nec in ipſo quidem Conceptu, propter Peccatum quod inerat; reſtat, ut poſt Conceptum in utero jam exiſtens, Sanctificationem accepiſſe credatur, quae excluſo Peccato ſanctam fecerit Nativitatem, non tamen & Conceptionem „. Haec aperta Sancti Bernardi mens, qui inter Beatam Virginem & Sanctum Joannem Baptiſtam, & Hieremiam, nullum agnovit diſcrimen; uti nec agnovit diſtinctionem inter Conceptum ſeminalem & animalem, quam neoterici excogitarunt, veteres ignorarunt. Vide Petavium, & Salmanticenſes, & Mabillonium in Notis ad eam Epiſtolam, qui etiam locum adferunt e *Sermone II. ejuſdem Bernardi in Aſſumptionem Virginis*, ubi ait: „ Abſit enim, ut proprii quidquam inquinamenti domus haec aliquando habuiſſe videatur, ut in ea proinde ſcopa Lazari quaereretur. Quod ſi Originalem a parentibus Maculam traxit; ſed minus a Hieremia ſanctificatam in utero, aut non magis a Joanne Spiritu Sancto repletam credere, prohibet pietas Chriſtiana „. Ita in *Sermone LXXVIII. in Cantica* Bernardus concors cum antiquis Patribus ait: „ Sine generalis velamine confuſionis (*ideſt originali macula uti Petavius docet*) nemo filiorum hominum intravit initians vitam, Uno ſane excepto, qui ingreditur ſine Macula. Emmanuel is eſt &c. De cetero unus omnibus per omnia introitus eſt, electis dico, & reprobis. Non enim eſt diſtinctio. Omnes peccaverunt, & omnes caputium ſuae verecundiae portant „. Nicetas Choniates *Lib. I. Cap.* 74. *Theſauri*, veterum opiniones refert de infuſione Animae in Corpus inquiens: *Nullum commune dogma ſuper Quaeſtione iſta vel ab Apoſtolis, vel ab ullis aliis Sanctis Patribus accepimus*. Addit, nonnullos Patrum ſenſiſſe, *ſemen animari*,

cum

tum primum vulvae injectum est, ita ut partium neutra compositionem aut praecedat aut subsequatur. Philosophos vero *serius* Animam infundi scripsisse. Sanctus autem Augustinus, aliique non pauci Occidentalis Ecclesiae Patres, ac Theologi, usque ad tempora Magistri Sententiarum, hoc est post Sanctum Bernardum, ancipites in ejusmodi quaestione fuere, uti pluribus ostendit Clariss. S. R. E. Cardinalis Henricus Norisius in Vindiciis Augustinianis Cap. IV. §. III. Vide & Cassiodorium Lib. de Anima Cap. VII. Nunc certissima inter Theologos sententia est, Animas non ex traduce venire, novasque a Deo creatas in foetum efformatum infundi. Verum quae Antiquorum fuerit mens, ab ipsis antiquis petendum est, non vero a recentioribus. Ceterum etsi olim obscura, incertaque videretur origo Animae, & quomodo Peccatum primi hominis transfunderetur in posteros, nihilo secius Sanctus Augustinus cum Ecclesia Catholica uti stabile dogma Fidei agnovit semper & depraedicavit transfusionem Peccati Originalis in omnes homines: quod & nos tanquam Fidei Dogma amplectimur.

Richardus de Sancto Victore Anno 1150.

Libro I. de Emmanuele Cap. XII. De Christo Domino ait: „ Maculam peccati de materna carne non contraxit, sed delevit „. *Aperte*, ajunt Salmanticenses, *supponens adfuisse ibi, si non in se ipsa, in suo tamen Debito, praedictam Maculam*. Idem infra addit de Christi carne & de carne Virginis „ Notandum in matre & prole: quia in „ Matre caro mundata; in Prole non mundata, sed munda: in illa „ purgata, in ista pura „. Sunt & infra alia ejusdem Richardi verba idem significantia.

Anonymus, qui floruit Anno 1160.

Editus in Thesauro Novo Anecdotor. a Clariss. PP. Martene & Durand. Tom. V. In Tractat. adversus Judaeum pag. 1565. „ Si Virgo concepit non de creatura, sed de Creatore concipiat. Et cum „ omnis conceptus ex carnis voluptate perveniat, attestante Propheta, qui ait: *In peccatis concepit me mater mea*: nemo concipitur „ sine Peccato. Sed ipse Dominus hoc signum daturus est, quod „ Virgo concipiat. Ergo conceptus iste sine Peccato erit. Concipiet „ itaque cum integritate Virginitas, non de carne, sed de Spiritu „.

Innocentius III. Papa circiter Annum 1198.

In Sermone de Purificatione Virginis: *Statim autem Spiritus Sanctus supervenit in eam. Prius quidem in eam venerat, cum in utero matris animam ejus ab Originali Peccato mundavit: sed & nunc supervenit in eam,*

tam, ut carnem ejus a fomite Peccati mundaret, quatenus esset sine ruga prorsus & macula.

Idem in Sermone de Sancto Joanne Baptista: *Joannes fuit conceptus in culpa. SOLUS autem Christus fuit sine culpa conceptus; uterque vero natus in gratia.*

Idem in Sermone de Assumtione Virginis: *Illa* (scilicet Eva) *fuit sine culpa producta; sed produxit in culpa. Haec autem* (videlicet Maria) *fuit in culpa producta, sed sine culpa produxit.* Quid verba ista significent, a tanto Pontifice sive Doctore prolata, nemo non intelligit. Infra idem agit de *fomite Peccati*, & *stimulo carnis* prorsus in Virgine extincto, *postquam in ea plenitudo Divinitatis corporaliter habitavit.*

Richardus de S. Laurentio Poenitentiarius Romanus Anno 1240. *In Tractatu de Laudib. Virginis Lib. VII. Cap. Item quod Luna &c.* §. *divisa tenebris*, ubi accommodans, ajunt Salmanticenses, Beatae Virgini illa verba: *In principio creavit Deus coelum & terram*, inquit: „ Idest Animam & Corpus Mariae. Sed haec terra erat inanis & „ vacua ante Gratiam sanctificationis, & erant tenebrae super faciem „ abyssi, quia concepta est in Originali „. Idem repetit aliis in locis.

Guillelmus Durandus Mimatensis Episcopus, cognomento Speculator, Anno 1286.

In Rationali divinor. Officior. Lib. VII. *Quidam etiam faciunt quintum Festum, scilicet de Conceptione Beatae Mariae, dicentes, quod sicut celebratur de morte Sanctorum, non propter mortem, sed quia tunc recepti sunt nuptiis aeternis; similiter potest celebrari Festum de Conceptione, non quia sit concepta, quia in Peccato est concepta, sed quia Mater Domini est concepta; asserentes hoc fuisse revelatum cuidam Abbati in naufragio constituto: quod tamen non est authenticum. Unde non est approbandum, cum concepta fuerit in PECCATO, scilicet per concubitum maris & foeminae, de Consecrat. Distinct. 4. firmissime. Verumtamen licet fuerit concepta in Peccato, dimissum est ei illud Originale Peccatum, cum sanctificata fuerit in utero, sicut & Hieremias, & Sanctus Joannes Baptista.*

Tandem ne nimius sim, in hac eadem sententia fuere, uti Salmanticenses Theologi animadverterunt, *Petrus Lombardus Magister Sententiarum, Hugo de Sancto Claro, Albertus Magnus, Sancti Doctores Seraphicus, & Angelicus* (neque enim hactenus Petrus de Alva, aut alii persuasere Eruditis, Sanctum Doctorem a se discordem fuisse) *& Sanctus Bernardinus Senensis & Sanctus Antoninus.* Alios omitto, quos

quos longo catalogo iidem Salmanticenses enumerant; nam qui hactenus commemorati sunt, satis superque ad intelligendum nos perducunt, per tria & decem Secula a Christo nato viguisse, & *Communem* fuisse in Ecclesia sententiam non eximentem a Peccato Adami nisi *Unum Christum Dominum*. Surrexit postea Joannes Duns Scotus, Ordinis Minorum, qui circiter Annum 1307. Sententiam de Immunitate Virginis, ante duo Secula levibus principiis natam, adhuc tamen elumbem, & a praecipuis Theologis improbatam, propugnavit; suique instituti posteris, immo & aliis non paucis, gratissimam sensim effecit. Is tamen non eo strepitu publicae disputationis, non ea felicitate successus, qualem subsequuta Secula, una cum aliis de eodem Scoto fabulis, commenta sunt, sententiae hujus propugnator fuit: immo summa modestia usus Distinct. III. in Lib. III. Sentent. Quaest. I. tria proponit, uti animadvertit Natalis Alexander: Nempe primo, Deum potuisse facere, ut Virgo *numquam fuisset in Peccato Originali*. Secundo, Potuisse facere, ut illa esset in Peccato Originali *tantum in uno instanti*. Tertio, Potuisse facere, ut illa in eodem Originali esset *per aliquod tempus*, ac ultimo instanti hujus temporis purgata & sanctificata fuerit. Tum addit: *Quid autem horum trium, quae ostensa sunt esse possibilia, factum sit, Deus novit. Si auctoritati Ecclesiae, vel auctoritati Scripturae non repugnat, videtur probabile quod excellentius est attribuere Mariae:* quam postremam sententiam in posterioribus scriptis roboravit. Dixi, non eo mirabili successu, quem apud Wadingum legimus, processisse tunc Scoti opinionem; nam & qui eodem tempore in Anglia floruit Joannes Baconus, Carmeliticae Scholae princeps, & *Doctor Resolutus* deinde nuncupatus, circiter Annum 1330. Libro II. Distinct. XXX. Quaestion. I. Petrum quidem Aureolum sibi opponit, dicentem, *quod Beata Virgo Originalem culpam non traxit de facto, tamen habuit necessitatem contrahendi:* nihil vero de Joanne Duns Scoto habet. Tum ipse Opinionem hanc appellat *Haeresim adulatoriam, & nimis devotam;* simulque contendit, Peccatum Originale in omnes pertransiisse, excepto Christo: quod multis confirmare nititur. Accedat & Alvarus Pelagius Ordin. Minor. & Scoti ipsius discipulus, vir sane per ea tempora ob eruditionem suam admirandus, qui circiter Annum 1330. Episcopus Silvensis in Lusitania est renuntiatus. Hic autem Lib. II. Cap. LI. *de Planctu Ecclesiae*, Magistri sui opinione contemta, scribit: *De Matre Christi beatissima tenent Sancti, maxime Augustinus, quod non peccavit etiam venialiter in hac vita, tamen in Originali Peccato Concepta fuit, sicut*

& ce-

& ceteri homines; quia ab illa sententia patris sui David: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, Psalm. L. Nullus excipitur, nisi Christus, qui non de semine humano, sed de Spiritu Sancto conceptus fuit. Tum infra subdit: *Et hanc sententiam tenent Omnes Antiqui Theologi, Alexander, Thomas in suo Quarto & Secundo, Bonaventura, Richardus, licet quidam novi Theologi a sensu Ecclesiae recedentes Communi, tenere contra (indevoti revera Dominae, ei tamen devoti cupientes apparere) nitantur: quorum Nova Opinio; & phantastica, sit a Fidelibus cancellata.* Tum *Sanctificationem* Virginis ab Ecclesia doceri ait: *& ita dicit Oratio, quae dicitur in hoc Festo Romae in Sancta Maria Majori: Deus, qui Sanctificationem Virginis &c. sicut vidi & audivi, quum ibi de ista Sanctificatione praedicarem in isto Festo Sanctificationis, quod fit in Decembri ante Festum Natalis per XV. dies.* Dubitat autem Theophilus Raynaudus, in Tractat. de Piet. Lugdun. pag. 305. an haec scripserit Pelagius, quum duo ejusdem MSta haec minime exhibeant. At haec ejus stylum sapiunt, & illa alii Codices praeferunt. Neque mirum, si quis contrariae sententiae postea deditus, in ejus Libro describendo haec pauca sibi ingrata expunxerit.

C A P U T XXV.

Sententia excludentium Debitum a Virgine concordi Traditione Patrum eversa. A praestantioribus Theologis improbata. Nibilominus Cusentina Civitas adducta ad Votum de tuenda Sanguine suo eadem Debiti exclusione. Ex hoc temerario Voto, quae consectaria fluant.

EX his autem Romanorum Pontificum, Doctorum Ecclesiae, Sanctorum Patrum, veterumque Theologorum dictis inferebant olim Thomisticae sententiae patroni, Deiparam ipsam minime exclusam fuisse e Decreto Apostoli scribentis: *Omnes in Adam peccasse.* At quum non immerito responderetur, non ita rigide accipiendas semper esse universales quasdam Sacrae Scripturae propositiones, ut eximere ab eis quaedam particularia non liceat, si id suadeant rationes ex ipsa Scriptura legitime deductae: instabant ii; interpretationem divinarum Literarum petendam esse concordi sensu Sanctorum Patrum. Esse vero apud illos Catholicum Dogma: *Unum Jesum Christum inter homines expertem fuisse Peccati Ori-*

ginalis. Praeterea illos diserte scribere, ideo Christum Dominum a Peccati Originalis lege exemptum fuisse, neque primi hominis maculas contraxisse, quia non ex commixtione sexuum, non e semine virili, sed de Spiritu Sancto conceptus fuit. Quamobrem quum Maria non eo modo supranaturali, sed communi concepta fuerit: eosque Petavius insignis vir, de Dogmatica Theologia optime meritus, redarguat, qui nimio ardore tuendae Immunitatis Marianae, Conceptionem ejus effinxere *sine Concupiscentia* peractam, atque adeo a communi Naturae humanae lege ac usu alienam: secundum illos Theologos consequebatur, Mariae tribuendam nequaquam fore praerogativam, per quam Solus divinus ejus Filius a ceteris Hominibus distinctus fuit. Illa nimirum concepta *e carne Peccati*, & non sine Concupiscentia; Christus vero absque ullo Concupiscentiae afflatu, & duntaxat *in similitudinem carnis Peccati*. Haec illi. Proinde vim ratiocinationis hujus sentientes, tum antiqui, tum recentiores Theologi, quibus reverentia erat erga Sanctos Patres, eodemque tempore pius ardor propugnandae Immaculatae Conceptionis, non aliam adinvenere viam conciliandi tolerabili aliqua ratione loca Scripturarum, Patrum, ac veterum Theologorum cum sententia sua, nisi statuendo in Virgine *Debitum* Peccati Originalis, atque ab ea excludendo *Peccatum* ipsum ex singulari beneficentia Dei: sub qua consideratione adhuc ipsa Virgo distingueretur a Christo, quem liberum non solum a *Peccato*, sed etiam *a Debito* Ecclesia universa fatetur. Rationem hanc exponendi, quod est ad praesentem quaestionem, divinas Literas & Patres, Scotus ipse in 3. Distinct. 3. Quaest. prim. indicavit, uti etiam animadvertit Hugo Cabellus Scoti interpres; ac propterea Theologi reliqui, removentes a Deipara *Originale Peccatum*, concordi studio usque ad Annum 1615. necessarium duxere, *Debitum* hoc idem sanctissimae Virgini tribuere: quorum satis longum catalogum contextum invenias apud supra laudatos Theologos Salmanticenses. An autem sit haec revera mens Literarum sacrarum, & an sufficiat interpretatio ista, ad rite explicanda tot loca Patrum, ac veterum Theologorum, erit Apostolicae Sedis non infallibili judicio edocere, si quando controversiam a tot Seculis inter Scotistas & Thomistas ferventem, ad accuratum examen deducere, & quid firmissime de ea credendum sit, edicere voluerit. Duo interim explorata habemus: alterum, usque ad tempora Scoti *Communem* Theologorum sententiam fuisse, negantium Deiparae Immunitatem a Macula Originali. Id libere fatentes habemus insignes ac sinceritate praestantes Theologos,

quos

quos supra innui. Alterum, usque ad Annum 1615. *Communem* itidem fuisse Theologorum sententiam, excludi non posse a Deipara *Debitum* Culpae Originalis, atque ita sensisse omnes ferme, qui pro ejusdem Immunitate *a Peccato* in aciem ante Annum illum venere.

His positis, judicium prudentiorum esto, quid sentiendum sit de Theologis iis, qui post illum Annum 1615. novam invexere Opinionem de Virgine ab ipso Peccati *Debito* eximenda. Non utique ferenda hjusmodi Sententia, si chorum Sanctorum Patrum, si nubem veterum Theologorum, adversantem haber. Ac propterea Cardinalis Cajetanus, quasi praescius, aliquando emersuros, qui eam propugnare ausuri essent, in Comment. ad Part. 1. 2. Sancti Thomae Quaest. 81. Art. 3. *Haereticam* eandem appellavit, cujus judicium Catharinus deinde, & Corduba confirmarunt. Eam praeterea *parum tutam* in Fide Cardinalis Bellarminus denuntiavit; & *proximam errori*, aut parum probabilem censuerunt Medina, Suarez, Vasquez, Valentia, Faber, Canisius, Beccanus, Castropalaus, Theophylus Raynaudus, Salmanticenses Theologi, & Cardinalis Gottus, ut alios omittam. Quid plura? Auctor est Hurtadus, teste eodem Theophylo Raynaudo in *Theolog. antiqua de vera Martyrii notione, numer.* 72. ne Romae quidem toleratam fuisse ejusmodi Opinionem. Quippe *Inquisitio Romana assertionem illam de Immunitate Beatae Virginis a Debito Peccati Originalis damnavit ut Erroneam. Et Librum P. Fr. Joannis Mariae Zamori, cui titulus de eminentissima Deiparae perfectione, eo quod assereret eam carentiam Debiti Peccatum originale contrahendi, voluit esse vetitae lectionis*. Nihilo tamen secius, ut vidimus, indomita ingenia, sive Novitatis nimium amica, sive in Pietatis rebus audacter intemperantia, fractis quibusque repagulis, & Patrum ac veterum omnium Theologorum contemta auctoritate, pergunt hanc ipsam Opinionem in Scholis ac Libris fovere atque disseminare, quum tamen ipsam injuriosam Christo fateri cogamur, *Quem Solum Sine Peccato fuisse*, universa antiquitas agnovit. Propterea heic obtestor, ego sapientes quosvis, ut seposito omni partium Studio, adhibitaque diligenti consideratione, jam tandem perspiciant, an non piorum hujusmodi Novatorum licentia, atque inconsultus zelus in dedecus, & in perniciem conspiret matris nostrae Ecclesiae. Praecepit sacra Synodus Tridentina Sess. IV. *ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus Fidei & Morum, ad aedificationem doctrinae Catholicae pertinentium, contra Unanimem Consensum Patrum, ipsam Sacram Scripturam interpretari audeat*. Consonant in eandem sententiam Patrum dicta, sed potissimum, quae

quae Vincentius Lirinensis in aureo suo Commonitorio scripsit, monens, in Ecclesia Dei *non Nova*, sed *Nove*, duntaxat Dogmata tradi posse. Novae enim omnes sententiae de rebus a Revelatione Dei pendentibus, aut ineptae, aut temerariae sunt, aut denique Haereticum virus continere facile possunt. Quare is addit Cap. IX. *Adnuntiare ergo aliquid Christianis Catholicis, praeter id quod acceperunt, numquam licuit, numquam licet, numquam licebit*. Et sane qui sibi facultatem arrogant proponendi & praedicandi novam doctrinam, quae nullo sacrarum Literarum, aut antiquae Traditionis fundamento nitatur, ii sibi licere putant, quod ne ipsa quidem Apostolica Sedes & Concilia Oecumenica licere sibi putant. Praeterea idem Lirinensis referens literas Stephani I. Papae inquit: *Denique in Epistola, quae tunc ad Africam missa est, his verbis sanxit: NIHIL NOVANDUM ESSE: NISI QUOD TRADITUM EST. Intelligebat enim vir sanctus & prudens, nihil aliud rationem Pietatis admittere, nisi ut omnia qua fide a Patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur; nosque Religionem non qua vellemus ducere, sed potius qua illa duceret, sequi oportere: idque esse proprium Christianae modestiae & gravitatis, non sua posteris tradere, sed a majoribus accepta servare*. Proinde hic mos perpetuus Ecclesiae fuit, estque Theologorum omnium, qui recta sapiunt, in sententiis ad Theologiam pertinentibus super omnia inquirere, quid habeant divinae Scripturae, & quae sit de illarum sensibus mens Sanctorum Patrum, & quid ferat Traditio, ex iisdem Patribus haurienda. Haec sunt arma Ecclesiae: hisce illa utitur adversus Haereticos, ut de eorum male sana doctrina triumphet. Si fieri posset (id autem nunquam futurum Christus pollicitus est) ut a nobis contemneretur Traditio Patrum, dilaberemur & nos in teterrimum Chaos Haereticorum: pugnaque perennis inter nos & illos foret, nunquam vero spes justa victoriae. Nam ubi eo redacta res foret; ut nos, aeque ac illi, ex ingenio nostro statueremus Dogmata, contra, aut secus quam habet Traditio Sanctorum Patrum (quod faciunt Sectarii) & ad unam Scripturam atque intelligentiam nostram, explosa eorumdem Patrum interpretatione, alter alterum provocaret: utrique suam mordicus praeferrent sententiam; neque alia superesset ratio evincendi, quaenam ex iis esset vera ac potior appellanda. Nos ideo invicti adversus Haereticorum conatus, quod eis tum Scripturae loca, tum concordem eorum interpretationem, Traditionis ope in Ecclesia Dei servatam, objicere possumus: quam Traditionem consulendam, vel ipse Sanctus Irenaeus proximus Apostolicis temporibus jussit.

sit. Neque enim ad nos pertinet, neque licet, innovare aliquid in doctrina Fidei; neque Revelatio nova nobis exspectanda; sed illud tantummodo retinendum, & sancte colligendum atque custodiendum, quod olim Deus revelavit, & ad nos per Literas sacras, per Concilia, & Patres, testes integerrimos Revelationis non scriptae, transmissum est. Neque Pietatis augendae obtentu fas est contra mentem Sanctorum nova dogmata procudere: quis enim nisi superbus & audax plus scire ac sapere se putet, quam Sancti Ecclesiae Doctores, ac propiores fonti Revelationis divinae? Propterea illos etiam Vincentius Lirinensis arguebat, qui tum pios prae reliquis se putant, quum Novas gravis momenti Opiniones invehunt, quibus Sanctorum Patrum documenta obsistunt. *Mirari satis nequeo* (ita ille Cap. XXI.) *tantam quorumdam hominum vesaniam, tantam excaecatae mentis impietatem, tantam postremo errandi libidinem, ut contenti non sint, tradita semel & accepta antiquitus credendi regula. Sed NOVA ac NOVA in diem quaerant, semperque gestiant ALIQUID RELIGIONI ADDERE, MUTARE, DETRAHERE: quasi non coeleste Dogma, quod semel revelatum est, sufficiat &c.*

Quo igitur nomine digni sint, qui Anno 1615. tradere coeperunt novitiam hanc doctrinam, scilicet, ne *Debitum* quidem *Peccati Originalis* tribuendum esse Mariae, Sapientes tandem judicabunt, quum, uti perspeximus, per antecedentia sexdecim Secula aliter Sancti Patres, & Theologorum Scholae senserint: atque ipsi illi, quibus Immunitatis Marianae tutela plus cordi fuisse noscitur, agnoverint necessariam hujus saltem *Debiti* confessionem, ut Redemtionis necessitatem in Virgine tueamur, & ut Apostoli auctoritas, & Patrum interpretatio, aliqua ratione subsistant. Neque enim locus heic reliquus est speciosae illi doctrinae, perfectiorem modum Redemtionis esse, Virginem *a contrahendo Debito* praeservatam, quam *a Debito liberatam* fuisse. Nam, uti supra nos docuit Romanus Pontifex Zosimus, *Nullus, nisi qui Peccati servus est, Liber efficitur, nec Redemptus dici potest, nisi qui vere per Peccatum fuerit ante captivus.* Et Sanctus Leo Magnus Papa Sermon. I. de Nativitate Domini: *Sicut Nullum a reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit.* Itaque nullus dubito, quin quicunque animo ac ingenio ab affectibus praeviis, atque ab anticipatis judiciis expurgato, Opinionem hactenus commemoratam perpenderit, plane intolerandam in Ecclesia Dei appellet. Attamen aliquid etiam gravius hac ipsa de caussa exerendum est, quod me impulit ad corollarium hoc postremum adjiciendum, hoc est ad colligen-

ligenda tot Patrum ac Theologorum veterum vota; & quod prudentibus ſtuporem fortaſſis & horrorem incutiat, nobiſque luculentius aperiat, quid audere poſſit inconſultus novandi ardor, & improvida Pietatis amplificandae cupiditas. Non ſolum placuit ac placet nonnullis periculoſae huic Opinioni adhaerere, eamque in Scholas imperterrite invehere; inventi ſunt etiam, qui pro ejus tutela Vitam ſe daturos voverunt. Teſtem habeo Auctorem Hiſtoriae Conceptionis Virgineae, qui Libro IX. Cap. XVI. tradit, Cuſentinam Civitatem in Calabria primariam Anno 1656. Votum emiſiſſe de propugnanda Immunitate Virginis non ſolum *a Peccato Originali* ſed etiam ab illius *Debito*: & quidem *Sanguine* etiam & *Vita*. Voti quoque formulam refert, a Syndico Urbis illius concepti, nomine Reipublicae, *omniumque Civium tam praeſentium*, *quam futurorum*. Egregium ſane Votum, quo Populus indoctus, & impotens ad diſcernenda momenta ejuſmodi quaeſtionum, ad mortem ſubeundam obligatur, poſteroſque ipſos rei inſcios tam ferali obligatione conſtrictos decernit. En formulae Cuſentinae verba: *Promittimus & juramus, tactis ſanctis Evangeliis, nos docturos, profeſſuros, ac propugnaturos, Mariam ſemper Virginem, Dei matrem, & Dominam noſtram, in Conceptione ſua non ſolum non contraxiſſe Peccatum Originale, ſed ne ipſius quidem Debitum, quum transfundi nequeat infelix haereditas Adami in illam, quae ut Mater futura Verbi aeterni praeviſa fuit in ſigno antecedenti Adamum. Et Votum juramento confirmamus teſtificandi HANC VERITATE SANGUINE & VITA, & curandi, ut idem a reliquis fiat.* Ita ille Auctor, qui inſuetum hoc Votum veluti rariſſimae Pietatis prodigium ſuſpiciens, addit: *Nel che Coſenza ſi vantaggiò ad ogni altra Città del Mondo; mentre un ſimil voto di niun' altra ſi legge.* Neque legetur, ſubdo ego, dum Chriſti Fideles accuratius in rem ipſam introſpiciant, & ſapere pergant.

Equidem infimus in domo Dei ſum; attamen quando omnium eſt Fidelium, Eccleſiam Dei matrem noſtram, ejuſque doctrinam germanam tueri, libera heic voce ajo, fraeno tandem opus eſſe ad compeſcenda Ingenia ſub Pietatis ſpecie extra orbitas verae Pietatis decurrentia. Addo, manifeſte imprudens, nullum, ac irritum eſſe hujuſmodi Votum, neque ſine ſcelere Vitam profundi poſſe pro tuenda Opinione, quae nequaquam Probabilis, immo Falſa ex dictis cenſenda eſt. Evidens quippe eſſe ſincerus quiſque rerum aeſtimator deprehendet, veteres Patres, (inter quos duo eximii tum doctrina tum ſanctitate Pontifices Maximi Leo. I. & Gregorius Magnus praeter

Leo-

Leonem IV. & Ambrosius, & Augustinus, & Anselmus, & Thomas, & Bonaventura, Ecclesiae Doctores) non solum ignorasse praerogativam hanc a Novatoribus piis Deiparae attributam, sed ita loquutos fuisse, ut aperte destruant saltem sententiam auferentium a Beata Virgine *Debitum Peccati Originalis*. Quonam ergo abibit veneratio semper habita in Ecclesia Dei, semperque habenda unanimi Sanctorum Patrum Traditioni? Et quaenam Prudentia fuerit pro tam fallaci sententiâ discrimini Vitam exponere? Immo quum nefas sit atque Peccatum pro Opinionum, licet Piarum, tutela tormentis & securibus suum caput offerre; quisnam, rogo, a crimine excusaret pro hujusmodi etiam non ferenda Opinione occumbentem? Neque plura adtexere volo, spe ductus fore, ut haec intimius perpendant, quibus & major sapientia est, & ferventior cura decernendi remedia, si quando perspiciant, ab intemperantibus ingeniis, & in excessus Pietatis incaute declinantibus, perniciosa dogmata venditari, ac temere homines in mortem impelli. Ad Parthenotimum potius redeat oratio, a quo lubenter rescirem, probetne ipse, an improbet Cusentinorum sententiam *De debito* Virginis, eorumque Votum Sanguinarium. Si probat: quid aliud restat, nisi ut demum fateatur, conculcari impune posse Traditionem concordem Sanctorum Patrum, & nihil referre Catholicae Ecclesiae; si quisquam aspernatus sententiam, quae apud Patres, & veteres quosque Theologos, Communis fuit, Novam atque oppositam excogitet ac doceat; & licere quamcunque Opinionem tueri, dum Pietatis lineamenta praeferat; immo & pro illa propugnanda honesto Sanguinem fundi posse, atque inde sperari Martyrii coronam? Si consectaria haec ille devorare in animum induxerit, jam nullum ultra cum eo certamen volo; sed videat ille, quei gravissimam a sacris Judicibus censuram effugere possit. Quod si Cusentinorum Opinionem ac Votum Parthenotimus aversatur, habet ille in hoc uno exemplo, unde intelligat primo, quam inanes querelas adversus Lamindum commoverit, quasi piaculum fuerit, Sanguinarium paucorum Siculorum Votum non revereri, quando a nonnullis Theologis, & quidem Catholicis, adinventum, ac populo propinatum fuit mirabile hoc & magnanimum Vitae contemnendae consilium. Certe qui Cusentinis auctores fuere emittendi paris, immo magis etiam magnanimi Voti, Cerdones non erant. Theologos fuisse nemo non agnoscit; & nihilominus quis eorum audaciam ferat, aut excuset? Secundo hinc discet Parthenotimus, raram avem in terris non esse nonnullorum ambitionem, qui in rebus Pietatis, sive quod plus sapere quam reliqui sibi

persuadeant, sive quod Novitate Opinionum famam majoris intelligentiae ac Pietatis conquirant, in excessus Pietatis erumpunt, quos certe & Ecclesia Catholica odit, & Prudentia eliminandos jubet. Tertio deprehendet Parthenotimus, quanta in posterum fides habenda sit professioni toties a se inculcatae, scilicet Voventes tutelam Immaculatae Conceptionis, non morituros pro tuenda *Veritate* illius sententiae, sed pro *Pietate, quae inest actui opinativo pro Festo Conceptionis ab Ecclesia praescripto &c.* Scilicet sensit ille, non immerito improbatum fuisse a Lamindo consilium subeundae mortis caussa propugnandae sententiae, quae adhuc inter Opiniones conclusa certam nobis Veritatem rei exhibere non potest. En Cusentinum Populum diserte jurantem, se *Sanguinem* fortiter effusurum pro *testificanda Veritate* Immunitatis non solum a *Peccato*, sed & *a Debito*. Idem quoque velle Siculos in concipiendo suo Voto Sanguinario pro tutela Immunitatis a Peccato, mihi persuadent eorum formulae, quibus frustra medicamentum adhibet Theologus noster. Denique possent Cusentini ad eadem effugia se convertere, per quae Parthenotimus evadere se posse confidit, protestando, sibi quoque persuasum, non dubiam, sed Certam esse sententiam suam de exclusione *Debiti;* centenos Theologos a Petro de Alva recensitos pro eadem pugnare; atque illam, teste Auctore Historiae Conceptionis, saltem apud Hispanos *Communiorem esse in Scholis:* abhorrere ab honore Virginis deformem *Debiti* illius maculam; ac proinde se mori paratos *pro tuenda Sanctitate Mariana, pro cultu & honore illius, pro observando Voto, a cujus observantia deficere crimen est*. Si Cusentinorum Votum, uti nuper effinxi, a Parthenotimo neutiquam probatur, frivolas etiam, nulliusque ponderis reputet, oportet, eorum rationes; & denique sperandum est fore, ut deprehensa temeritate Cusentini Voti, a patrocinio quoque desistat Sanguinarii Siculi Voti, quod itidem vidimus temere concipi, & sine scelere non posse compleri.



CA-

CAPUT XXVI.

Cur Pritanius in Voto Sanguinario Superstitionem timuerit. Quid sit Superstitio. Ab ista cavendum praecipue viris doctis. Ejus facies in novitio isto Voto deprehensa. Quid Panormitanis Civibus in hocce negotio agendum.

UNUM superest nunc quaestionis hactenus agitatae momentum, de quo jamdudum Lectoris exspectationem aluisse me opinor, & cui nunc satisfaciendum suscipio. Nempe cur Opusculo huic titulum fecerim *de Superstitione vitanda*. Dixerat Lamindus: *Cave, ne amorem & reverentiam Virgini debitam eo usque amplifices, ut Superstitiosam efficias. Non unus autem ego in hoc Voto profundendae Vitae pro Immaculata Conceptione Virginis Superstitionem timeo. Timuit & timet Apostolica Sedes*. Aegro animo ista excepit Parthenotimus ac proinde pag. 65. Lamindum iratus monet, *ut videat, quo ipsum abripiat ille suus, quem vocat Superstitionis timorem, sed nonnemo diceret audaciam: dum Superstitionis notam Catholicorum* (addendum erat *paucorum*) *sententiae inurit*. Contra pacato animo ego heic sapientum judicium appello. Alterum de duobus necesse est ex hoc certamine fluat. Si quae attulit Theologus Siculus, eam vim habent, ut Sanguinarium Votum licitum ac laudabile constituant: certe is merito doleat, quod *Superstitionis* probrum de magnanimo illo Voto timeatur. Contra, si quae hactenus ego congessi, ut evincam, imprudens, temerarium, minimeque ferendum esse ejusmodi Votum, solida sunt ac vera: nemo sit inter Theologiae peritos, qui *Superstitionis* non dicam lineamenta, sed vitium ipsum in eo non deprehendat. Quid enim aliud est *Superstitio* docente Doctore Angelico 2. 2. Quaest. 92. Art. I. nisi *Vitium Religioni oppositum secundum Excessum; non quia plus exhibet in cultum divinum quam vera Religio, sed quia exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet?* Propterea a Theologis *Cultus Dei inordinatus aut superfluus*, qui & in se complectitur *Cultum inordinatum sive superfluum Sanctorum*, inter species *superstitionis* concordi voto enumeratur. Atque utinam Theologi ipsi, qui in reliquas Superstitionis species longa inquisitione invehuntur,

hanc etiam diligentius excolerent, & luculentius Catechismi Catholici ministris explicarent. Est sane major, quam prima fronte videatur, amplitudo hujusce quoque provinciae, multumque a re foret Reipublicae Christianae, non negligi, immo accuratius pertractari & istud argumentum. Quum enim eximia pars Religionis sit *Cultus Dei*, atque Sanctorum, copiosaque turma actuum, quibus Christi Fideles suum obsequium ac amorem omnipotenti Deo, ejusque beatis servis pendere possunt, latissimus heic campus sese aperit Theologorum judicio, ut discernant, quid ibi laudandum, quidve culpandum, hoc est quid Deo placeat, sive displiceat. Et quidem miratus sum, quare insalutatum pene argumentum hoc dimiserit Joannes Baptista Thiercius, Doctor Gallicus, qui Tractatum *de Superstitionibus* Anno *1679.* Parisiis edidit, foedis vanarum observationum deliriis adeo refertum, ut in duos Tomos excreverit, quos cum utilitate, nescio & an cum pari voluptate, legas. Nonne & errores indoctae sive exorbitantis Pietatis ad *Superstitionem* pertinent, & puritate Sponsae Dei, idest Ecclesiae, officiunt, quae tamen proborum omnium, ac praecipue Pastorum munus est curare, ut immaculata persistat cum in Dogmate, tum in sacra Disciplina? Profecto nemo neget, quin summopere conduceret, si & haec perversa semina aut nunquam nascerentur, aut nata solicito studio evellerentur. Magnum autem discrimen heic intercedit inter Populum rudem, & Viros doctos, ad quos cura spectat alios imbuendi sanctae Religionis doctrina. Si enim in superfluo aut inordinato Cultu Dei, & Sanctorum errore interdum laborat Plebs rudis, illam ignorantia & simplicitas excusare potest, ita ut nihil peccati, aut summum culpa venialis in eorum actibus occurrat. Et si quidem a rectis Ecclesiae institutis ac sententiis deflectunt, certe illorum naevi in arcem Religionis non penetrant; neque enim ex indoctorum opinionibus ac ritibus metienda est veritas & sanctitas Ecclesiae Catholicae, ejusque doctrinae, sed e Catechismis nostris, & e probatis Ecclesiae ipsius Dogmatis.

Alia vero est doctorum hominum & Theologorum ratio atque conditio. Positi isti in aedificationem Ecclesiae, si quando inordinatum aut superfluum Dei & Sanctorum Cultum inveherent, quibus justis rationibus sese apud Deum excusaturi forent, facile non invenirent. Possent sane & ipsi obtendere bonam voluntatem, piumque affectum in Deum & Sanctos. Sed quid si cum ista voluntate & affectu se misceat Zelus praeceps, & non secundum scientiam? quid si con-

conjungat sese Superbia, Ambitio, & Novitatis, sive Singularitatis male urens prurigo, aut Avaritia, aut immoderata Curiositas, aut caeca Aemulatio, aliique pessimi humanae mentis afflatus, ut plus sapere, quam alii, plus Pii esse, quam ceteri apud Populum credantur? Et quamvis agatur de *superfluitate in Cultu exteriori*, *quae inter Superstitiones numeratur*, attamen uti docuit Cardinalis Cajetanus in 2. 2. Sancti Thomae Quaest. 93. art. 2. *est communiter Peccatum veniale*, *nisi contemptus Ecclesiasticae disciplinae*, *aut interioris Cultus adsit*. *Nec tamen leve habendum est Peccatum hoc*, *quoniam infra Superstitionis latitudinem continetur*, *quae divino opponitur cultui*. *Omne autem Peccatum in his*, *quae Dei sunt*, *magnum esse constat*. Quid ergo dicendum ac metuendum de iis, qui novas in Religionis doctrina excogitant, ac depraedicant Opiniones, a Revelatione Dei omnino pendentes, praeter, & quod longe gravius est, contra Patrum, totiusque antiquitatis Traditionem atque sententiam? Curiositatem & Singularitatis amorem in hisce Novatoribus praesertim offendas, cujus vitii signa describit ac temeritatem multis redarguit Gersonius in *Lectione contra vanam Curiositatem* Tom. I. pag. 93. inter cetera scribens: *Constat*, *quod doctrina Fidei*, *quamvis Philosophiam superet*, *habet terminos suos praedefinitos in sacris Litteris nobis revelatis*, *ultra quos nihil audendum est*. *Igitur si conjecturis & ratiunculis humanis ultra progredi quisquam Theologizans praesumpserit*, *quidni protinus turpiter seducatur*, *ut seducat insequentes? Deficiente enim non sufficiente scala Scripturarum*, *qualis altera comparabitur scala ad altiorem de Deo cognitionem attingendam? Conferamus nunc ad divinas voluntates non revelatas nobis coelitus*, *sensum cujusve Theologi*, *quantumvis Elevati: nullus dubitaverit*, *quod ad illas coecior sit*, *quam coecus ad colores*. *Propterea si de altis istis*, *& non revelatis veritatibus voluerit hujusmodi Theologus judicare; aut praesumptione raptus*, *aut pudore oppressus*, *si non ad omnia quaesita sibi responderit*, *quis non videat quam profundam sibi aliisque erroris abyssum paraverit?* Addit etiam (quod utinam nonnulli in penetralia cordis reconderent) *Quanto securiori humilitate responderent in multis*, *Nescio: Deus scit*, *& cui Deus voluerit revelare?* In subsequenti etiam Epistola paria tradit, inquiens: *Quanto consultius erat uti bene inventis*, *quam dum quaeruntur invenienda*, *nec illa afferre*, *quin etiam subvertere bene jam inventa? Sufficiat interim mihi*, *meique similibus*, *sobria in humilitate uti bene inventis*. *Abscedat omnis pomposa super insolitis arrogantia*, *ne multiplicemus loqui sublimia gloriantes*. *Sequamur tritum*

iter

iter commodius plane, & ab errorum scandalorumque discrimine remotius. Tot habemus Sapientiae salutaris fontes vivos; ne quaeso, cisternas dissipatas fodiendo, nos casso, immo stulto, labore fatigemus. Quam postremam sententiam adhibuit, ut supra vidimus, etiam Sanctus Pius V. in sua Constitutione de Conceptione Deiparae. Et ecce quam apposite ad rem nostram Gersonius & Novatores pios, & Novitates Opinionum castigat, atque a Scholis, eoque magis a Populi auribus amotas cupit. Agnoscebat enim vir magnus, facile ex hujusmodi licentia dogmata nimium male sana effluere posse. Et ad *Superstitionem* quod attinet, jam Sanctus Thomas haec jamdiu nos docuit 2. 2. Quaest. 92. Art. 1. *Superstitio est, quando traditioni humanae Religionis nomen applicatur.* Utique rectissime. Nam ut monuit Sanctus Augustinus Libro de Ver. Religione Cap. LV. statuenda non est *Religio in phantasmatibus nostris.* Luculentius etiam mentem suam expressit idem Angelicus Quaest. 93. ibidem, artic. 2. scribens: *Si quid est praeter Dei & Ecclesiae constitutionem, quae secundum Augustinum in Epistola 86. pro lege habenda est, totum hoc reputandum Superfluum & Superstitiosum.* Et nos sane parum laudandi, quoties novitatem ubique desiderantes, contemtis aut neglectis solidis Pietatis exercitamentis, nuperas quasdam Devotiunculas quantis possumus nervis promovemus, atque in iis statuimus summam spem gloriae aut praemii coelestis.

Age vero ad haec principia exigamus *Votum Sanguinarium* Parthenotimi nostri, & Cusentinorum. Credere, hoc est Opinari, sive persuadere sibi, Virginem sine macula fuisse conceptam, ad Cultum ordinatum Dei ac Virginis merito pertinet, quia sufficientes ac Probabiles rationes humanis ingeniis adsunt, ut huic Opinioni, postposita contraria, adhaereant, ac praecipue laudante illam Ecclesia. Ad eundem quoque Cultum legitimum spectat celebrare Festum Conceptionis *secundum Piam istam sententiam*, quum sufficientes rationes Ecclesiae adsint, ut huic Opinativo cultui suffragium ac favorem praestet: quod & illa quotidie praestat in probandis Festis tot Sanctorum, aut Reliquiis, aut Miraculis, quae extra Fidei pomoeria sunt, sed jure intra fines Religionis prudentis versantur. Hucusque recte negotium procedit, & nihil agitur praeter aut contra mentem, aut consuetudinem Ecclesiae; atque omnis *Superstitionis metus abest.* Si vero quisquam hosce limites supergressus, vovere etiam audet, se Sanguinem & Vitam daturum propugnandi caussa hanc ipsam de Conceptione sententiam: en *Excessum Pietatis*, en *Cultum inordinatum Dei*

& Ma-

& Mariae, & consequenter *Superstitionem*. Quippe negari non potest, quin hoc sit *praeter Constitutionem Ecclesiae*, quum post Annum 1600. inconsulta eadem Ecclesia, tum Novitium hoc Votum, tum aliae periculosae, aut ineptae, aut temerariae sententiae de variis Deiparae praerogativis emerserint: quae omnia ignoravit antiquitas, neque Ecclesia unquam probavit: Immo *contra Dei praeceptum & constitutionem Ecclesiae* Votum ejusmodi prodiit. Etenim divina lex prohibet, pretiosum Vitae nostrae depositum discrimini exponere pro tuendis quibusvis Opinionibus, quamvis piis; & rursus Ecclesia Scotisticam sententiam nunquam agnovit, nisi Probabilem & Piam, ac sibi de ejus Veritate judicium reservavit. Atqui voventes adeo Certam, quanquam repugnante Ecclesia, illam contendunt, ut non secus ac pro Fidei Articulis, jugulo suo pro illius tutela pugnare instituant. Deformitatem hanc & ipsi Ethnici sensere. Certe Cicero Academic. Quaest. Lib. IV. *Sapiens*, ajebat, *multa sequitur Probabilia, non comprehensa, neque percepta, neque assensa, sed similia Veri: quae nisi probet, omnis vita tollatur*. Haec prudentem Ecclesiae oeconomiam confirmant, admittentis etiam Probabilia in Cultum Dei, illiusque Servorum. At is alibi elegantissime carpit improvida ingenia, quae Certitudinem statuunt, ubi minus decet: *Quid enim*, inquit, *tam temerarium, tamque indignum Sapientis gravitate atque constantia, quam quod non satis explorate perceptum sit & cognitum, id sine ulla dubitatione defendere?* Graviorem quoque Tullio Scriptorem audi, hoc est Sanctum Augustinum, qui Libro II. Cap. XXXVI. de Peccat. Merit. haec habet: *Ubi enim de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis, clarisque documentis, cohibere se debet humana praesumtio, nihil faciens in partem alteram declinando*. Sed longe gravius, ac plane intolerandum intemperantis Pietatis ac Superstitionis genus est, pro eisdem incertis dubiisque sententiis in tormenta horribilia Mortemque ipsam incurrere velle. Neque enim Opinio illa intra Speculationis fines amplius continetur, sed in actionem descendit. Agitur heic de metendis hominum Vitis, & quidem temere ac imprudenter, quandoquidem immolandi sunt homines, ut id confirmetur, Verumque ac Certum evincatur, quod tamen Ecclesia ipsa adhuc dubium agnoscit. Agitur de Martyribus prorsus novitiis (nam & hoc suis clientibus polliciti sunt pii Novatores) quum tamen pro imaginatione tantum, non vero pro Dogmate Fidei, aut pro certo actu Virtutis, Sanguis effunderetur. En ergo, quos Lirinensis arguebat, quod *Nova quaerant, & gestiant aliquid Religioni*

adde-

addere. Additamentum sane ingentis momenti, & in quod gregis Christiani Pastores intenti sint oportet, ne invita Ecclesia nova Dogmata Fidei invehantur, ne temere Vitam suam perdant Fideles, ne denique humanis Opinionibus idem habeatur honos, atque Articulis Fidei.

Quod si non ferendum, atque a Superstitione alienum minime est Sanguinarium Parthenotimi Votum, quanquam pro Opinione probata in Ecclesia Dei conceptum: quid dicendum de altero, quod Cusentinus Populus emisit, de danda videlicet Vita pro tutela Opinionis non solum dubiae, sed omnino eliminandae e Scholis ac mentibus Fidelium? Ad finem propero, sed non ante manum e tabula tollam, quam professus fuero antiquum meum erga Panormitanos Cives obsequium, pro quorum honore ac tutela haec me scripsisse, ii ipsi, ut spero, intelligent. Neque ego eos, (quod Parthenotimus fecit) ingeniosa heic peroratione aggrediar, illorum benevolentiam & vota captaturus. Unum tantummodo efflagito: Scilicet animadvertant, quam efficaci ratione illorum constantiam in Voto Parthenotimus idem sibi procurarit: *Profecto*, ait pag. 104. *non est Saltem Certum, quod Fidei Catholicae officiat praedictum Votum ac Juramentum*. Quae hactenus ego disserui, fortassis evicerint, reapse abhorrere a Fide Catholica, atque intolerandum esse Votum Sanguinarium, ac proinde nefas esse pro illo observando mori. Attamen arripienda est haec ipsa confessio Theologi nostri, qui dum nobis dat, *non esse Saltem Certum* Voti sui vitium, tacite significat, justam saltem caussam superesse de ejus honestate dubitandi. At hoc unum quis non videat, Prudenti homini satis esse futurum, ut abstineat a Voto, ex quo Certus humanae Vitae interitus consequi posset, neque Certum est, an Deo ac Virgini res grata per illum praestaretur; immo in Voto complendo dubitandum foret, an Dei praeceptis, & doctrinae Fidei Catholicae obsisteretur? Nam quod subdit Parthenotimus, inquiens: *Ita igitur vobis id servare licebit, ut Majores vestri tradidere*. Quam in rem Canones laudat. *Traditiones praesertim, quae Fidei non officiant, ita observandae, ut a majoribus traditae sunt*, *C. Illud Dist.* 12. *Quippe in his rebus, de quibus nihil certi statuit divina Scriptura, mos Populi Dei, & instituta Majorum pro lege tuenda sunt c.* 7. *dist.* 11. Nemo e doctis Panormitanis est, qui quam absone ab isto Theologo adferantur haec, continuo non sentiat. Agunt Canones ii *de Ritibus*, ut supra innui: Agunt de Traditione non paucorum annorum, sed antiquissima, &


cujus

cujus lateant primordia: Agunt de Consuetudine, quam non pauci, sed Populus integer, divina Scriptura & Ecclesia minime repugnante, observet, a Majoribus acceptam. Atqui Votum Sanguinarium *Dogma* respicit; illudque tantummodo ante centum annos patres & avi eorum, qui nunc degunt Panormi, nasci primum viderunt, & pauci exceperunt. Accedit, quod famosae *Granatenses Laminae*, aliaeque recentes imposturae ex Hispanicis scriniis depromtae, fucum tunc fecere Panormitanis, ad omnia Pietatis officia non segnibus, quasi jam adeo Certum evasisset Conceptionis Virgineae Mysterium, ut pro ejus Veritate tuenda eculei, & atrocia quaevis tormenta, & mors ipsa, prudenter & cum laude, immo cum spe Martyrii, tolerari posse crederentur. Haeccine ergo *Traditio*, quam sacri Canones commendant? Apage. Immo inventum, ut ita dicam, heri natum; & Romanae Sedi injuriosum, quae rem dubiam agnoscit, sibique de illa judicium reservavit; & perniciosum Fidei, quum certissimis ejus Dogmatis Novatores isti pares faciant Opiniones hominum; denique contrarium divinae Legi, a qua jubemur non projicere imprudenter ac temere Vitam.

Ceterum quantis potest vocibus pergat Theologus noster revocare in mentem conterraneis suis *Pietatem ac Prudentiam Majorum in suscipiendo id genus Voto*. Ubi illi recogitent, quibus machinis ad hujusmodi Votum pertracti fuerint Majores sui, & quid Romanus Pontifex postea de Granatensibus Laminis decreverit, & quid factum de ceteris commentis, quibus larvam posterior aetas detraxit: hercle nullus dubito, quin aliter agendum rati, non minori *Pietate*, majori autem *Prudentia* a Sanguinario Voto recedant. Plaudo & ego cuicumque Panormitanos Cives hortanti, ut Pietate cum Majoribus certent, dum tamen Pietas prudens ac solida sit, non imaginaria, non in excessus improvide rapta. Si vera sunt, si solida sunt, quae hactenus adversus Votum Sanguinarium disserui, jam Panormitanos non ego, sed Apostolus his demum verbis Ephes. V. vers. 17. alloquitur: *Nolite fieri Imprudentes, sed intelligentes, quae sit Voluntas Dei*. Et quoniam de re tanti momenti, qualis est pretiosissima hominum Vita, in Panormitano Voto atque in Cusentino agitur: nemo quidem fallatur, Voluntatem esse Dei sibi persuadens, ut Vita servetur in solidae Virtutis ac Pietatis officiis exercitanda: quum ipse Deus aperte praeceperit, ne rem tantam sui juris nos arbitrio nostro abjiciamus. Contra judicio meo fallitur, & saltem judicio omnium falli possit, qui minime certus, an gratum Deo sacri-

ficium offerat, & an Ecclesia ferale hoc Votum probet, aut fit unquam probatura, in mortem certam fub fpecie Pietatis ruat. Certetur proinde voce & calamo pro tuenda Sententia favente Immaculatae Conceptioni Virginis: at Vitae hominum parcatur, dum Quaeftionem hanc dirimat Apoftolica Sedes, mentis ac Voluntatis Dei legitima interpres, cujus correctioni interim haec omnia mea demiffe fubjecta volo.

F I N I S.



FER-

FERDINANDI VALDESII

EPISTOLAE,

SIVE APPENDIX AD LIBRUM

ANTONII LAMPRIDII

DE SUPERSTITIONE VITANDA,

UBI VOTUM SANGUINARIUM RECTE OPPUGNATUM; MALE PROPUGNATUM OSTENDITUR.



EDITORIS

MONITUM.






Uod Antonius Lampridius eventurum jam praedixerat, accidit. Ubi in lucem prodiit ejus Liber *de Superstitione vitanda*, quicumque nulli partium addictus ad illius lectionem se contulit, Voti Sanguinarii deformitatem nullo negotio animadvertit. Contra qui eidem Voto favebant, aut eodem sese obligarant, continuo prodidere, quam difficile sit anticipata judicia deponere. Impensius igitur quam antea pro ipso Voto stetere. Si tanti fervoris caussam ab eis petas, una, inquient, Pietatis tutela nos movet. Non mihi irascantur, si dixero; eos ab existimationis propriae periculo & cura acrius incendi. Ingenii caussa in primis heic agitur. Fierine potest, ut tam docti viri agnoscant, & quod gravius est, aliquando fateantur, se opinione deceptos, se populum quoque, nolentes tamen, decepisse? Ad arma proinde conclamatum est undique. Panormi praesertim constitutum fuit scriptis verberare, obruere obsistentem Lampridium. Plurimi delecti ad impetum faciendum, unus post alterum, ut pugnatorum si non viribus, numero saltem terreretur, immo conficeretur infensus hostis.

hoſtis. Hactenus malae cauſae ſigna reputatae fuerant contumeliae & probra. Hiſce tamen uti pro ſua ſapientia licitum honeſtumque cenſuere ex iis commilitonibus nonnulli. Altera praeterea tutior debellandi hoſtis ratio excogitata eſt. Sanguinarium Votum pauci antea apud Siculos concipiebant. Hortamenta, preces, & quidquid roboris eloquentia praeſtat, adhibita nuper fuere, ut complures Religioſorum virorum Ordines, Canonicorum Collegia, Congregationes piorum hominum, ipſorumque puerorum, & variarum Urbium populi, in ejuſmodi Votum conſentirent, ne dicam compellerentur. Publicis etiam typis cura cujuſdam Canonici certior factus eſt terrarum orbis de tanta acceſſione Pietatis Siculae ad Votum Sanguinarium. Nihil dubitandum (ita illi imaginantur) quin ad immanem hanc Voventium copiam (quanquam ex iis plerique indocti ſint, & vel ipſi Literati momenta praecipua controverſiae hujus ignorent) contremiſcat & excidat cor Lampridio. Quid enim ille in poſterum audeat, unus adverſus tot millia hominum? Immo ſperandum eſt, ajunt illi, univerſam Italiam, Galliam, Germaniam, ceteraſque Catholici orbis Provincias, hactenus ab hocce Voto abſtinentes, aut abhorrentes, Siculorum exemplo excitatas, confertis agminibus ad illud nuncupandum convolaturas. Nam quod tot alia Siculorum millia, non minus doctrina quam Pietate illuſtria, hujuſmodi Votum damnent, aut in illud conſentire recuſent, flocci faciendum eſt. Haec illi. Interea quum ad manus meas Epiſtolae quaedam pervenerint *Ferdinandi Valdeſii* ad idem argumentum ſpectantes, de publica re me bene meriturum confido, ſi eaſdem in lucem efferam. Omnium nimirum intereſt noſſe, poſt tot Siculorum conatus, quae rationes etiam ex adverſo militent, ne in tanti momenti negotio, quale eſt Superſtitionis & inconſultae Mortis periculum, quiſquam incaute fallatur.



AU-



AUCTORIS
MONITUM.





UISQUIS tantum patientiae polliceri tibi potes, ut haec legas, unum te rogatum velim. Quo tempore priores hasce Epistolas conscribendas suscepi, breve mihi certamen ineundum arbitrabar. Verum supervenientibus novis identidem pugilibus, opus fuit non semel redintegrare proelium. Quum vero & isti eadem objicerent, aut pro se adferrent, quae jam a praecedentibus objecta fuerant, ipsaque majore etiam strepitu & confidentia urgerent: imperare mihi non potui, quo minus ea rursus ad examen revocarem. Hinc interdum oculis tuis exhibita aliis sub verbis eadem rerum facies. Tuum sit, humanissime Lector, quae pauca repetita offendes, excusare. Absolutum aedificium reficere a fundamentis, nimis mihi molestum fuisset. Ceterum quod alibi non semel protestatus sum, sincero corde heic iterum protestor. Si quid ego tum alibi, tum in novo isto agone attuli, quo extenuari posse videatur Sententia, statuens Mariam Sanctissimam ab originali labe praeservatam, eo tantum consilio, immo & ex necessitate factum fuit, ut ostenderem, quam temere, & contra mentem veterum Theologorum, ipsiusque Ecclesiae, postremis hisce temporibus Debitum *ejusdem culpae ab ipsa Deipara nonnulli excludant: quod etiam doctissimi PP. Salmanticenses antea praestiterant. Ad haec quum inter Piae Sententiae asseclas complures miren-*

tur

tur, ne dicam tacite culpent Apostolicam Sedem, quod tam suspenso gradu in ejusmodi controversia procedat: aliquid in gratiam imperitorum indicandum fuit, quo appareret, quanta sit in hoc etiam negotio Prudentia & Sapientia ejusdem Romanae Sedis. Nihil profecto antiquius illa habet, quam ut foveatur & crescat in Catholicorum cordibus legitima veneratio & amor erga felicissimam eam Virginem, quam Deus in Matrem unigeniti Filii sui elegit. Attamen probe conscia, non solum in quaestione de ipsius Virginis Matris Conceptione, sed & in omnibus aliis, quae ad Fidem Orthodoxam pertinent, quanta fieri possit maturitate esse procedendum, atque a divinis Scripturis, & Traditione Sanctorum Patrum, non vero ab ullo partium studio, neque ab indiscreta Devotione Veritatem esse petendam; in praesenti autem disputatione praegrandem quidem Probabilitatem adesse Scotisticae Sententiae, sed multa nihilominus obstare, quae postremum judicium suspendere cogunt: hactenus a dirimenda controversia abstinuit, accuratiori fortassis examini rem tanti momenti reservans, certe laudabili interea ratione Christianorum omnium pio erga Deiparam affectui consulens.

Veneranda sunt ejus Decreta; nihil eis, neque Probabilitati Piae Sententiae ego detractum volo; nihil novandum censeo. Piam, inquam, Sententiam, eique adhaerentes, ex corde laudo, neque oppugnare mihi est animus; abundant enim, quae eam persuadere possint, & nihil adversus illam militat, quod Probabilibus rationibus ab illius patronis non temperetur. Unum ergo mihi constitutum fuit, scilicet ostendere, ab ea Sententia Certitudinem *abesse, ac propterea minime ferendum* Votum Sanguinarium, *sub somniatae hujus Certitudinis persuasione conceptum. Votum sane gravissimum, quum ibi de Vita hominum agatur; Votum vergens in dedecus Religionis, quae pro tutela Opinionum mortem subire nos vetat, & in Reipublicae detrimentum, quam vitae sine justa caussa prodigi laedunt. Ejusmodi Certitudinem tribuere Piae Sententiae, eamque argumentis ac rationibus tueri, unicuique licet. Sed quando eo usque prolabitur ingenium hominum, ut quod Certum arbitratur Meditatione, quae fallax esse possit, Vitae etiam profusione confirmare velit: tunc non solum licet, sed Religionis, Ecclesiae, & Reipublicae interest, tam improvido consilio obsistere. Tum solum Certa res erit, quum Certam Ecclesia decernet. Istam ergo Protestationem ubique repetitam volo. Si quid in necessitate pugnandi adversus male consutum Votum pro avertendo scandalo mihi excidet, non ad minuendam Piae Sententiae Probabilitatem, ac Privilegia a Summis Pontificibus in eam collata; sed unice ad prodendam ejusmodi Certitudinem sine bonis tabulis venditatam,*

tam, adbibitum scies, Veritatis cupide Lector. Tuum postea erit decernere, justiusne ego pro doctrina Ecclesiae, pro gloria Sedis Apostolicae decertarim; an qui judicium de ista Quaestione a Romanis Pontificibus sibi reservatum usurpantes, Sententiae nondum Certae illud obsequium, & Vitae sacrificium praestari posse credunt, quod Sententiis ad Fidem spectantibus unusquisque Fidelium debet. Quotiescumque agitur de Dogmatis Fidei, auctoritas Ecclesiae nobis ea proponentis, quum coelitus sit immunis erroris, de rerum Veritate certos nos facit, neque ulla nobis dubitatio superest, quin tunc Tyranno instante vitam pro Certa Veritate dantes Deo placeamus. Verum donec Ecclesia geminas contrarias de Conceptione Sententias vigere sinit, neque hactenus Thomisticam improbavit: quidnam justificare possit eligentem mori pro Pia Sententia, non video. Certa Veritas ibi desideratur, neque privata Persuasio prodesse possit, quum audienda sit ante omnia Ecclesia, quae secus judicat, nullum hactenus agnoscendo Peccatum *aut* Errorem *in opposita Opinione. Deficiente autem Certa Veritate in Pia Sententia, & periculo errandi inde nondum sublato, a Superstitione difficile absit, quisquis pro ejus tutela Vitam suam impendere velit, quum Bonum maximum & Certissimum pro nondum Certo commutare audeat, & Vitam temere projicere grave sit crimen.*

Atque haec praefari opus fuit. Si vero quemquam in posterum aestus continuandi proelii invadet (vix enim aliud ab animis tanta affectuum commotione agitatis est expectandum) rogatum te velim, Lector, ut animadvertas, qua ratione ipsi iterum decertent. Nam ubi, dimisso praecipuo Quaestionis hujus negotio, ad parerga, ad contumelias, ad creandam adversario invidiam deflectant: pugnantes irrito labore facile deprehendes. Rursus ad controversiae nucleum quod attinet, non antea tibi judicandum erit, quam certus sis, collatione peracta, fideliter expressa fuisse, quae ego attulerim, sive veterum dicta, sive rationes atque momenta ad controversiam hanc dirimendam in primis idonea. Nisi enim mihi nimium blandior, eo res adducta est, ut in agonem ultra descendendum minime videatur, tibique satis suppeditatum sit ad dignoscendum, quam temere Voto Sanguinario Siculi sese obstringant. Ad te denique conversus, te humili prece alloquor, quicumque Piam Sententiam amplexus es, aut es amplexurus. Perge sub ea consideratione devoto cultu, scriptisque etiam, si lubet Deiparam Sanctissimam tibi devincire; sed oculos a Magistra omnium Romana Ecclesia ne unquam averte. Hujusmodi Sententiam illa laudat, eique multiplici patrocinio favet: in ipsa tamen Certitudinem nondum agnovit, & ridendi sunt

Haeretici, qui ſecus de illius Decretis judicant. Cur tu privata ingenii ambitione Prudentiam tot Romanorum Pontificum contemnere velis, uſque adeo ut quod ii nondum Certum habuere, tu Certum praefracte tibi perſuadeas, immo pro imaginaria hac Certitudine tuenda Vitam tuam, quaſi pro Dogmate Fidei, vovere audeas? Viri probi ac prudentis eſt in abſtruſis ac difficillimis quaeſtionibus ſe ad normam componere Eccleſiae, quam ſequentes nunquam errabimus. Huc pertinet Breve quoddam GREGORII. XV. Pontificis Maximi, cujus ſenſa omni veneratione digna utinam, uti par eſt, tua quoque facias. Ad Margaritam a Cruce Regis Catholici Amitam Sanctimonialem *ſcriptum illud fuit.*

GREGORIUS XV.

„ DIlecta in Chriſto filia nobilis mulier ſalutem &c. Latius plane „ & felicius regnas arctis Monaſterii finibus concluſa Chriſto „ inſerviens, quam ſi ampliſſimas regnatricis Domus tuae provincias „ ditione teneres. Principibus enim homines quidem plerumque coa„ cti obtemperant; at iis, qui Crucem ſceptris praetulerunt, Coelum „ ultro favet, & Angelici coetus famulantur. Proinde nulla nobis gra„ tulatio carior accidit, quam tua, cum in tuis religioſis precibus „ maximum nobis praeſidium eſſe credamus ad Chriſtianae Reipubli„ cae dignitatem amplificandam. Tuam igitur obedientiam libenter „ excipimus, caſtiſſimum iſtud ſanctitatis domicilium authoritate noſtra „ tuebimur, ac ſuper illud Apoſtolicae benedictionis divitias liberali„ ter effundimus. *Gaudemus praeterea te de Beatiſſimae Virginis Con„ ceptione tam ſollicite cogitare. Sed quae cauſſae Pontifices Romanos „ anteceſſores noſtros retardarunt, eaedem nobis impedimento ſunt, quo„ minus poſſimus pietati tuae ea in re gratificari. Iis, quae Spiritu „ Sancto afflante Apoſtolica authoritas decernit, acquieſcere aequum eſt „ Nobilitatem tuam; quae exiſtimare debes, melius Virginem ipſam co„ li diverſis Opinantium ſententiis, in unum tamen obſequentium vo„ luntate ſtudium convenientibus.* Deus, cujus vicem licet immerentes „ gerimus, noſtram benedictionem, quam tibi impertimur, omnipo„ tenti authoritate confirmet. Datum apud Sanctam Mariam Majo„ rem 12. Julii MDCXXI. Pontificatus noſtri Anno Primo.

CLA-



CLARISSIMO VIRO, AMICO DULCISSIMO

D. GREGORIO AZEVEDO

FERDINANDUS VALDESIUS S.P.

EPISTOLA PRIMA.



UAE mihi nuper contigerunt, ad te prescribere, mi Azevede, volupe est. Vacare quippe mihi tandem datum fuit, & in delitioso rure posse per aliquot dies consistere. Quare tecum nunc sum, te alloquor, datamque fidem libero. Secunda navigatione Neapolim appuli. Carolo Rege, Maria Amalia Regina nihil benignius, nihil amabilius reperi. Eadem, quae olim, erga me Marchionis sive Ducis de Monte Allegre, & Cajetani Boncompagni Ducis Sorae, humanitas & benevolentia. Marchionem Tanuccium tuo nomine adii. Illustrissimo quoque Galliano & Clarissimo Canonico Mazochio salutem plurimam verbis tuis dixi. De te, de studiis tuis, de iniquitate fortunae, proh Superi, quam multa, quam dulcia! Urbem hanc non semel interea perlustravi, atque impedire minime potui, quin apud me Madritum, quin Hispalis ipsa prae illa decresceret; quantum vero, ne rescire velis quaeso. Alia tu fortassis hac de re a me

 expe-

exspectes; ego vero quod pluris facio, quod maximum est, narratum pergo. Tute ipse, ut reor, laudabis, quod quisquiliis contemtis, quae nunquam somniasses, ingentis gaudii argumenta communia tecum velim. Ad Sanctorum Apostolorum, sexta post ingressum meum in hanc Urbem die, pergebam, medius inter Clarissimos Jurisconsultos: *Josephum Aurelium de Januario*, & *Franciscum Rapollam*, quos honoris caussa commemoro. Obvios habuimus Fratres duos Minores Observantes. Dum eis salutem adprecarentur comites mei, excidit eis ab ore nomen *de Luca*. Consisto ego, & sitne ille *P. Joannes de Luca*, anxius percontor. Isdem, ajunt. Tunc ne ulla quidem ab amicis venia petita, ad Religiosum virum actutum advolo. Tune ergo (Italicis verbis laetabundus illico exclamavi) Tune ergo Pater de Luca, de quo multa mihi fama nuntiavit, & cujus nomen apud Hispanam quoque gentem sonat? Ego sum, inquit. Tum ego: Bene mihi Deus voluit, quod Neapoli inopinate in te incurro, quem Romae quaerere constitutum mihi fuerat, anteaquam ab Italia abscederem. Quisnam ego, & unde essem, subinde ille sciscitatus est. Ex interiore Hispania missus huc adveni, ex Regno videlicet, ubi potentissimo Regi nostro Philippo tu perquam notus, & a Literatis viris summo in honore habitus celebrior fortassis es, quam apud Italos. Verum inopportunus hic locus. Sine hoc te exorem, ut cras mihi liceat ad Coenobium tuum adventare, mellifluoque tuo sermone, & Magistrali scientia tua aliquantisper frui. Annuit ille, & abiit; ego vero ad amicos regressus, laetior quam antea reliquum diei honestis ac eruditis colloquiis una cum iis transegi.

Sequenti die orto jam Sole, & viae duce mihi conducto, festinus per longum iter ad Monasterium doctissimi viri profectus, in ejus cubiculum humanissime exceptus intravi. Parata super ignitos carbones Cocolata fumabat. Immisso ligno rapidis manibus hinc inde agitata ubi spumam concepit, e vestigio in geminos cantharulos non una vice injecta, sorbentibus nobis voluptatem, simulque vires ad colloquendum adauxit. Tunc ego: Quae me anxia cupiditas urgebat, Reverende Pater, te audiendi, tecum colloquendi, inde nata, quod, ut audivi apud Hispanos meos, in tua unius doctrina sita si spes universae Catholicae Ecclesiae. Spes inquam fore, ut nimium dilata, semperque exoptata definitio Controversiae de Immaculata Virginis Conceptione ab Apostolica Sede tandem procedat. Satis quidem compertum habeo, non deesse reluctantes, immo ex quo Neapolim veni; rumores accepi, erupisse pridem e faucibus, ut opinor, infernalis

lis baratri, Libellum cujusdam (nomen nequaquam teneo) qui *de Superstitione vitanda* agit, in quo fertur Piissimam, immo Certam ex omnium consensu Sententiam in dubium revocasse. Nobisne inde formidandum? & quaenam ratio retundendae & compescendae in posterum ejusmodi audaciae ac temeritatis? Heic insurgens eximius Theologus, & manu aperta tabulam percutiens: Bono, inquit, sis animo. Quod est ad insulsum illud & omnino futile Lampridii Opusculum, gemino brachii mei ictu jam confossum attritumque puto. Uno brevi Prologo galeato a me in lucem emittendo, omnes ejus nervos (si vel unum tamen habebat) minutatim resecabo. Immo illud ipsum, antequam nasceretur, jugulaveram in Dissertatione mea *de Immaculata B. Virginis Conceptione* Anno 1739., heic publici juris facta, quam, ut arbitror, cum voluptate legeris, & *Libellatorem* quemdam a me tanta felicitate prostratum animadverteris, ut si is antea ad mortem non festinasset, prae verecundia diutius vivere non potuisset. Ad haec ego: Notam mihi Lucubrationem tuam, Reverende Pater, legère quidem, quum in Hispaniis versabar, vehementer concupivi, laudibus nempe multorum cumulatam; sed quia vix illuc delata pauca exemplaria ab avidis Literatis hinc inde statim arrepta fuerunt, nullus mihi relictus fuit ad Librum adipiscendum locus. Postquam vero Neapolim veni, tantus in me ingruit negotiorum nimbus, ut hactenus pacatum animum ad tantam rem adhibere nequiverim. Tum Pater de Luca: Ad Bibliopolam Mutium ergo perge, & Armamentarium tibi para adversus omnium hac de re cavillationes, quas Deo dante penitus exsufflavi. Attamen nescio, an subdubitans, essemne Librum emturus, atque in hac arena invictus pugil ex ejus lectione evasurus, in cathedra compositus, compressisque aliquid agitans labris, in haec verba postea erupit.

Quanquam in ea tempora incidimus, quibus aut stolidi, aut pervicaces homines nec doceri, & si opus sit, dedoceri se minime patiantur: te tamen pro merito probae tuae voluntatis, paucis afflare verbis constitui, quae ubi altius memoriae mandes, te in exiguum Martem facile transformabunt. Dic ergo conterraneis tuis, Quaestionem de Immaculata Deiparae Conceptione jamdiu fuisse sublatam. Nondum ii satis perspexerunt: perspexi ego, atque caussam Scotistis adjudicatam meridiano Sole clarius ostendi. Idque decretum Apostolica Sedes, velit nolit, jamdiu pronuntiavit. Quid stupenti similis me intueris? Aures mihi accomoda. Nonne Conceptionis Festum ac Officium comprobavere Romani Pontifices? Inficiare, si potis es. Quod

plus

plus est, Alexander VII. *secundum Piam* Scotistarum *Sententiam Festivitatem solemni ritu celebrari* testatus est. Praeterea in Officio ipso *Dignissima* & *Sancta* appellatur eadem Conceptio, hoc est momentum illud, quo infusa est in Corpus Virginis Beatissimae Anima. Argumenti vim nunc perpende. Si *Dignissima*, si *Sancta* est, Ecclesia universa canente & fatente, *Conceptio* Virginis: ergo culpam omnem excludit, & gratiam & Sanctitatem designat perpetuam comitem Conceptionis, eique affixam & inhaerentem. *Quam qui negat, is non modo Ecclesiam contemnat necesse est, sed etiam Rationis usum prorsus amiserit; quippe qui facilis invictique argumenti nec vim percipiat, nec veritatem hujus Mysterii, quod tanto in lumine collocavit Ecclesia caecus adhuc & stupens intueatur*. Nervose, optime, invincibiliter: tunc ego complodens exclamo. Atque is: Jam audieris, me in uno Opere meo *Perfectius* dedisse, quidquid hactenus ad Immaculatae Matris honorem tot tantorumque Theologorum elaborarunt Ingenia. Infantem, immo infantissimum appelles, qui nuper est ausus de Superstitione scribere, & cum gigantibus congredi pumilio ridendus.

Continuato deinde sermone dicere perrexit: Potissimum vero, quum exertis armis in *Libellatorem*, *miserum Magistellum*, *vilem homuncionem*, insilui, tum illius cornua fregi, tum Piam de Conceptione Sententiam, quam paucis exceptis nemo nunc est qui non amplectatur, firmissimam, Certissimam, & Romanae, immo & universae Ecclesiae suffragio definitam evici, postquam ineluctabilia, quae ex Conceptionis Festo consectaria fluunt, in medium protuli. Jam celebri Decreto, ut ajebam, Alexander VII. indicavit & edixit, institutum a tot Saeculis Festum illud, ac deinde ab Apostolica Sede confirmatum, pertinere ad cultum Virginis *secundum Pietatem sentientium*, *Virginem a macula peccati originalis praeservatam immunem*; seque huic *piae*, *devotae*, & *laudabili institutioni*, & *Festo*, *ac cultui secundum illam exhibito favere* velle. Quare vides, Pontificem declarasse *Objectum* Ecclesiastici cultus, *qui numquam est in Ecclesia*, ut idem Pontifex subdit, *immutatus*. Consequenter festus Conceptionis dies non *Sanctificationem* Deiparae, sed ejus ab originali macula *Immunitatem respicit*. Nunc mecum procede. Cultus Dei atque Sanctorum, mandato Pontificis toti Ecclesiae propositus, ab eaque obedienter & rite acceptus, *Est aperta professio Fidei*. Atqui Ecclesia in deferendo publico Cultu ad Religionem pertinente, hoc est *in Fidei professione*, & *in regula morum* Christianis tradenda, *errare non potest*; quippe *columna* & *firmamentum Veritatis* a Deo constituta: Ergo

go neque errare potuit in instituendo, sive probando Conceptionis Festo secundum Piam, hoc est secundum Scotisticam Sententiam. Et sane si Romanus Pontifex in his mandandis & statuendis unquam falleretur, nihil esset errore illo detestabilius. Quibus constitutis, jam vides, jam manu tangis, diremtam fuisse dudum controversiam de Immaculata Conceptione Virginis. Immo in aurem tibi dicam, quod nisi amicis, & quidem paucis, revelare consuevi. Scilicet invictissima argumenta mea eo rem perduxere, ut jam Sole clarius appareat, Virginis Immunitatem manifestum Dogma Fidei evasisse, illudque a Cathedra Petri stabilitum. Modeste tamen unum ego statui, hoc est ejusmodi adversarios ex *Conclusione Theologica errantes* tantummodo esse appellandos, & nondum Veritatem hanc ad Fidei Articulos fuisse deductam, ne puerilis inscitiae Apostolicam Sedem arguerem, quae non videt, aut se minime videre fingit, jam ab Alexandro Pontifice decisum, quod pervicacia paucorum adhuc indecisum impudentissime contendit. Sed quicunque Logicae ac Theologiae non perfunctorie operam dedit dum lucubrationem meam attente legat, nullo negotio intelligit, jam omnem sublatam fuisse dubitationem de triumpho victricis Piae Sententiae inter Articulos Fidei computandae. Invictis aliis argumentis rationibusque haec ego roboravi, ut in desperationem adversarios adduxerim, & *nesciant miseri quo se vertant, quum ad hunc locum argumento coacti impingunt, nempe ad Ecclesiae auctoritatem. Dolis quidem & fallaciis utuntur, ut evadant; at ego omnem eis jam eripui cavillandi licentiam*. Et quanquam Haereticos eos appellare, a Pontificiis decretis absterritus, ausus non fuerim, eos tamen *errantes*, *stupidos*, *non sani capitis*, firma voce, typisque publicis pronuntiare, uti merebantur, non dubitavi. Tum hasce rationes & argumenta mihi qua potuit majori brevitate commemoravit.

Talia mihi audienti cor prae laetitia artem faciebat ludicram. Ubi vero is loqui desiit, subdidi ego: Argumentorum tuorum, admodum Reverende Pater, cataphracta acies hercle tanto robore incedit, ut ne sexcenta quidem armatorum millia contra te stare, ut arbitror, auderent. Sed dic amabo: quum Sententia nostra in tanto lumine collocata jam sit, tua praesertim opera, qui non visa ab aliis lynceo oculo vidisti ac revelasti: cur Romana Sede tanta Veritatis luce perculsa, tot Catholicorum Regum nostrorum, & gentis Hispanicae, doctissimae & piissimae precibus fatigata, nondum clarissimo & apertissimo quoquam Decreto eandem stabilivit? tacito enim Decreto, ut tu evicisti, jam ipsam consecravit. Cur abstinuit a declarando Mysterio

rio immaculati Conceptus *ut rem de Fide*, *vel saltem infra fidem*, *sed cum Certitudine aliqua infallibilis Veritatis?* nam, & hoc, uti audivi, oblato ante paucos annos Regio nomine supplici libello impetrandum curastis a Clemente XII. Pontifice Maximo. Heic ille subiratus, detracto sibi e capite pileolo, & in latus projecto, submurmurare coepit, ac tandem infit: Cicadae ventrem noli quaeso, bone vir, ultra titillare. Hoc unum habeto. Justum, necessarium erat, ut Apostolica Sedes in petitionem nostram consentiens, expansis velis ad expetitum Decretum procederet. Verum *antiquus Deiparae hostis*, *calcaneo illius semper insidiatus*, *homines quosdam ita spiritu Insaniae exagitavit*, *ut ad veterem cantilenam redeuntes*, *Summorumque Pontificum auctoritate neglecta*, *suam facerent Serpentis caussam*, & bene coeptum negotium perverterent. Sed quei, reponebam ego, Pontifex contemtores, ut ais, Pontificiae auctoritatis nobis ejusdem assertoribus antepofuit? Quia, inquit, desideratus est, qui invictissimas á me postea excogitatas rationes proferret, & sycophantas illos ac deliros prosterneret; uno hoc nomine quippe ii digni sunt. *Quis enim judicium & sanitatem mentis in illis agnoscat*, *qui quasi nihil a tot summis Pontificibus ad Piae Sententiae vel tutelam vel ampliationem*, *collatum esset*, *intolerandam Blandelli & Spinae temeritatem* imitari pergunt? Auctor tamen sum tibi, ceterisque Hispanis, ut meliora sperent, & quidem brevi. Si fama non me fallit, eam vim in Libro meo plerique sentiunt (neque Romanos ipsos excipio) ut quovis pignore contendam, proximum tempus esse, quo victas dent manus, quum jam vel ipsi terrae cardines ad fulmina ex eo Libro erumpentia contremiscant. Fremat licet tortuosus coluber, non diu stabit; sub hac manu prostratus, sub hoc ense (& calamum digitis apprehendit) Caelo plaudente cadet. Neque plura loquutus est. Ego post humilem gratiarum actionem abii. Studium tuum, Amicorum optime, satis novi pro honore Deiparae, pro tutela Immaculatae Conceptionis. Religioni mihi duxissem, quae fausta hac in re mihi contigerunt, diutius celare te, ac per te reliquam gentem nostram. Vale.

Ex suburbano Neapolis XII. Kal. Junias Anno MDCCXL.

Doctissimo, & amantissimo Azevedo suo Valdesius S. P.

EPISTOLA SECUNDA.

LAUREATAS nuper ad te dedi Literas. Vide nunc, quam fluxa sit mortalium conditio, quam proximus sereno nubilus dies. Post aliquod tempus non mediocri cum delectatione rure transactum, Neapolim regredior. Quo in loco res meae essent, inquirere prima cura fuit. Otii aliquantulum nactus, die quadam a prandio, revisendi Patris de Luca cupidus, sumto pallio ex aedibus descendebam, quum fores pulsantur. En Romanus quidam vir doctissimus; *Abbatem* appellant, quanquam nondum ullius Abbatiae fercula liguriat. Ejus nomen a me ne pete; quippe prodere piaculum grande putarem, Sacramento ad reticendum obstrictus. In ejus vero amicitiam adduxerant me Amicorum literae, eumque carissimum habebam, quod non solum sacra Eruditione foret excultus, sed etiam in studiis suis unius Veritatis amore duceretur. Exhibuit se ille mihi ducem, quocumque essem profecturus; & jam progressuri eramus, quum ex inopinato nos sistit idem Pater de Luca superveniens, ut me pro sua humanitate inviseret. In conclave ascendimus; multa ibi confabulatio de paucis, quos Scotisticae Sententiae infestos tu quoque nosti; novisque telis *Libellator* rursus impetitus. Inter alia nuntiavit ille, se diu dubitasse, num arma converteret in quendam *Antonium Lampridium*, nullo sibi negotio vincendum, parum laudis, nisi etiam dedecus sibi metuens in confutando homine, qui in solida Theologia plane hospes, nihil nisi ineptias & sophismata Lectoribus suis propinat. Discessurus impetrare a nobis minime potuit, quominus ipsum ambo ad Coenobium suum Sanctae Mariae novae deduceremus. Vix autem inde pedem extuleramus, quum ad me conversus Romanus Abbas, fixisque in me oculis, fallorne, inquit, an prae gaudio exsilire mihi videris? Tunc ego: Invidendae felicitati aedepol mihi tribuo, in clarorum virorum amicitiam adrepere posse, atque istius praesertim, quem sibi in maximo negotio Patronum gens nostra delegit. Immo, subdidit ille, tantarum virium, ut unus certamini huic idoneus videatur. Heic ego: miror sane, quae dicis. Si irridendi caussa: liceat dicere, pudorem in te desidero.

sidero. Ejus Libros tam avide ab omnibus conquisitos nondum legeris oportet. Ad haec ille: Ain Libros? Quin Opusculum unum dicito sodes. Atque istud mihi est, a quodam necessario meo ante paucos dies dono oblatum, illudque non semel legi. Si non semel legisti, reponebam ego est cur Libro illi gratuler; neque enim nisi Libris optimis tantum honoris defertur, ut pluries legantur. Immo contra, ajebat ille, lectionem iteravi, ut quae in eo prava sunt multa, certius perspicerem. Scriptor enim ille, ut sincere tecum loquar, bonam caussam a se susceptam, deteriorem incaute effecit, suoque labore plausum fortassis apud imperitos, non vero apud cordatos doctosque viros, sibi paravit. Equidem haec audiens temperare ab iracundia vix poteram; neque inficias ibo: non levis inter nos oborta est altercatio: At ille: Verba abeant. Tu in hujusmodi controversia judicem, ut video, me recusas; neque immerito. Ego contra te judicem volo. Dum grave tibi non sit ad meas aedes cras accedere, ubi una cum aliis Libris me ac Librum Patris de Luca invenies, ibi ad tuum tribunal stabo. Annui, junctisque demum dextris ab eo discessi.

Postera luce amicum virum adii, fluctuante tamen inter spem & metum animo. Post consueta humanitatis officia arripuit Romanus Abbas Patris de Luca Librum, atque hisce exordium fecit. Patrocinium suum religiosus iste vir, ut nosti, Piae Sententiae de Immaculata Virginis Conceptione commodavit. Animum ejus, Sententiam ipsam laudo: atque utinam is uti ingenium, ita & Prudentiam uberiorem ad hujusmodi certamen adferre potuisset. Non attulit certe: quod ego jurene an injuria eidem objiciendum putem, faciam nunc ut intelligas. Multas congesserat caussas *Libellator* (ita eum doctus Minorita, hispido sane vocabulo, appellat) cur summo Pontifici abstinendum foret ab agitanda ulterius, eoque plus a dirimenda quaestione de Conceptu Deiparae. Neque utile id, neque necessarium; & difficultates occurrere non paucas; imminere etiam pericula. Quid heic Theologus Venetus? Primo statuit, ab Alexandro VII. solemni Constitutione proditum fuisse, Virgineae Conceptionis Festum diem celebrari, & celebrandum esse *secundum Piam Sententiam*, illorum videlicet, qui *animam Virginis in primo instanti creationis atque infusionis in Corpus a macula peccati originalis praeservatam fuisse immunem* tradunt. Tum contendit, *non posse Ecclesiam errare in publico Cultu ad Religionem pertinente; adeoque quod colitur ab Ecclesia universa, id certo verum & sanctum est, falsumque esse non potest.* Variis ille mo-

modis hoc ille infra repetit & refricat, inde postea Conclusionem hanc deducens: Scilicet. *Cultus Objecto jam designato per Alexandrum Pontificem, ab Ecclesia teneri Sententiam Piam, non tanquam Probabilem, sed tanquam Certam, atque adeo Certam, ut ei Falsum subesse non possit.* Ad haec, quandoquidem in Horis Canonicis Conceptio Deiparae *Dignissima* & *Sancta* appellatur, hisce epithetis, tam firmo veluti sigillo Veritatis ac Certitudinis, constabilitam vult Marianae Immunitatis Sententiam, ut qui neget, *Rationis usum prorsus amiserit.* Ita ille. Quod quum audis, ne arbitrere, illum novis & numquam adhibitis armis in contentione ista usum fuisse. Eisdem, & majori quidem cum judicii usu, longe antea certaverat Joannes Eberardus Nidhardus, e Societate Jesu Theologus, postea Cardinalis, cujus scrinia expilasse videtur novitius iste Scriptor, exorsus etiam ex verbis S. Hieronymi Ep. 142. ad S. Augustinum, a Nidhardo usurpatis, sed nulla illius facta mentione. Compone nunc, amice vir, cum istius Theologi placitis, quae summus ipse Pontifex Alexander VII. in eadem Bulla edixit. *Vetamus*, inquit, *Sixti IV. Constitutionibus inhaerentes, quempiam asserere, quod propter hoc contrariam Opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, Haeresis crimen, aut mortale Peccatum incurrant, cum a Romana Ecclesia, & ab Apostolica Sede nondum fuerit hoc decisum, prout Nos nunc minime decidere volumus, aut intendimus. Quin potius contrariam illam Opinionem haeresis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, praeter poenas, quibus eos subjecit Sixtus IV. aliique praedecessores nostri Romani Pontifices, gravioribus aliis poenis subjicimus, quas in contrafacientes huic nostrae Constitutioni superius infliximus.* Sixti IV. Pii V. Gregorio XV. in hanc rem praecepta nihil attinet heic recensere.

At hisce positis judicium tuum nunc appello. Quodnam, rogo, aliud agi tanto conatu tanto aestu, doctissimus iste Theologus, nisi ut ridendam effuso ore exhibeat malevolis hominibus Apostolicam Sedem? Disertis verbis Pontifices maximi pronuntiant, nolle se dirimere ferventem inter Thomistas & Scotistas controversiam, liberumque sinunt unicuique sentire heic, prout sibi persuasum fuerit. Contra voce imperterrita clamat Theologus tuus, jam ipsius Alexandri P. M. decreto, & universae Ecclesiae consensu, post institutum sive probatum Conceptionis Festum, ita pro Veritate ac Certitudine Piae Sententiae pronuntiatum, ut de ea amplius ambigere non liceat, & sine dubitatione sit falsa contraria Opinio, atque Errore, Inscitia, immo

& Insania abundet, qui in ea consistat. Exitum heic nullum alium video: aut errat (ne graviori verbo utar) Apostolica Sedes, & Ecclesia, dum idem simul affirmat & negat; aut errare dicendus est athleta tuus, dum haec Romano Pontifici affingit. Utrum ex his eligas, diserte edicito. Fierine potest, ego heic silentio fracto ajebam, ut tantus vir aut ignoraverit, aut dissimulaverit intestinum hujusmodi bellum inter Decreta Alexandri, aliorumque Pontificum, suamque doctrinam? Profecto reponebat Romanus, hoc ille minime ignoravit, neque tacuit; sed elabi se posse est arbitratus, scribens, *Ecclesiam sibi non repugnare, dum Cultum adhibet Conceptioni juxta Piam Sententiam, qui sane Cultus fallax esse non potest; ac simul declarat Conceptionis Mysterium nunc se nolle decidere*. Hanc in rem Semipelagianorum exemplum profert: eos enim ad annum usque 529. Ecclesia toleravit, & denique damnavit. Ineptum plane effugium & exemplum; nullum quippe ante Synodum Arausicanam praecesserat Ecclesiae, aut Romanae Ecclesiae decretum quodpiam, quo concuteretur Semipelagianorum opinio, quum contra Theologus iste contendat, ex institutione Cultus, sive Festi Conceptionis Certam evasisse Piam Sententiam, atque inde exclusam quamcunque Falsi dubitationem, sive suspicionem; Alexander vero VII. eodem tempore & actu Festum de Conceptione probat, & nihilominus indecisam se relinquere Quaestionem profitetur. Quare iterum dico, Theologus iste aut se male rationes iniisse, aut Pontificem parum mentis compotem, prodit. Elige tandem.

At negare non potes, subdidi ego, quin duo diversa sint *Cultus*, & *Mysterium*. Ille jam definitus: istius adhuc exspectatur, simulque speratur decisio Papae. Quam callidus & tu bellator es! inquit heic Romanus. Attamen nihil nisi ludum offers. Et quidnam aliud doctissimus Minorita argumentorum suorum phalange molitur, nisi ut Lectoribus persuadeat, statuto Festo, sive *Cultu* Conceptionis, statutum simul a Pontifice *Objectum* Festi, sive *Immunitatem Beatissimae Virginis a labe originali*? Ecclesiam nempe, ait, falli non posse in publico ejusmodi Cultu indicendo; *Dogma Catholicum* hoc ille affirmat, inculcat, & ad raucedinem repetit, etiam addens §. 29. *amentem esse, qui non colligat, Ecclesiam in eo vel errare non posse, vel non errare*. Si hoc mihi das, & dare cogeris: jam ex tui commilitonis sententia nulla de *Mysterio* superest quaestio, & a Romani Pontificis Cathedra peremtorium edictum jam processit de Immaculata Virginis Conceptione. Praemissas habes; ego vero inde Conclusionem

hanc

hanc infero. Scilicet Sanctam Romanam Ecclesiam, ex decreto Magistri tui, palam risui omnium exponi, quod una eademque Constitutione quid de Conceptione Mariae sentiendum credendumque sit decernit, simulque se nequaquam velle decernere disertis verbis testatur. Et quei insipientiae, si Superis placet, ac stupiditatis notam amoliri in posterum poteris ab Alexandro Pontifice, qui controversiae huic finem a se factum negavit, neque perspexit, se dum Objectum Celebritatis postremo calculo stabilivit, Sententiam quoque Piam ad Certitudinis apicem evexisse, & contrariae Opinioni nigrum praefixisse theta? En quo inconsultus ardor pugnandi rapit; tam pravi fragore ille tuus Romanae Sedis auctoritatem dignitatemque se tueri pollicetur, neque animadvertit se de illa male mereri, seque eamdem exsibilandam quibusvis praebere. Heic autem rursus te volo. Aut summum Pontificem, aut acerrimum hunc Minoritam deceptum, & falsis principiis usum, dicas oportet. Haec tua optio est. Tunc ego: Licentiam tuam vix fero, quasi me tam perversae mentis arbitrere, ut errorem in re tanta Apostolicae Sedi tribuere unquam possim. Quam nemini concedam veneratione erga Cathedram Petri, tibi alias sancte aperui. Errorem in ea ne suspicari quidem fas est. Sed quid si neque Alexander Pontifex, neque Theologus iste decepti fuerint? Et quidni? Si bene memini, is mihi ajebat, se minime in censum *Haereticorum* propter hanc caussam referre Thomistas. Eos tantummodo sub meridiano Sole caecutire, atque in Errore versari, eorumque Opinionem Falsam profitetur. Certam jam esse Piam Sententiam *Theologica Conclusione*, non vero Ecclesiae definitione. Propterea a Pontifice Maximo paucos ante annos petitum, ut Mysterium definiret Immaculati Conceptus, *vel ut rem de Fide*, *vel ut certam infra Fidem*, *sed Certitudine aliqua infallibilis Veritatis*. Quare nihil est, quod antilogias aut in Romano Pontifice, aut in Minorita meo somnies.

Itane ergo (tunc in haec verba erupit Abbas) tu nodum solvis? Ne irascare quaeso, Amicorum optime, si haec ego ludibria appello. Totus est ingeniosus miles tuus in ostendendo, Alexandrum VII. dum Festum Conceptionis *secundum Piam Sententiam* institutum indicavit, de ipsius etiam Piae Sententiae Veritate judicasse; ita ut haec jam Certa evaserit, eaque Certitudine, quae quamlibet Falsi dubitationem excludat; ac ejusmodi Evidentia, ut *mentis expers* in posterum dicendus sit, qui eam non amplectatur. Huc omnis illius conatus collineat. Edisseras nunc velim. Quum Festum diem hunc Alexander secundum Piam Sententiam ab ejus asseclis celebrandum

lau-

laudavit, novitne, an non, illius Decreti consectaria? Si minime: intolerando ausu ignorantiae arguis visibile Caput Ecclesiae: Sin & ipse novit, jam Pontificem ex tua, sive ex Minoritae tui confessione habemus illudentem universae Ecclesiae, quando ex institutione Festi agnovit in Certitudinem & Evidentiam immigrasse Piam Sententiam; & nihilominus protestatur, *a Romana Ecclesia, & ab Apostolica Sede nondum fuisse hoc decisum: prout nos nunc minime decidere volumus, aut intendimus*. Proinde si ex Orco attollere caput nunc posset pestilens Haereticus Jacobus Picininus, osculis Theologum hunc fatigaret, eum nempe nactus inter Catholicos sibi tacite consentientem; quippe, ut nosti, impius ille Haereticus *insultat Alexandro Septimo, tamquam sibi contradicenti, ex quo in sua Constitutione dicat, se nolle Mysterium decidere, & postea, approbando Festum, illud decidit. Quid aliud est hoc (impudenter ait) nisi decidere & non decidere; non decidere verbis, & decidere facto? quod est sibi contradicere*. Heu quo tamdem devenimus! Sed & ludibrium appellandum est, summis labiis monere, nondum Ecclesiae decreto Certam de Fide evasisse Piam Sententiam, Certam tamen evasisse *Theologica Conclusione*. Fatente pugile tuo §. 26. *Piam Sententiam esse conformem Scripturae & Traditioni, argumentando colligitur in hunc modum. In rebus ad mores instituendos pertinentibus Ecclesiam falli non posse, & Verissimum est, & Sacrae Scripturae consentaneum. Colit autem Ecclesia Immunitatem Deiparae; isque Cultus ad mores pertinet; in eo igitur Ecclesiam falli non posse, & Verissimum est, & Sacrae Scripturae consentaneum. Quod si falli non potest, consequens est, Certam esse Deiparae Immunitatem, & in Libro Divino fundamentum habere &c. Immunitas igitur ab originis peccato approbata est ab Ecclesia tamquam veterum Patrum Traditioni consentanea*. Immo rectius ita argumentari debuit Magister tuus: Certum est, in rebus ad Mores & ad Cultum sacrum pertinentibus *falli non posse Ecclesiam*. Atqui Certum apud omnes est, Objectum hujus Festi esse Immunitatem Virginis, in quo Objecto statuendo *errare nequit Ecclesia*. Ergo immunitatis hujus Certitudo, *non Theologica Conclusio, sed Articulus & Dogma Fidei est;* ac proinde Haereticus futurus, qui eidem pertinaciter repugnet. Non ausus est hoc dicere Theologus tuus, *amentium* duntaxat nomine liberaliter sibi adversantes inspergens, ne in se fulmina Apostolicae Sedis pertraheret; verum ex ejus argumentatione necessario id consequitur. Si enim approbata est solenni Decreto, & publica professione in instituto Festo Pia Sententia a Sede Pontificia, atque recepta ab uni-

universa Ecclesia, tanquam Sacrae Scripturae & Traditioni consentanea; atque in hoc *errare nequit Ecclesia*, ut supponitur: per tuam fidem quid ultra exigitur, ut inter Dogmata Fidei referatur? At ego rursus insto ac repeto: Nisi turpis inscitiae per summum nefas Alexandrum VII. immo & Antecessores ejus, qui idem Festum probaverant, insimulare vis, ad fatendum etiam compelleris, ignota iis minime fuisse consectaria, quae doctus Minorita in Institutione Festi se reperisse gloriatur. Si nota erant, iique agnoscebant, Certam ex ea Institutione avadere, hoc est definiri, Scotisticam Sententiam: cur toties testati palam sunt, se illam noluisse & nolle decidere? Illusissent (iterum ajo quanquam aversante animo) ejusmodi ratione universae Ecclesiae; immo Haereticorum cachinnis, si haec stant, eripiendae Pontificiae Dignitatis nescio quis locus nobis superesset. Inanibus ergo argumentis nos pascat Theologus iste necesse est, eumque in dedecus & injuriam Apostolicae Sedis incaute, ne dicam temere conspirasse. Haec quum ille diceret, dolens ego & admirans, vultuque demisso audiebam, neque modus succurrebat exstricandi nodi. Collectis tamen viribus, dicere subiit. Sitne heic laesa dignitas Romanorum Pontificum, disputare in praesentia nolo, quanquam ad hoc credendum oratione adduci nondum potuerim. Certe quae Minorita meus de Festo Conceptionis disseruit, ac de illius consectariis, tam solida, tam bene connexa mihi videntur, ut non jam *Insanos* (quod ille facit) sed potius melioris Theologiae, ipsiusque Logicae oblitos esse putem, qui adversari audeant. Tum Romanus Abbas: Quando huc, ait, mens tua deflexit, in me suscipiam ostendere (neque fortasse Herculeis toris opus erit) a Theologo tuo fluxo in loco fundamenta jacta fuisse, ejusque molem undequaque dehiscere. Sed jam satis temporis in hujusmodi disputatione insumsimus; praestat reliqua in crastinum differre. Ita condictum; Liber Patris de Luca mihi ad legendum commodatus fuit; atque ad negotia nostra uterque processimus. Ego quoque Epistolae finem faciam, a scribendo fessus. Vale.

Dabam Neapoli X. Kal. Julias MDCCXL.

Cele-

Celebri, atque optimo inter amicos D. Gregorio Azevedo Valdesius S. P. D.

EPISTOLA TERTIA.



LTERO die ad horam ſtatam amici Romani aedes adii, periculum facturus, an ei ſat roboris eſſet ad retundendos arietes Minoritae noſtri. Hinc inde obſeptum Libris inveni, ſeque armis, ut videbatur, inſtruentem ad pugnam. Nec mora, is in controverſiam invaſit. Hoc primo, inquit, des mihi velim, fieri nimirum non poſſe, ut ſimul Alexander VII. Quaeſtionem de Mariana Conceptione deciderit, & non deciderit: quod abſurdum commentum ex improvido Theologi tui aeſtu affluere antea contendi. Extra omnem dubitationis aleam poſitum tu quoque fateberis, Pontificem minime eam decidiſſe, nec voluiſſe decidere; expreſſis enim verbis id ipſe in Conſtitutione ſua teſtatus eſt; & mentiri nequit Vicarius Chriſti. Reſtat ergo, ut fallax falſaque ſit altera pars, nempe Alexandrum re ipſa decidiſſe, ac decidere voluiſſe. Tunc ego. At ne tu quidem negare potes, quin Pontifex edixerit Feſtum Conceptionis inſtitutum fuiſſe *ſecundum Piam Sententiam*, & conſequenter firmatum ab eo Feſti Objectum, ſcilicet Deiparae Praeſervationem a macula originali. Quum vero Pontifex, ſive Eccleſia in Cultu praeſcribendo *errare non poſſit: Sanctaque*, ac *Digniſſima* in Officio ejus Feſti dicatur Virginis Conceptio: neceſſario Pia Sententia in cenſum earum Veritatum translata fuit, *quibus Falſum ſubeſſe non poteſt*. Inter praecipua vero Catholicae Religionis Dogmata tu quoque procul dubio Eccleſiam falli neſciam agnoſcis. Ad haec ille: Praerogativam hanc in Eccleſia quis Catholicorum non agnoſcit, non tuetur? Verum Romano ipſi Pontifici, atque Eccleſiae non plus tribuendum eſt immunitatis ab errore, quam ipſi velint, & recta Ratio perſuadeat. Levia ſane ingenia non deſunt, quibus quidquid ab Eccleſia praeſcribitur, ad divinam Fidem, ad Veritatis Certitudinem ſpectare creditur, ſeveriore interim Theologia ſecus cenſente, dum quae Certa, quae Probabilia ſint ſedulo diſtinguit, & quae intentio ſit Eccleſiae in tanta rerum varietate ſollicite perſcrutatur.

Age

Age vero investigemus, utrum Alexander Pontifex, Festum probans, Piam simul Sententiam statuerit. En ejus Bullam. Laudat ille *veterem Fidelium Pietatem*, sentientium, animam Virginis a macula peccati originalis praeservatam immunem, atque *in hoc sensu ejus Conceptionis Festivitatem solenni ritu colentium*. Quum in Hispaniis aliqui contrariae Opinionis assertores contra Gregorii XV. prohibitionem pergerent *tum privatim tum publice praefatam Sententiam aut impugnare, aut vellicare, & favorem a Romanis Pontificibus Cultui & Festo secundum illam praestitum ita interpretari, ut frustrentur; immo Ecclesiam Romanam huic sententiae & Cultui juxta illam Beatae Virgini exhibito favere negant:* Propterea considerans, *quod sancta Romana Ecclesia de intemeratae semper Virginis Mariae Conceptione Festum solemniter celebrat, & speciale ac proprium super hoc Officium olim ordinavit juxta Piam, devotam, & laudabilem institutionem Sixti IV. volensque laudabili huic Pietati, & Devotioni, & Festo, ac Cultui secundum illam exhibito in Ecclesia Romana, post ipsius cultus institutionem numquam immutato, Romanorum Pontificum, Praedecessorum nostrorum exemplo favere, necnon tueri Pietatem & Devotionem hanc, ut in grege unitas Spiritus in vinculo pacis conservetur, praedecessorum Decreta edita in favorem Sententiae hujus, & Festi, & Cultus* observanda decernit, variasque poenas statuit in eos, qui *favores per illa dictae Sententiae, & Festo, seu Cultui secundum Piam istam sententiam exhibitos frustrari pergant, vel qui hanc eamdem Sententiam, Festum, seu Cultum in disputationem revocare, aut contra ea scriptis seu voce loqui, concionari ausi fuerint*, cum ceteris ibi legendis, in quibus nulla vox, & ne gry quidem de Veritate, seu Certitudine Sententiae. Immo dedita opera utitur Pontifex vocabulo *Pietatis, Devotionis, Piae institutionis, Piae Sententiae*, ut secundum normam & loquelam Theologicae Scholae Fideles intelligant, non hic rem esse de aliquo Fidei Articulo, de Veritate & Certitudine Propositionis seu Conclusionis alicujus; sed quidem de Sententia, Festo, & Cultu Intemeratae Virginis secundum eamdem Sententiam, quibus laus debita est, a quibus impietas abest, immo quibuscum Pietas consentit, & quibus Apostolica Sedes se favere testatur. Nullum heic verbum; quo damnetur, sive interdicatur Opinio asserentium, Mariam Sanctissimam contraxisse originale peccatum. Nullum verbum, quo interdicatur contrariae Sententiae adhaerentibus illud Festum celebrare sub intentione *Sanctificationis*. Ii tantummodo vetantur in disputationem revocare Piam Sententiam, Festumque & Cultum secundum eam ex-

hibitum, & Favores a Romana Sede eisdem impensos, voce aut scriptis impetere. En ergo salva dignitas Romanae Ecclesiae. Manu tenes, nihil ibi decisum de Conceptionis Quaestione, neque omnibus Christi Fidelibus indici, Festum Conceptionis celebrandum esse *secundum Piam Sententiam*; neque declarari aut definiri, hoc esse unicum hujus Festi *Objectum*. Proinde etiam intelligis, jure ac merito potuisse Alexandrum protestari, se quod est ad Veritatem seu Certitudinem Piae Sententiae nihil velle decidere. Abeat propterea in malam crucem Haereticus Picininus, dum Romano Pontifici insultat, perinde ac si Quaestionem de Virginis Conceptione tollere, & non tollere eodem tempore voluerit. Nam quod est ad Minoritam tuum, Picinino suppetias ferentem in dedecus Apostolicae Sedis, non eum certe diris eisdem devovebo, quum incaute egerit; sed quidem contendam, abuti eum ingenio suo, dum Alexandri VII. Bulla, seu potius imaginatione sua fretus, Scotisticam Sententiam ad eam Certitudinem & Evidentiam evehere conatus est, cui Falsum subesse nequeat, quum stet contra solennis protestatio ejusdem Pontificis.

Plura dicere volentem hisce ego affatus sum: Numquid inficiari poteris, quin saltem a summo Pontifice laudetur *Pietas* colentium Virginem *secundum Piam Sententiam*? Audebisne dicere, Pontificem errare in hoc posse; aut re ipsa errare? Tunc ille: Laudat profecto Sancta Romana Ecclesia Piam de Virgine Sententiam: laudo & ego, ac Piam, Piissimamque pronuntio. Laudat illa ac probat Festum, & Cultum Deiparae secundum eamdem Sententiam ab illius fautoribus exhibitum, eisque favet: laudo & ego, eisque faveo. Insuper lubens addo, vetari in posterum contrariae Opinionis asseclas voce aut scriptis quidquam proferre, unde videatur sub nomine Festi *Conceptionis* venire tantummodo Virginis *Sanctificatio* (hoc enim postremis controversiis, & Alexandri Septimi Edicto caussam dedit) quum certum sit, & deinceps futurum sit, ex mente Romanae Ecclesiae institutum fuisse, ac celebrari a Pietate Fidelium Scotistarum Conceptionis Festum *secundum Piam Sententiam*, eximentem ab originis labe Mariam. Tunc ego verba Theologi nostri arripiens e pag. 13. hisce verbis instabam: *Cultus Dei atque Sanctorum mandato Pontificis toti Ecclesiae propositus, ab eaque obedienter & rite delatus* (verebar heic, ne Romanus Abbas ad haec verba cavillaretur, quasi ad confirmanda mandata Pontificis, obedientia quoque Ecclesiae exigatur: at ille ne tantillum quidem mussitavit) *Cultus*, inquam, *Dei & Sanctorum est aperta professio Fidei Christianae, ut D. Thomas 2. 2. quaest. 93. art. 2.*

art. 2. ad Theologi omnes consensu docent. Atqui in Fidei professione errare non potest Ecclesia universa. Ergo Ecclesia in praescribendo Festo & Cultu Virginis secundum Piam Sententiam immunis sit ab errore oportet. Falli autem posset, nisi Objectum Festi & Cultus certum foret. Ergo *Pia Sententia* (quod idem est ac decere *Objectum Festi & Cultus*) Certa credenda est, eaque Certitudine, quae nulli amplius sit dubitationi exposita.

Tu rete quidem obtendisti (ait heic Romanus) at vide, ne muscas tantum concludas. Nolo heic lites serere, quod S. Thomas nihil eo in loco de *Sanctis* habeat. Nolo per singulas partes argumentationem, quam a Theologo tuo mutuatus es, ad trutinam revocare; hoc enim multum temporis posceret: adeo confusa sunt, vaga, & sine ulla distinctione prolata tanti ponderis documenta. Doleo potius, te jam oblitum, quae heri disseruimus. Scilicet miror, cur ex praemissis istis non intuleris (faciendumque tibi erat) Piam Sententiam Articulum Fidei jam evasisse. Nam quaecumque statuit, sive praescribit Ecclesia, in quibus statuendis sive praescribendis ex promissione Dei *nulli fallaciae ac errori obnoxia est:* assensu Fidei Christiano Populo sunt amplectenda; Magistro tuo docente pag. 72. *Ecclesiam falli non posse in publico Cultu; Dogma est Fidei.* Ipsa vero *errare non potuit* in praescribendo Virginis Cultum secundum Piam Sententiam; ipsaque falli posset, nisi certa foret eadem Sententia. Ergo ad Dogmata Fidei ex Ecclesiae decreto jam accessit Immunitas Virginis ab originali noxa. Dasne hoc mihi? an potius ex hoc jam sentis, argumentationem illius ob excessum claudicante gradu incedere? Dum ego quid responsi daturus essem, cogitabundus ac tacitus in aerario mentis perquirebam, is sermonem continuavit inquiens: Intellectum tuum torqueas nolim; mecum potius progredere. Ad Cultum Dei pertinere etiam honorem Sanctorum, & praesertim Sanctissimae Dei Matris, ego quoque tecum censeo & credo; quippe in Sanctis dona Dei honoramus. Verum in Quaestionem nostram obtorto collo pertrahere velle infallibilitatem Romani Pontificis, Catholicaeque Ecclesiae, est hominis parum accurate argumentantis, & Alexandrinae Bullae intentionem aut minime intelligentis, aut vitiantis, hospitisque demum in oeconomia Ecclesiae ipsius. Jam posuimus, ab Alexandro Pontifice commendatam quidem fuisse Piam Sententiam, at nihil ab eo decisum de illius Veritate; nihilque detractum, quod attinet ad substantiam, Opinioni contrariae. Praeterea statuimus, non unum esse *Objectum* Festi de Conceptione uti quarto quoque verbo supponit, atque

inculcat, sed falso supposito utens, ingeniosus Minorita tuus. Ruente autem fundamento, tota moles ejus in praeceps feratur oportet. Tam *Praeservatio*, quam *Sanctificatio* sunt Objectum Festi pro diversitate Opinionum, quas adhuc vigere sinit Ecclesia. Pari autem gradu procedit *Cultus* cum *Sententia*, neque plus habet, quam illa, ad quam profertur. *Pia* est Sententia; *Pius* & Cultus. Laudatur Scotistica ab Apostolica Sede; ejusque favore ornatur; idem de Cultu dicas. Denique Probabilis est, & si mavis Probabilior altera Scotistarum Sententia; paria de Cultu affirmare licet. Quod si mordicus adhuc tenes, Certissimum esse Cultum atque inde affluere Certitudinem Sententiae: hircocervum mihi exhibes nuper explosum, nempe Romanum Pontificem minime pro Certa habere Praeservationem Mariae, & nihilominus velle, & nihilominus statuisse, ut Virgo colatur uti Certissime praeservata, ac tali Certitudine, ut nullum errandi periculum subsit. Stare haec simul nequeunt, ut antea monui, & non sine contumelia Pontificis Maximi excogitantur.

Silentium heic ego fregi. At tu, ajebam, manibus pedibusque hactenus curasti, ut vim effugeres prioris meae propositionis. Falline, an non, Ecclesia potest in praescribendo Cultu religioso & sancto? Palam edissere, quae tua hac de re sit mens; donec enim fundamentum hoc stabit, meum non nutabit, ut spero, aedificium. Justa petis, inquit Romanus. In oeconomia Catholicae Ecclesiae, cui utinam diligentius studeret doctissimus alioqui Magister tuus, geminae animadvertendae sunt provinciae; altera Divinarum, altera Humanarum Veritatum. Illam regit peculiaris divini Spiritus afflatus, hanc humana Prudentia. Complectitur prior Dogmata Fidei de Mysteriis, de Moribus, de Factis, aut necessaria, aut utilia ad salutem aeternam, ad Pietatis officia, ad morum integritatem, eaque a Deo revelata, & ad nos profecta vel per divinas Scripturas, vel per legitimam Traditionem Sanctorum Patrum, vel per necessariam deductionem ex certissimis principiis. In his nullus errori locus, & pro eorum tutela, quoties poscat occasio, vita fortiter est danda. Alteram provinciam, scilicet Humanarum Veritatum, constituunt innumera Scholarum Theologicarum scita, aut Opiniones de rebus sacris, de moribus ac ritibus, ad Pietatem spectantibus, atque innumera Facta, quae non a Revelatione Dei, sed ab Historicorum, aliorumque hominum fide accepimus. Sunt & heic quamplurima Certa, non divina quidem, sed Morali Certitudine firma; sunt & Probabilia; sunt disputatione frequenti agitata, ac proinde incerta. Haec sua Prudentia Ec-

clesiae

clesiae Pastores & probant & in usum deducunt, probabiliora, & quae ad alendam Pietatem aptiora videntur, seligendo. Reliqua certamini doctorum hominum dimittunt. Ad utramque provinciam spectat & Disciplina Ecclesiastica, quae Ritus sacros, Cultumque Dei, & illius Servorum, aliaque praescribit, quibus Ecclesiae universae regimen nititur. Habemus enim & heic multa a Deo revelata, eaque necessaria, quae immutare non licet; reliqua vero ab Ecclesiae Prudentia pendent, quae nova invehit, vetera abrogat, prout satius, & rectius, utiliusve sibi videtur. Propius nunc ad rem, quam prae manibus habemus, accedo. Petisne, ad quamnam provinciam & classem pertineat Cultus Sanctorum? Haec accipito.

Ad Dogmata Fidei referendum est: Honorem Sanctis, eorumque Reliquiis, & imaginibus deberi; eosque invocare tanquam intercessores & mediatores apud Deum, ad impetranda beneficia per Filium ejus Jesum Christum, bonum atque utile esse; minime vero ex aliqua communi lege de Invocatione necessarium. Ecclesiastico tantum praecepto & disciplina illorum Invocatio iis praecipue mandatur, qui sacra celebrant, & ad Horas canonicas obligantur. Inter rationes modosque colendi Sanctos praesertim recensentur jejunia in Vigiliis, & Festi dies in eorum honorem instituti. Si Objectum sive Subjectum hujusmodi Festorum e Revelatione divina per divinos Libros, aut per legitimam Traditionem procedit: supernaturali Fide credendum est, uti Annunciatio, Purificatio, Desponsatio, & Visitatio semper Virginis Mariae, Nativitas & Passio Sancti Joannis Baptistae, aliaque id genus. Sin minime revelata sunt, ad humanam fidem pertinent, quae modo major, modo minor futura est, prout suadent motiva credibilitatis. Postrema autem haec moderatur Disciplina & Prudentia Ecclesiae. Quamvis enim sine numero abundent, qui Pontificis Maximi judicium in canonizandis, ut ajunt, Sanctis minime fallax, immo ad Fidei dogmata spectans arbitrantur, & quorum nomina & argumenta profert & expendit Eminentiss. Cardinalis Prosper Lambertinus, nunc bono Reipublicae Christianae Pontifex Maximus Benedictus XIV. Lib. I. Cap. XLIII. de Serv. Dei Beat. & Canoniz. aliis tamen aliter videtur, quum nulla nova Revelatio detur in Ecclesia Dei, & Canonizatio Sanctorum a testibus pendeat, hoc est a fallaci hominum narratione & fide. Adhuc sub judice lis est. Nemo tamen negat, aut negare potest, quin intolerandae temeritatis arguendus foret, suspicionemque incurreret animi haeretica aliqua opinione vitiati, qui Sanctum negaret hominem rite ab Apostolica Sede in

San-

Sanctorum fastos inlatum, quum notum sit, Prudentiam Romanorum Pontificum nulli parcere diligentiae, & accuratae circumspectioni, ne in his quoquo modo fallatur & fallat. Atque heic occurrit mihi Theologus tuus, qui §. XXIX. Dissertationis suae Theologos commemorat *negantes*, *rem esse Catholicae Fidei consecrationem Sanctorum*, at nihilo secius affirmantes, eamdem *vel esse certam de Fide*, *vel Certam infra Fidem*, *sed Certitudine aliqua infallibilis Veritatis*. Tum addit, in postremo supplici libello ad summum Pontificem Clementem XII. expetitum fuisse, *ut saltem canonizetur primum instans Conceptionis Mariae eo ferme modo*, *quo canonizatur instans mortis Servorum Dei*. *Hoc autem*, subdit, *& nos petere aequissimum est*, *& Pontificem dare NECESSARIUM*. Quod postremum profecto lepidum, seu potius injuriosum in Romanam Sedem dicas, quasi aut quae sunt Necessaria Ecclesia ignoret, aut minime ignorans eadem suppeditare renuat. Is autem pro suo ingenio contendit, ex institutione Festi Sententiam Piam Conceptionis ita jam esse *Certam*, *ut ei Falsum subesse non possit*. At heic repetendum est, in sacris divinisque rebus Ecclesiam duplici tantum via procedere ad Veritatem, scilicet aut per revelationem, quae ex verbo Dei scripto, aut non scripto, sed ope Traditionis Patrum ad nos deducto colligitur; atque haec constituunt Dogmata Fidei sine ulla haesitatione credenda. Aut humano more, dum nempe adminicula & praesidia adhibet, quibus ceteri hominum in Veritate inquirenda utuntur. Sunt quae ex *evidentia Physica* Certa sunt, uti hunc vel illum hominem vivere; Ignem comburere quae combustionem patiuntur, Solem sereno meridie lucere. Sunt quae Certitudinem accipiunt ab *evidentia Morali*; uti hunc vel illum Principem aliquo tempore in vivis fuisse; proelium hoc vel illud accidisse. Sunt & quae ob *evidentiam Metaphysicam* Certa habemus. Cetera Probabilia sunt, sed minime Certa, & siquidem Certa, non ea Certitudine firmata, quae omnem Falsi dubitationem excludat. An confluere possit in Canonizationem Sanctorum Evidentia, seu Certitudo Physica, aut Moralis, cui nihil Falsi subesse possit, quum ab humana Prudentia Canonizatio procedat, & secundum assertiones hominum propagetur, inquirere nec vacat, nec lubet. Hoc unum novi, post tantam in canonizandis Sanctis adhibitam diligentiam, qua major in rebus humanis adhiberi nequit, adeo Probabilem eorum Sanctitatem evadere, ut nimiae audaciae, ac temeritatis poenas commereatur, qui Falsi eam insimulet; quippe uti recte monet S. Thomas Quodlib. IX. quaest. 8. *Pie credendum est*,

quod

quod nec etiam in his judicium Ecclesiae errare possit. Ac propterea religiose quidem, pie & honeste coluntur ejusmodi Coelites; minime tamen ad Fidei dogmata spectat illorum Sanctitas, uti post Sanctum Thomam tradunt inter Theologos primarii, Cajetanus, Canus, Corduba, Malderus, Suarez, Vasquez, Raynaudus, & alii. Sed quando abundant doctissimi viri, quibus videtur spectare ad Fidem Canonizatio Sanctorum: Lectori animadvertendum est, quantum discriminis inter eam, & Sententiam Piam intercedat. Nullum enim Sanctae Sedis aut Conciliorum Decretum exsistit, per quod liberum sit Fidelibus persuadere sibi, hunc vel illum Sanctum canonizatum non frui gloria caelesti; in nostro autem casu libertatem hactenus nobis reliquit Ecclesia sentiendi quidquid magis consonum Veritati arbitramur.

Et sane quod est ad *Sententiam Piam* de Conceptione Virginis, quei aequiparari unquam possit Canonizationi Sanctorum, non video. Cedo idoneos testes rei tantae, quales certe bene multos adhibere solent Romani Pontifices, dum de Sanctorum Virtutibus & Miraculis examen instituunt. Si profers innumeros, qui nunc eidem Sententiae adhaerent, tune testes idoneos in hujusmodi caussa appellare auderes? Una divina Scriptura, aut legitima Sanctorum Patrum Traditio, testari id rite possit. Et ubi testaretur, non Certa solum Pia Sententia dicenda foret, sed etiam ad Fidei Articulos adjungenda. Sublatis hisce testibus, pessum eat Certitudo oportet, non solum quae ad divinam Fidem spectat, sed & Physica, Metaphysica & Moralis; neque enim nos adhuc certi sumus, pendente nempe judicio Ecclesiae, num divini Libri, Sanctique Patres faveant, an adversentur Scotisticae Sententiae. Atque heic animadvertas velim, rem non levem ab Apostolicae Sedis Prudentia sperasse commilitones tuos, petendo nempe, ut Sanctorum Canonizationi par judicium de Immunitate Mariana pronuntiaretur, ostendentes interea, ex Canonizatione consequi Certitudinem quidem, sed quae infra Fidem sit. Ubi id impetrassent, tunc in tuto triumphus fuisset; inflatis quippe tubis per plateas, per compita canerent, Canonizationem Sanctorum supranaturalem Fidem exigere, adeoque & Piam illorum Sententiam. At tu, heic ego impatientia ductus ajebam, per vinculos & angiportus adhuc vagaris. Hoc unum a te peto. Probavit Romana Sedes, sive Ecclesia, Festum & Cultum Virginis secundum Piam Sententiam. Dicas tandem velim, an errare in ejusmodi decreto, hoc est in indicendo Cultu publico religioso, Ecclesia possit. Tunc ille: Probavit sane, sed minime Universam Ecclesiam obligavit ad Cultum secundum Piam Sententiam. Ad

eum

eum vero Cultum quod attinet, non is referendus est ad oeconomiam illam, in qua ab errore illaesam usque ad finem Saeculi suam Ecclesiam Deus servabit. Tunc pertinebit, si Pia unquam Sententia, hoc est ejus fundamentum, Fidei Dogmatis adjungetur. Interea is Cultus ab una Ecclesiae Prudentia praescriptus & commendatus est Piae Sententiae sectatoribus, atque ad eam oeconomiam pertinet, cui peculiare auxilium, ne erret, Ecclesiae suae nunquam pollicitus est Christus. Attamen fidenter addendum est, nunquam in his Ecclesiam re ipsa contra Prudentiam errare, & nos ita conquiescere debere ad ejus judicia atque mandata, ut censeamus, nihil ab ea nisi prudenter agi. Agapas in Templis, uti & nocturnas Vigilias ad Martyrum sepulcra primitiva Ecclesia usurpavit, subsequens sustulit. Erravitne priorum Saeculorum Ecclesia probando, an subsequens improbando? Neutra sane. Hosce ritus ad Disciplinam spectantes prudenter justisque de caussis invexerunt illi; isti, aliis caussis supervenientibus, pari Prudentia antiquarunt. Idem animadvertas in Cultu Sanctorum. Ubi perspicacia sui Intellectus uti vellet, seque praejudiciis antea eriperet Theologus tuus, is quoque prospiceret, dari Cultum Certum, dari & Probabilem, pro qualitate videlicet Objecti. Et sane quoties in humanis sacrisque rebus explorata certaque Veritas haberi non potest, vir Sapiens Probabilibus locum dat, eaque sequitur; sat enim rationum adest, ut Prudenter operetur, aut decernat. Innumeri sunt Sancti, quos Romana Sedes per Canonizationem non intulit in sacros fastos, eos tamen & ipsa amplectitur, Officia, festosque dies in eorum honorem probat, Indulgentiis donat. Apostolorum Corpora, Jacobi majoris Compostellae, Andrae Amalfi, Jacobi minoris & Philippi Romae, Matthaei Salerni, Bartholomaei Beneventi, aut Romae, Lucae aliis in locis, aliaque Sanctorum Corpora, & Reliquias innumeras, ad Passionem Domini, ad Virginem Sanctissimam, ad ceteros Sanctos spectantes, eadem Sedes Apostolica probat, ac favore prosequitur. In Breviariis quoque Sanctorum gesta ac miracula proponit. Haec omnia vides ad publicum Cultum Servorum Dei esse referenda. Accedat nunc aliquis, & contendat, in his omnibus Ecclesiam errare non posse, atque omnia haec Certa esse. Risum vel nolenti excutiet. Prudenter tamen se in hisce Ecclesia gerit; nam donec nulla in contrarium Certitudo & Evidentia militat, Probabilesque caussae suppetunt credendi & colendi eosdem Sanctos, Corpora, sive Reliquias secundum Opinionem diuturnitate temporis, & longa quasi possessione firmatam: satis Prudentiae suae facit, dum haec permittit, aut pro-

bat,

bat, eisque favorem impendit. Inania terriculamenta sunt, quae Minorita tuus excogitat, ac si Romani Pontificis dignitas, & Ecclesiae fundamenta ruerent, si in ejusmodi sacros Cultus error ingerere se posset, Certaque non forent, quaecunque ad publicum Cultum exponuntur. Nunquidnam evincere tu unquam poteris, Vera ac Certa esse Caput Sancti Joannis Baptistae non uno in loco adservatum, tot Clavos ad Crucem Domini adhibitos, Sacram Syndonem, tot Corpora Martyrum e Romanis Catacumbis educta, aliaque hujusmodi innumera? Si in his Certitudinem exigeret Ecclesia, ut Cultum probaret, pauca, immo paucissima nunc haberemus religioso Cultu donata, sive donanda. An autem audiendus sit, qui sic praepostero ordine argumentatur: Publicum horum Cultum aut permittit, aut praescribit Ecclesia: ergo Certa ex hoc evadunt: tu ipse pronuntiabis. Illud quidem Certum est, nunquam imperasse, aut imperaturam esse Ecclesiam, ut omnia haec Certa sine ulla erroris formidine credamus. In his, quae utilia quidem sunt, sed minime necessaria ad alendam Populi Pietatem, neque a Revelatione Dei descendunt, suam tantummodo Prudentiam consulit Apostolica Sedes, & Ecclesia; reliquum arbitrio nostro dimittit, dum contemtus absit, & scandalum. Neque ipsa in his errat, quum sufficientibus semper Prudentiae motivis in re per se incerta ducatur. Adde, neque Populi Pietatem in ejusmodi Cultibus falli; nam etsi forte in Sancto aliquo colendo, in sacris Corporibus seu Reliquiis credendis allucinaretur (quod non facile putandum) attamen neque animus, neque affectus colentium unquam fallitur, quum ex sententia Ecclesiae honor & Cultus Servorum Dei in Deum ipsum terminetur, & Certa sint Merita Jesu Christi Domini nostri, per quae vel ipsi Sancti beneficia nobis impetrant ab omnium datore Deo.

Ad has regulas Prudentiae & Probabilitatis, quibus utitur Romana Sedes & Ecclesia in non Revelatis a Deo, aut Physica aut Morali Certitudine carentibus, exige nunc Festum & Cultum Virginalis Conceptionis propositum Piae Sententiae cultoribus; & deprehendes, frustra doctissimum Patrem de Luca asseruisse, *errare non posse Ecclesiam, ubi Cultum praescribit religiosum & Sanctum*; & Sententiam Piam propterea Certam evasisse, atque ad eam conscendisse Certitudinem, *cui Falsum subesse non possit*. Nondum certe innotuit, an revera immunis ab originali labe concepta fuerit Beatissima Virgo: ne tu quidem id negabis. Attamen quum Probabiles rationes adsint, non petitae a Granatensibus laminis, non ab aliis imposturis in Hi-

Hispania natis, sed a dignitate Deiparae, ab Academiarum placitis, aliisque humanae Prudentiae fontibus; neque in contraria Sententia sive Opinione appareat Certitudo: Pia ista Probabilitas laudabile fundamentum praestitit Romanae Sedi, ut institutum antea Festum diem Conceptionis probaret, ediceretque, illum secundum Piam Sententiam rite a Scotistis, eorumque assectis celebrari. Probabilitate Sententiae ducta Ecclesia, Probabilem quoque Cultum amplexa est, uti usuvenit in tot aliis nuper indicatis. Haec Prudenter acta. Etiamsi nihil Certi heic habeamus, quum adhuc sub nube sit Virginis Immunitas, sive Objectum Festi: tantum tamen Probabilitatis in Piam Sententiam confluit, ut ejus quoque sectatores prudenter ad Virginem colendam sub ea consideratione ferantur. Qua in re quamquam obscura, ut dicebam, noster falli non potest affectus, ad Mariam nempe tendens, cui Hyperduliam ex Theologorum consensu debemus, & in Deum denique desinens, cujus voluntatem, quaecumque hac in quaestione fuerit, nostrum est venerari. Pari gradu cum isto procedunt Festi dies instituti in honorem B. Virginis *de Monte Carmelo*, *de Mercede* & *ad Nives*. Hosce etiam dies festos invexit Ecclesia, non ex infallibili Revelatione Dei, non ex Certitudine quapiam Physica, aut Morali, sed ex Probabili narratione piorum hominum. Non Certum propterea evasit eorum Objectum; neque enim unquam Ecclesia in animum induxit obligare nos ad credendum, excluso omni metu Falsi, *Miraculum Nivis*, quae Nonis Augusti in Romanum collem cecidisse fertur; neque *Apparitionem Virginis* Jacobo Regi Aragoniae; neque *Sacellum Deiparae* erectum in Monte Carmelo paucis post Domini Ascensionem annis; neque traditum Beato Simoni *Scapulare*. Quod plus est, disputare & contendere quidem possis, non falli Ecclesiam in canonizandis Sanctis, in indicendis eorum Festis, Certumque esse eorum Objectum, Certas eorum Reliquias, Certa Miracula Nivis, Apparitionis, Sacelli, Scapularis &c. Verum quod attinet ad Festum Conceptionis (huc prae ceteris intendas animum velim) omnem disputationis ansam praeripuit jam Summus Pontifex, protestando, se relinquere Objectum illius Festi in sua Probabilitate, quum quaestionem de Conceptione dirimere noluerit, & contrariae Opinioni vires non ademerit, immo ipsam damnandam vetuerit. Veritatem hanc in omnium oculos incurrentem aio, neque tu negare tandem audeas. Datur autem & Sanctitas Probabilis. In Horis propterea Canonicis *Sancta* & *Dignissima* utique appellatur *Conceptio* Virginis, sed sub eadem ratione Probabilitatis, sub qua Objectum ipsum Pie cre-

den-

dendum colitur, non vero Certitudinis, quam contra expressam mentem Romanorum Pontificum invehere nititur Minorita facundissimus. Hujus rei luculentum habes exemplum in hac ipsa quaestione. Probaverat Sixtus IV. & quidem solenni Constitutione *Cum praecelsa*, Officium Conceptionis a Leonardo Nogarola compositum, eoque usi sunt Scotisticae Sententiae assertores usque ad tempora Pii V. Ibi disertis verbis legebatur: *Tota pulchra es Maria, & Macula non est in te. Immaculata Conceptio est hodie. Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti: concede quaesumus, ut sicut ex morte ejusdem Filii tui praevisa eam ab omni labe praeservasti &c.* Reliqua dimitto, pleraque ex dubiis aut spuriis antiquorum Libris excerpta. Verum Pius V. Pontifex Officium hoc minime ultra est passus. Evaseratne Certa Sententia Pia ex Officio illo per Pontificem Sixtum probato, non Ecclesiae universae proposito, sed ab ei Sententiae adhaerentibus duntaxat celebrando? Nequaquam. Ipsemet Sixtus Probabilem tantum agnoverat Sententiam hanc, & quamvis propositis Indulgentiis ad Virginem sub hac specie colendam incitaverit, nequaquam tamen a contraria Sententia Probabilitatem amovit.

Pari etiam nomine appellamus *Sanctam Festivitatem* Festum Praesentationis, Festum S. Mariae de Carmelo, & S. Mariae ad Nives. Num propterea illorum Objectum Certissimum evasit? Ita *S. Mariae Magdalenae* Festum tibi ante oculos statue. Ad Fidem pertinet illius Sanctitas. Ipsam vero nobis Ecclesia proponit antea Peccatricem, postea ad meliorem frugem redactam, Christo patienti adstitisse &c. cui sententiae vetustissima Traditio suffragium praebet. Non res tamen Certa, sed tantum Probabilis. Neque Ecclesia unquam indignata est contendentibus, tres diversas mulieres fuisse Marias in Evangelio memoratas; & quae colitur, nunquam fuisse famosam illam Peccatricem, cujus elogium in Evangelio eodem contexitur. Rursus eadem Ecclesia, dum nobis Festum S. Mariae de Carmelo colendum proponit, haec de ipsa Virgine ait: *In alio quoque Saeculo filios in Scapularis societatem relatos, materno plane affectu, dum Igne Purgatorii expiantur, solari, ac in caelestem Patriam obtentu suo quantocius Pie creditur efferre.* Adigitne nos Ecclesia ad ejusmodi subsidium Certo credendum, atque expectandum a Virgine? Nunquam hoc in mentem venit summis Pontificibus; Ii tantum probant & laudant hanc Opinionem, & *Piam* dicunt, hoc est tantummodo Probabilem. Excute Alexandri VII. Bullam quantum lubet: nihil aliud inde extundas,

das, nisi *Piam* appellari Sententiam de Mariae Conceptione, hanc laudari, ac Probabilibus rationibus nixam agnosci, & sub hac ratione coli posse Virginem Sanctissimam; sed nullam in eam sententiam, uti neque in Carmelitarum sententiam, Certitudinem invehere in animum unquam induxerunt Romani Pontifices, nisi Theologo tuo aliter fuerit revelatum. Hanc in rem consulas velim Adnotationes Eminentissimi Cardinalis Lambertini, nunc in Cathedra Petri tanta cum sui nominis gloria sedentis, Adnotationes inquam in Festos dies Domini nostri, & Beatissimae Virginis; nemo enim hactenus majori Eruditione, magisve subacto judicio de hisce rebus sermonem habuit. Male profecto de Apostolica Sede & Ecclesia merentur, qui Infallibilitatem in haec trahere volunt, eam quippe evertendam facile hostibus praebent. Exemplum alterum dabo. Pag. 46. Minoritae verba sunt: *Orta est controversia de Conceptione duodecimo saeculo. Qua tempestate ita fuit in usu Conceptionis vocabulum, ut unam seminum complexionem, quae fit in copula maritali, significaret. Ac proinde mirum non est, repertos esse, qui dicerent, Conceptionem Mariae sine vitio libidinis non fuisse*. Verum (ita is pergit dicere) ex quo docti viri animadverterunt, longe serius post conjugalem copulam & Conceptionem foetus, quam *Libidinosam* appellant, ut is ait pag. 42. Animam in foetum ipsum immitti: nunc idem tantummodo momentum sub *Conceptionis* nomine venit; & elumbis propterea evadit antiquorum de Virginis Conceptione doctrina, si commilitonibus tuis fides, qui grande aliquid se adinvenisse putant, quasi Sanctorum Patrum hac de re documenta infirmari possint, & quasi non idem verificetur de reliquis hominibus, qui tamen contrahunt originale peccatum. Sed hoc nunc omittendum censeo. Unum animadvertas velim, nempe veteres celebrasse Conceptionem Christi Domini, Deiparae, & Joannis Praecursoris mensibus novem ante eorum Nativitatem. Habemus autem Paulum Zacchiam celebrem inter Romanos Medicos, qui in ipsa Urbe Anno 1625. & sequentibus edidit Quaestiones Medico-Legales, in quibus Lib. IX. Tit. I. Quaest. I. & seq. pluribus contendit, Animam rationalem in ipso primo Conceptionis momento infundi in Corpus. Praeter alia argumenta hoc etiam utitur Quaest. 7. *Certum est, Conceptionem Virginis omnino naturalem fuisse, cum fuerit concepta secundum carnis concupiscentiam ex commistione maris & feminae D. Thomas p. 3. summ. quaest. 27. art. 2. ad 4. Cum ergo Catholica Ecclesia, quae Errare non potest, Festum ejusmodi Conceptionis solemnizet, inconveniens profecto omnino videtur,*
ut

ut dicamus, illam celebrare Festum Embryonis, Anima Rationali, immo ne sensitiva quidem dotati, & qui Hominis nihil haberet &c. Haec ne admittamus, dicendum est, Sanctissimam ac purissimam Virginem in primo momento Conceptionis Rationalem Animam recepisse &c. Jam vides, in incerto nos versari, quum de momento ingressus Animae in Corpus disputamus, & Zacchiae opinioni adhaerentes non desunt, ita ut Incerta pro Certis & heic venditentur. Sed quomodocunque res se habeat, duo hinc colliguntur. Si consistit opinio Zacchiae, corruunt fundamenta Minoritae tui, qui ex dilata infusione Animae in Corpus, eludere se posse putat effata Sanctorum Patrum, atque insignium Theologorum de Conceptione Virginis. Sin falsa est, & admittimus dilationem ingressus: secundum Zacchiam errasse Ecclesia dicenda est, quum Festum Conceptionis statuerit ad diem VIII. Decembris, & consequenter ipsam colere embryonem inanimatum Mariae, non Mariam ipsam eo die. Verum in ejusmodi res obscuras neutiquam est trahenda infallibilitas Ecclesiae. Regitur ipsa motivis Probabilibus, adeoque Prudentia in ea minime desideratur; neque Certum aliquid hac in re nobis proponit, a quo remota sit suspicio omnis Falsi. Atque hactenus ex abundantia haec dixi. Nam *Sancta* rite appellata est Conceptio Beatae Virginis; tunc enim aut *Sanctificata* fuit secundum Thomistas, aut *Praeservata* secundum Piam & Probabiliorem sententiam. Nimirum Fidelibus liberum hactenus reliquere Summi Pontifices sub una, aut sub altera significatione Virginis Conceptionem celebrare.

At Probabilitati Certitudinem successisse ex hoc ipso Festo doctus Minorita, invita ipsa Romana Ecclesia, contendit, eamque propterea incaute, ut vidisti, irridendam nuper hostibus exhibuit, dum persuadere vult, ipsam diremisse, & non diremisse controversiam de Conceptione. Accipe nunc, quei is eamdem alterius Imprudentiae arcessere pergat, scribens §. 4. *Peccare eum, qui dum celebrat Conceptionem labis expertem* (idest Festum Conceptionis) *apud se tamen fuisse negat Immaculatam. Qui enim Mysterium, dum lingua celebrat, apud se negat, eatenus Peccat, quia sensum animi sui minime accommodat ad Ecclesiae judicium, quod sequi debet. Illud autem Ecclesiae judicium haud sane praeterit ad eumdem modum, quo Festus dies immaculati Conceptus quotannis praetervolat; sed continenter manet, manebitque, dum stabit Christiana Religio. Ergo qui censet, contraxisse Deiparam originale Peccatum Ecclesiae judicium contemnit; adeoque peccare dicendus est.* Haec eadem ab eo repetita videas pag. 103. Dixi,

xi, a Theologo isto argui & heic Imprudentiae sanctam Romanam Ecclesiam. Nimirum eadem, ut omnes norunt, liberum cuicumque permittit animo adhaerere Thomisticae sententiae; rursus eadem, si Minoritae habenda est fides, exigit, ut celebrantes Festum Conceptionis *Certam* credant Virginis immunitatem, & *Peccati* reos edicit, qui non ita sentiant. Ergo Ecclesia uno eodemque tempore permittit, & non permittit Thomisticam Opinionem; *Peccato* absolvit, & non absolvit. Quis talia ferat? Et quemnam heic tu in errorem prolapsum arbitraberis? Illumne Theologum, an Romanae Ecclesiae Pastores summos? Immo dicas velim, quare *Anathemate* obstrictus dicendus non sit, qui tanta confidentia Thomistis, non credentibus Certam Immunitatem Marianam, *Peccatum* obtrudit, posteaquam Sixtus IV. ceterique ejus successores, atque ipse Alexander VII. disertissime *Anathema* in eos vibrarunt, *qui ausi fuerint asserere, contrariam Opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum Originali Peccato fuisse Conceptam, Haeresis crimen, vel Peccatum incurrere mortale, cum Nondum sit a Romana Ecclesia & Apostolica Sede decisum?* Ego heic, fateor, inquieto corporis motu satis testabar, me ista aegro auscultare animo. In haec verba tandem erupi. In Theologo meo absente nihil nunc non audes. Si adesset ille, uti persuasum habeo, tibi multiplici sua doctrina os obstrueret. Cras tamen ad eum proficiscar, ut mutuo mihi det scutum, ceteraque arma, quibus tum illum tueri, tum argumenta tua confodere possim. Tunc Romanus: Tantisper, rogo, sustine. Vacabit tibi ab eximio illo tui gregis duce, ejusque Dialectica, suppetias petere. Aliquid mihi dicendum adhuc restat. Sed quia in longum excrevit oratio, lassus deprecor, ut post sex aut septem dies, quibus fortasse mei non ero juris, te non pigeat reliqua audire. Consensi, & abivi. Vix domum regressus, prout memoria suggerebat, quaecunque audiveram literis consignavi, & ad te dedi. Vale.

Neapoli III. Kal. Julias MCCXL.

Aze-

Azevedo suo eruditissimo, atque inter paucos amico,
Valdesius S. P.

EPISTOLA QUARTA.



URSUS Romanum Abbatem ex composito adii, legentemque offendi publicarum in Europa rerum gestarum ephemerides proelo datas. Post multa de publicis negotiis inter nos agitata, consedimus, atque ille ad me conversus: Quale fuerit de Libro Theologi tui judicium apud Literatorum vulgus in Hispaniis, tu fortasse nosti, noscere autem nunc mea nihil interest. Quod reor ego, emunctioris naris viri docti, quibus Hispanicum Caelum semper abundavit, non aliter judicaverint, quam Itali melioris & excultioris ingenii. Vix enim fieri potest, quin eorum in oculos incurrat Theologi hujus parum castigata ratio pugnandi, nimiumque concitata oratio. Placidas quaeso aures, animumque pacatum mihi praebe; ad Veritatem quippe perspiciendam suscipiendamque nimius obex est ira. Utinam heic ego fallerer; sed me neutiquam falli, Liber ipse, quem prae manibus habemus, ostendet. Dicas velim, quid tibi videretur de homine, qui ceteros paene hominum insipientes, stupidos, insanos, ac dementes dictitaret, suaeque doctrinae velut invictae unice plauderet? Tu quidem siles; at in praecordiis quae tua sit sententia, lego. En Librum. Accipe, quanta moderatione ejus Auctor procedat. Lectorem in ipso vestibulo is monet, *piam sententiam omnino Veram Certamque esse, se Invictis rationibus confirmasse.* Pag. 1. Opinionem Thomisticam *jampridem adeo enectam & profligatam* pronuntiat, *ut mirandum jam sit, ab Alexandri septimi Pontificis tempore fuisse ullos, aut esse, qui scripta eorumdem, & Indignas Theologis Pueriles naenias sine stomacho legant.* Tum pag. 4. addit: *Quid amplius eo, quod est factum ab Alexandro, poteramus optare ad premendas fauces Desipientium, ut vere dicam, Sophistarum?* Pag. 5. in haec verba erumpit: *Quis Judicium, & sanitatem mentis in illis agnoscat, qui quasi nihil a Sixto IV. nihil a Pio V. &c. ad Piae sententiae vel tutelam, vel amplationem collatum esset,* Thomisticam adhuc Opinionem tueri pergunt? Pag. quoque 10. eadem ignominia eum onerat, qui ex quo in Horis

ris Canonicis *Sancta* & *Dignissima* Conceptio Virginis appellatur, Immunitatem eidem negat. Is enim ex edicto Theologi tui, *non modo Ecclesiam contemnat necesse est, sed etiam Rationis usum Prorsus amiserit*. Equidem video Thomistas, quorum etiam longe major, quam censeat tuus Magister, est in Ecclesia numerus, quanquam in obsequium Apostolicae Sedis quid sentiant silentio premant, Thomistas, inquam, nobis notos video placide adhaerere vetustae suae Opinioni, non ignorantibus id Romanis Pontificibus, aliisque Ecclesiae Pastoribus, & viris quibusque eruditis, immo summis ipsis Pontificibus diserte interdicentibus, ne eorum Opinioni maledicta inferantur. Eosdem video magno ubique in honore habitos, ob scientiam, sapientiam, Pietatem, devotumque etiam erga Beatissimam Virginem animum, commendatos, atque ad gravissima Ecclesiae negocia & munera adhibitos. Attamen istos nunc audire cogimur bestiarum ad instar Rationis expertes, mente captos, ac desipientes; idque pronuntiatum non in aures tantummodo amicorum, sed in Libris calcographiae beneficio editis, & per trivia disseminatis. Immo ne ipsos quidem Pontifices maximos, ceterosque Ecclesiae Pastores simili opprobrio eripias, quando insanos homines fovent, eorumque opera & doctrina ad Ecclesiastica munia utuntur. Judicium tuum nunc efflagito. Dicendine ii Insani, an potius prae nimio aestu in transversum raptus tuus ille unus? Si primum negas, alterum consequatur oportet. Me vero tacente, is dicere perrexit.

Ad haec antequam certamen ineat, Theologus Minorita universo orbi denuntiat, se *Propositionem confirmaturum Magnis quidem argumentis, quae causam decernere ita possint, ut inter Catholicas ultra referri quaestio non possit*. Felicem hominem vel ante pugnam victorem. Tum haec de Catholicis Theologis profert pag. 19. *Qui haec devorare tam impia, tam absurda possit, nae ille Stultius & Flagitiosius agit, quam Lutherani, vel Calvinistae. Illi enim Cultum omnem religiosum abjudicant ab Ecclesia Dei, qui diserte non sit expressus Divinis literis. Isti autem Theologi potestatem Ecclesiae tribuunt novum Cultum instituendi, qui tamen possit ejusmodi esse, ut in re aliqua, ad venerandum proposita, nec Veritatem attingat, nec Sanctitatem*. Ad hasce declamationes, a fallaci principio, quo is passim utitur, emanantes, quid respondendum sit, ante paucas dies audisti. Eandem proeliandi rationem animadvertas velim pag. 25. ubi Lectorem is monet, se *dissipasse prudentiam* Theologorum sibi adversantium, iisque *omnem eripuisse cavillandi licentiam in Apostoli testimonio*, appellantis

Ecclesiam Dei vivi columnam & firmamentum Veritatis. Multae profecto habendae sunt gratiae tanto viro, quod ejus cura & diligentia detectus sit Apostoli locus, quem nemo fortassis ex ejus adversariis noverat, aut ejus vim antea senserat. Honestius tamen infra cum adversariis agit, *non* enim eis *Anathema dicit*, *non Haereticos vocat*, sed modesto duntaxat nomine eos appellat *Errantes in re gravissima & facili*, *hoc est bardos*, *& hebetes*, *Communisque Sensus & Rationis oblitos*. Quanquam brevi tantae indulgentiae suae oblitus & ipse videtur, quando pag. 26. eos *ad arcem Temeritatis & Perfidiae* deductos exhibeat. Dixerat Libellator, versari adhuc in controversia Praeservationem Mariae a labe originali. Hisce verbis illum castigat Doctor tuus pag. 41. *Hujus hominis Impudentiae quis poterit sine stomacho respondere*, *qui tam licenter affirmat*, *de hac Virginis Conceptione adhuc esse Controversiam*, *ubi lege Pontificis est omnis adempta disputandi libertas*, *jamque arma cesserunt Religioni?* Immo in Praefatione Libellatorem arguit, quod *Opinionem sepultam paene ab Inferis excitarit*. Tanta nimirum praeoccupatione animi laborantem invenio Magistrum tuum, ut ei stomachum moveat vel levis Controversiae mentio de Virginis Conceptione, & *Impudentiae* ad ejus tribunal sit reus, qui argumentum hoc Disputationi adhuc obnoxium arbitretur. Verum quis ex doctis ignorat, quis libere non fatetur, vigere adhuc de hujusmodi argumento Controversiam? Summi ipsi Pontifices idem testantur. Quod si pro bono pacis ii Disputationem interdixere, num Controversiam quoque sustulerunt? Longe a veritate abit, rursus ajo, qui hoc cogitet, qui hoc affirmet. Exposcebat sane gravitas argumenti, & munus Theologi, ut haec majori gravitate pertractarentur, ac praesertim quum res sit non adversus Haereticos, sed cum hominibus ejusdem communionis, omnium honore dignis, qui Scotistico Libello modestissime sese opposuerant. At nos nihil aliud heic offendimus, nisi signum deploratae caussae. Tu Theologum te fortasse heic audire putas. Alia erit aliorum sententia.

Non ultra progredior, lubensque dimitto reliqua id genus tela a Minorita tuo adhibita. Eodem pede integer ejus Liber procedit. Tanquam rem Certam, immo tanquam Fidei Dogma statuit ille, Cultum Sanctorum professionem esse *non solum Pietatis*, *sed etiam Catholicae Religionis*, atque in eo praescribendo Ecclesiam, Romanosque Pontifices *errare non posse*. Tum arrepto uno invicto hoc, ut is sibi blanditur, axiomate, veluti clava Herculea quidquid sibi objicitur, prosternere se posse censet; illud identidem & millies repetens

& inculcans, ac si Conclusio haec sine ullo discrimine in omnibus Cultus sacri casibus vim habitura foret, eamque Ecclesia ipsa ineluctabili decreto jam firmasset. Denique argumentorum torrente quodam, e cerebri sui inexhausto fonte eductorum, & decisorio stylo ita Lectores minus peritos obruit, ut fortassis in suam sententiam incautos abripuisse potuerit. Ex eorum numero sisne tu quoque, tuum erit excogitare. Equidem ante paucos dies ostendisse mihi visus sum, ex *Objecti* qualitate determinari *Cultus* ipsius qualitatem. Si Objectum a divina Revelatione, vel per divinas Scripturas, vel per legitimam Patrum Traditionem descendit, tunc ipse Cultus ad Fidei divinae Certitudinem assurgit. Sin a prudenti duntaxat Ecclesiae judicio, Cultus quidem prudens erit, sed minime ea Certitudine munitus, quae omnem metum erroris excludat. Quo plura sunt Prudentiae fundamenta ad Cultum proponendum, eo majora sunt motiva Probabilitatis & Credibilitatis, quemadmodum in Canonizatione Sanctorum diximus. Atque heic animum adverte ad Theologi tui admirandam doctrinam pag. 22. ubi *Impietatis* eos arguit, qui *Ecclesiam falli potuisse* in consecrandis & colendis Sanctis putant. *Hoc enim putare, Articulum Fidei funditus destruit*, idest Sanctorum communionem. Deinde is addit: *Id in dubium vocare minime possunt Christiani. Possunt autem, si hoc vel illud de homine quopiam in Divos relato Ecclesiae judicium falli posse arbitrantur*. Neque perspicit vir non mediocri praeditus ingenio, se *Impietatis* notam conjicere in Sanctum Thomam, aliosque celeberrimos Theologos, qui in ejusmodi negotio Infallibilitatem summis Pontificibus neutiquam tribuunt. Quod plus etiam mirere, dum licere putat credere, *de homine quopiam in Divos relato Ecclesiae judicium falli posse*, nonne is una manu destruit, quod altera aedificat? nonne Infallibilitatem tribuere videtur Romanae Ecclesiae in consecratione Sanctorum, ac postea negat? Neque in hanc rem plura addo. Unum dicere satis sit, nimirum si, concedente Theologo tuo, non est omnino Certum atque infallibile judicium Ecclesiae de hoc vel illo in Sanctorum album inlato, consequens est, neque nos obligari ad credendum Cultum hujus vel illius Sancti tanta firmitate Certum, ut omnis cesset dubitatio erroris; Cultus enim respondere Objecto suo debet, & Certum facere nequit, quod Certum in se minime est. Quantum igitur velit, tibias inflet Doctor tuus scribendo pag. 84. *Cultum sacrum a Pontifice praescriptum, ab Ecclesia receptum, & usitatum, non esse modo Pietatis Professionem, sed etiam Catholicae Religionis, D. Thomas, ceterique Theologi consensu docent*.

docent. Non tam magnificis verbis utitur Angelicus Doctor, dum in Quodlib. IX. Quaest. 8. ait: *Quia honor, quem Sanctis exhibemus, Quaedam professio Fidei est, qua Sanctorum Gloriam credimus, Pie credendum est, quod nec etiam in his judicium Ecclesiae errare possit. Pie* utique *credimus*, sed minime supranaturali assensu Fidei, ab Ecclesia errorem in his abesse. Quod plus est, exploratum ajo, si fieri etiam posset (hoc autem nunquam eveniet) ut aliquis ex Sanctis aut canonizatis, aut non canonizatis, quos Ecclesia veneratur, caelesti Beatitudine nequaquam frueretur, adhuc nullum errorem formalem in Cultum ipsum cadere. Nam vel in eo casu Populus Catholicus profitetur, se credere Gloriam Sanctorum, & ad Deum honor & preces perveniunt, quanquam ad eam gloriam fortasse non pervenisset ille Sanctus. Ita profitemur Articulum Fidei in adorandis Hostiis rite consecratis, quamvis ineluctabili Certitudine careamus, singulas Hostias rite fuisse consecratas. Quare terriculamenta sunt, quae Theologus iste, & alii comminiscuntur in hisce ad salutem aeternam minime spectantibus, ut Certitudinem sine ulla distinctione invehant in quaevis Objecta Festorum, & in Cultum Sanctorum. Quamobrem quum pag. 21. ille scribit: *Turpiter ergo Ecclesia errabit in doctrina morum, si legem ferat de colendo Divo, quem colere, si Divus non est, & cum ratione, & cum Evangelio pugnat. Siquidem Evangelio vetamur Diabolum colere; nec differt, Diabolum colas, an hominem condemnatum:* nihil aliud haec sunt nisi verba. Vix fieri potest (jam saepius monui) ut Apostolica Sedes unquam fallatur post adeo accuratum examen in referendis inter Caelites viris ex patenti Pietate conspicuis. Sed quando etiam ex Metaphysico supposito (cujus nulum justum motivum adest) in hoc falleretur Ecclesia: non illa, non Populus coleret ut Sanctum Diabolum, neque damnatum, quum ejus pia intentio recta feratur in Beatum Dei Servum, atque in Deum ipsum, suorum glorificatorem Servorum; in Deum inquam, cujus caussa Sanctos veneramur; in Deum tandem, a quo, non vero a Sanctis, beneficia expectamus. Neque ob hoc cessaret meritum Pietatis in ejusmodi Cultu. Nonne & is fatetur pag. 18. hominem erogantem stipem nebuloni, pauperem se simulanti; non solum *non peccare, quin etiam mereri, quod probabili ductus argumento Caritatem exerceat?* Idem & in nostro casu dicendum. Ita Reliquias interdum veneramur, quae fortassis ad hominem minime Beatum pertinent. Num erramus? Aut error hic, cujus tamen nemo conscius est, tanto strepitu Magistri tui est excipiendus?

Mecum igitur redi ad Prudentiam Ecclesiae, neque Infallibilitatem ei tribue, ubi opus non est, quam ipsa sibi non tribuit in Festis illis permittendis, aut indicendis, & in iis Cultibus probandis aut imperandis, qui ad Revelationem referri non possunt. Dum Ecclesiae adsint in hisce casibus Probabilia argumenta Veritatis, justaque motiva Credulitatis, ut Festum aliquod permittat, aut instituat, & Sanctorum Corporibus & Reliquiis faveat: suo illa munere rite functa est; atque uti illa Prudenter in hisce agit, ita nos ei Prudenter obtemperamus. Quod si Theologus tuus toties auctoritatem Ecclesiae crepat, seque pro ea in acie stare dictitat: contra cordati viri contendunt, auctoritatem hanc per eum ludibrio inimicorum aperte exponi. Nam ubi velis in Cultum Sanctorum Cultumque aliquem particularem Beatae Virginis Reliquiarum &c. nullum irrepere potuisse ac posse errorem, eumque Cultum ex parte Objecti adeo Certum, ut inde periculum quodvis Falsi excludatur: intolerandum Ecclesiae negotium creas, si hujusmodi sententiam tueri ipsa velit, suamque Infallibilitatem in tot casibus sartam tectam habere cupiat, & praesertim quod tot Sanctos illa nobis colendos proponat, quos non ea diligentia, quae nunc in usu est, in canonem Sanctorum relatos novimus. At satis est Ecclesiae Prudenter in his agere, & sequi Probabilia Pietatis officia; & potissimum quum haec minime necessaria sint ad aeternam salutem, sed utilia tantum ad alendam Populorum Pietatem; neque doctrinae Fidei quidquam detrimenti adferatur, etiamsi in haec Facta non revelata materialis aliquis error obreperet. Quamobrem poterunt quidem Heterodoxi in Festum Assumtionis Beatissimae Virginis insurgere, in quo exhibetur non Anima tantum, sed & Corpus illius translatum in Caelum; atque objicere, inniti hanc opinionem spurio libello Sancti Militonis, conficta Epistola Sancti Hieronymi ad Paulam & Eustochium, falsa narratione Dionysii Areopagitae, aliisque apocryphis Opusculis, aut Auctoribus nimium credulis. Tuto in loco nihilominus est Ecclesiae dignitas, quippe cui, inspecta antiquitate Festi & Opinionis, argumenta Probabilitatis non defuere, & Prudenter propterea se gessit in eo Festo, ejusque circumstantiis quibusdam Populo proponendis, quas tamen neque omnino Certas praestare vult, neque firmo assensu credendas jubet. Acta Passionis Sancti Andreae Apostoli ea sunt, ut de illorum fide dubitare merito liceat. Neque firmam sibi de iis opinionem fuisse, satis non uno in loco prodidit vel ipse magnus Annalium Ecclesiasticorum parens Baronius. Ex iis tamen Actis notum est, Ecclesiam traxisse,

quae

quae de ejus Passione in sacris leguntur. Verum ista sive credantur, sive minime credantur, nihil ad Fidei doctrinam, nihil ad salutem aeternam Populi Christiani spectant. Heic etiam antiquitas Opinionis praesto fuit Ecclesiae, ut prudenter ista de Apostolo Christi proponeret, quem alioqui regnare in Caelis credimus. Aliis tempero exemplis, dicturus potius, injurium esse Catholicae Ecclesiae Theologum tuum, quum pag. 21. Cultum Dei cum Cultu Sanctorum confundens in haec verba erumpit. *De iis loquor ad Cultum Dei atque Sanctorum, qua in re POTISSIMUM sita est Religionis Professio, referuntur. Continent enim Doctrinam Morum salutarem & publicam, qua CERTO dirigitur ad Vitam aeternam Populus Omnis Christianus.* Ne novitio quidem in Theologia (sit quaeso dicenti mihi venia) excideret adeo enorme effatum; immo principia solida Christianae & Catholicae Religionis oblitus fuerit oportet, qui in Cultu Sanctorum *Potissimam* sanctissimae *Religionis Professionem* statuit, & inde *Certo* dirigi ad vitam aeternam Christi fideles tradit. Utinam Haereticorum nemo haec legat. Legenti tamen denuntiandum est, haec esse non solum praeter, sed contra mentem Catholicae Ecclesiae. Et quoniam de Actis S. Andreae nuper mentio occurrit, judicabit aliquando Ecclesia, an ex illo vetustatis monumento deduci possit, notam vel ipsis Apostolorum temporibus fuisse Conceptionem Virginis sine macula, uti pag. 45. Minorita scribit, Actorum etiam verba omittens, quasi conscius, nihil inde confici aut exsculpi posse ad suadendam Piam Sententiam.

Uti ergo in tot aliis ad Cultum Sanctorum pertinentibus Ecclesia se gerit, ita in permittendo, ac laudando Festo Conceptionis secundum Piam Sententiam celebrando, se gessit. Etiamsi nihil Certitudinis in illa agnoverit, Probabilitatis nihilominus tot motiva in ea deprehendit, ut Pietati Fidelium eidem adhaerentium, & sub ejusmodi consideratione Virginem Sanctissimam colentium favere decreverit, libertate tamen Thomistis relicta celebrandi idem Festum secundum suam Opinionem. Prudenter haec omnia. Neque illa plus Certitudinis contulit Objecto Scotistico Festi, quam quod antea in eo ipsa agnoscebat. *Quia major pars Ecclesiae*, inquit Cardinalis Bellarminus Lib. III. Cap. 16. de Cultu Sanct. *Pie credit Immaculatam Conceptionem, inde habuit eadem Ecclesia occasionem instituendi Festum Conceptionis Matris Dei.* Quid sit *Pie credere*, jam nosti. Qui vero *Pie credit* Immaculatam Conceptionem, *Pie* etiam colat ipsam sub eadem significatione oportet, hoc est, *Pia* quidem *Persuasione*, non vero

Certi-

Certitudine Objecti ductus. Atque heic attente perpendas velim, quae Theophilus Raynaudus e Soc. Jesu Tom. VII. de retinendo titulo Immac. Concept. §. 8. n. 32. animadvertit, ac referuntur ab Eminentiss. Cardinali Lambertino Lib. 1. Cap. 42. n. 13. de Beatif. & Canoniz. *Neque, si Gregorius XV. dixit, velle se, ut omnes VIII. Decembris Festum & Officium peragerent sub nomine Conceptionis, sumptae prout ea vox tunc sonabat, hoc est pro prima Virginis animatione, eamque Conceptionem proposuit pro Objecto Cultus Religiosi & laudabilis erga Deiparam Pietatis: consequens est, ut definiverit tamquam ex Fide Certum, quod prima Virginis animatio fuerit labis originariae expers, & immaculata. Nam ad statuendam Conceptionem sic acceptam pro Objecto Cultus sufficit, ut Pontifici visum sit Pium ac Probabile, quod Beata Virgo semper labe caruerit, ejusque prima animatio fuerit immaculata. Et hoc est, in quo Adversarii vel ultro Caecutiunt, vel Obturatos habent oculos, quibus perspiciant, quando definitur, Cultum alicujus personae esse Licitum, & Religiosum, ac Pium, non idcirco statui ut ex Fide Certum, quod Persona, cui Cultus decernitur, sit Sancta, & collucens Gratia sanctificante. Potest enim Religiose ac Pie coli ex sola Certitudine Morali, aut ex Prudenti & Probabili Judicio, quod sit Cultu digna.* Raynaudo etiam adhaeret Natalis Alexander in Hist. Eccl. Saec. Secundi Differt. 16. §. 21. ubi ex institutione Festi ostendit, minime resultare Certitudinem quampiam in illius Objectum, & Piam Sententiam nondum Opinionis limites esse praetergressam. Accepisti a Raynaudo, posse *Religiose ac pie coli* Personam, cui Cultus decernitur *ex sola Certitudine Morali*: Quod de Sanctis canonizatis ab eo dici existimo; aut *ex Prudentia & Probabili Judicio*. Postremum hoc respicit Festum ipsum diem, & Sententiam de Immaculata Conceptione; utrumque enim Prudenter Ecclesia probavit, ac Festum sub ea significatione institutum laudavit; Pietatem quippe & Probabilitatem reperit in Scotistica Sententia. Recte propterea idem Raynaudus §. 7. dicit. *Pium esse ac Probabile, Conceptionem Deiparae esse Immaculatam*, fatendo tamen, posse subesse *Falsum propositioni affirmanti, eam animationem fuisse Immaculatam*. Idem quoque infra fatetur, *ad statuendam Conceptionem sic acceptam, pro Objecto Cultus sufficit, ut Pontifici visum sit Pium ac Probabile, quod B. Virgo semper labe caruerit*. Ita vir doctissimus sibi persuadens a Gregorio XV. statutum Objectum Festi Conceptionis; sed simul agnoscens, non quampiam Sententiae Scotisticae Certitudinem caussam aut occasionem dedisse Festo, neque ex Festo ipso derivari posse; &

Piam

Piam nihilominus ac Probabilem esse cum Sententiam, tum institutionem Festi, uti summorum Pontificum Prudentia perspexit. Adjiciendum tamen fuerat, neque Gregorium XV. neque Alexandrum VII. ad universam Ecclesiam extendisse Objectum Festi Conceptionis, sed agnovisse duntaxat, a Piae Sententiae sectatoribus celebrari hoc Festum secundum eandem Sententiam; neque interdixisse contrariae Opinionis fautoribus idem celebrare sub subintellecto in mente nomine *Sanctificationis*. Quod praecipue animadvertendum est; nam falso hoc supposito nititur tota moles doctissimi Patris de Luca, quasi Romani Pontifices non Scotisticae tantum, sed & contrariae Sententiae affeclis indixerint celebrandum Conceptionis Festum sub una significatione *Praeservationis Virgineae*.

Ex his igitur intelligis, clarius quam antea tibi ostenderim, a scopo abludere Theologum illum, dum sibi ostendendum sumit, *Ecclesiam errare non posse, ubi Cultum praescribit religiosum & sanctum*, & ex Conceptionis Festo deducere se posse putat, Certitudinem eam effluxisse in Piam Sententiam, quae Suspicionem omnem Falsi amoveat. Simul etiam intelligis, me in hisce commendare atque hactenus tutatum fuisse Prudentiam Romanorum Pontificum. Minorita vero tuus quid aliud agit, nisi ut eis Imprudentiae non vulgaris notam tanto verborum molimine inurat? Da repetenti veniam. Si verum foret, Pontificem *errare non posse* in Cultus alicujus institutione sive permissione, non aliunde is hujusmodi Infallibilitatem haberet, nisi a Deo, & qua Pontifex & Vicarius Christi; nam qua Homo privilegium hoc, ut puto, minime sibi tribuit. Ergò ad *Fidei Dogmata* spectabit quodcumque illius judicium de *Cultu religioso*. Quum autem edixerint Romani Pontifices, Cultum Virgini exhiberi in Festo Conceptionis secundum Piam Sententiam, uti is dictitat: necessario consequi debet, non minus Festum, quam Sententiam de Conceptione ad *Fidei Certitudinem* esse referenda. En ergo immane dedecus Apostolicae Sedis, quae se habere ait Scotisticam Sententiam pro Pia ac Probabili duntaxat, neque se voluisse aut velle controversiam dirimere: quum tamen, si argumenta Minoritae vim habent, Certa ea evaserit, ac Certitudine tanti ponderis, ut Falsum ibi suspicari amplius non liceat. Egregium profecto Pontificiae auctoritatis patronum, quam quo plus extollit, eo turpius deprimit, exoositamque Heterodoxorum cachinnis derelinquit. Quod si tuus ille non uno in loco ait, Mysterium Conceptionis nondum fuisse ineluctabili decreto ab Ecclesia constitutum, seque illius Certitudinem *Theologica Conclusione*

ne

ne tantummodo collegisse; ex industria id factum, ne recta adversari videretur apertae summorum Pontificum protestationi, cui tamen revera adversantur quaecumque is adfert, ut appareat, post Bullam Alexandri VII. Certam, immo Certissimam evasisse Piam Sententiam. Qua Certitudine, si superis placet, posita, is impetratu facile sibi persuadeat alterum Sanctae Sedis decretum, quo Mysterium clariori luce Fidei Catholicae dogmatis adjiciatur.

Hactenus pressis labiis ego silueram. Amicum virum interrogare tandem subiit, cur Apostolica Sedes postremo judicio Quaestionem hanc nondum diremerit, neque ad dirimendum proclivis videatur. Tunc ille: Meum non est in abdita summorum Pontificum consilia penetrare. Hoc unum novi, sive aliquid illa decernat, sive a decernendo abhorreat, ejus Prudentiae esse tribuendum; ac propterea laudari non posse Magistrum tuum, quoties *Necessariam* decisionem hanc ait, hoc est ingenio suo leges imponere audet Prudentiae Romanorum Pontificum. Tot jam Saecula abierunt, ex quo ejusmodi concertatio fervet. Primus Sixtus IV. Pontifex Maximus Anno 1476. & 1483. ei frenum aliquod adhibere coepit, tum Pius V. Paulus V. Gregorius XV. & Alexander VII. manus in eam injecerunt; at ex iis nemo nodum huc usque solvit. Non certe politico consilio, uti Magister tuus audacter insinuare videtur, abstinuerint ab ejusmodi sententia, sed revera ex legitimis consuetae suae Prudentiae motivis, uti ego arbitror, indecisam reliquere Quaestionem. Tantam sane gerit animi devotionem erga Beatissimam Dei Matrem Apostolica Sedes, tanta cura ad sedandas in Ecclesia discordias fertur, ut nisi gravis aliqua intercessisset caussa, jam ex Cathedra pronuntiasset, & potissimum tot precibus Regum Catholicorum fatigata. Duplex autem caussa, si mihi homunculo credendum occurrisse heic videtur: altera, nulla quae appareat Christiani gregis Necessitas aut Utilitas; altera judicii ipsius, si res bene perpendatur, gravis difficultas. Ad primam quod attinet, sive fuerit sive non fuerit sine labe concepta Maria, nihil interest Ecclesiae, uti tot alia in Scholis disputata, certo cognoscere. Grandi quidem ore Magister tuus pag. 44. in hoc epiphonema erumpit: *Jam vero Mariae Conceptio & Immunitas non modo pertinet ad Religionem, sed etiam Fidei, gravissima capita proxime attingit, hoc est naturam & proprietates originalis Peccati occasionem Incarnationis, Dignitatem Deiparae atque praestantiam. Res igitur est maxime digna Ecclesiae judicio*. Verum gravissima haec sanctae Religionis dogmata, notissima, & passim depraedicata, constant ex apertissimis divinarum Literarum

locis,

locis, & ex concordi Traditione Patrum. Ut ea discamus, aut credamus, num opus est noscere, fueritne an non maculae Originalis expers Virgo Sanctissima? Apage. Jamdiu Joannes Gersonius, Theologus eximius, quamquam Piae Sententiae & is addictus, in Tractatu *de Propositionibus ab Episcopo, baereticandis*, inter Propositiones ad Fidem non pertinentes minime scandalosas, & quarum potest sine periculo Veritas vel Falsum ignorari, hanc etiam recensebat: *Virgo Maria fuit concepta in Peccato originali. Quia apud maximos Doctores in Theologia, non corruptos affectu vel intellectu* (cujusmodi nescio an dicendus sit Theologus tuus) *judicantur Probabiles, neque scandalizant, nec Oportet eas scire ad bene vivendum, vel credendum.* Postremum hoc esse judicium omnium vere doctorum mihi persuadeo, qui *non corrupti affectu vel intellectu* rem intime norunt, & sincere expendunt. Neque aliter visum fuisse Sancto Pio V. Pontifici Maximo, satis illius hac de re Constitutio prodit. Eminentiss. vero S. R. E. Cardinalis Gottus Tom. I. Cap. IX. §. I. de Vera Christi Ecclesia, controversiam memorans de Conceptione Deiparae adhuc vigentem, ait: *Pendente questa Controversia si sono fatti più Concilj, e niuno l'ha mai determinata: onde è segno, che non è giudicata materia di Fede.* Quid est ergo, quod Doctor tuus pag. 16. sententiam hanc in medium adfert: *Nullus igitur error cadere potest in Pontificem Maximum, & Ecclesiam, cum facienda praescribit & facit, quae ad Mores pertinent, atque aeternam salutem?* Nihil hoc certius, immo nullum est efficacius telum ad confodiendam Haereticorum novitatem atque proterviam. Dogmata statuuntur de rebus revelatis; Opiniones itidem perversae spectantes ad Mores proscribuntur. Peculiari afflatu in his Deus Apostolicae Sedi & Ecclesiae semper adstabit, ne Errori sit locus. At quorsum haec ad praesentem Quaestionem? Num ad aeternam Christianorum salutem aut utile aut Necessarium est rescire, fueritne an non concepta Virgo sine labe originali? Nunquid hujusmodi notione indigemus ad Mores? Et quod est ad Cultum obsequiumque nostrum erga Deiparam, ad illud innumerae nos rationes, eaeque certissimae, impellunt, etiamsi Deus Mysterium Conceptionis minime revelaverit. Quum Matrem Dei dicis, omnia dicis. Itaque a Theologo tuo ista commemorantur, quae nihil ad rem in praesentia faciunt, ac tantummodo fallere possunt incautos. Is enim alibi hoc est pag. 22. *Sciolos quosdam ex eorum grege, qui politici nominantur*, sibi fingit veluti docentes, *Ecclesiam in Morum doctrina eorum, qui ad salutem necessarii sunt, falli non posse, in cete-*

ris posse. Tum contendit, ne in utilibus quidem ſtatuendis falli poſſe Eccleſiam. Sed vix eſt ut credam, Theologo alicui excediſſe unquam adeo crudam ſententiam; & parcas velim, ſi dixero effatum illud ſine ulla cauſſa ſciolis iis politicis mihi ignotis, a Theologo iſto imputari. Is enim nulla heic diſtinctione utitur, quae tamen ſummopere neceſſaria eſt. In Moralibus actionibus ad ſalutem aeternam non neceſſariis quidem, ſed tantum utilibus praeſcribendis, Errori minime obnoxia eſt Eccleſia. At in Factis, a Revelatione minime pendentibus, quamvis utilis foret Certa eorum notitia; uti ſunt Reliquiae, Miracula, atque alia hujuſmodi, Infallibilitatem minime ſibi tribuit Eccleſia. Nihil vero exempla a Theologo tuo producta ad rem noſtram faciunt. Agimus de Conceptione Virginis, hoc eſt de Facto, quod Eccleſia ſtatuere ſine errore potuerit, ſiquidem a Revelatione aut per divinos Libros, aut per Traditionem, haberi poſſit, num revera Deus praerogativam hanc Virgini conceſſerit, an negaverit. Quaenam vero utilitas ad ſalutem aeternam, atque ad Mores Populi Chriſtiani ex hujuſmodi definitione emanatura eſſet, quum vacabit, a te lubenter accipiam.

Ad Judicii atque definitionis difficultatem nunc venio. Inter pleroſque Fidelium jam inolevit perſuaſio ſive opinio (quippe contra hiſcere palam nemo audet) Certam adeo evaſiſſe Sententiam de Immunitate Virginis ab originali peccato, ut de hoc amplius diſputationi nullus relictus ſit locus. Hoc Populo paſſim denuntiatur vel ab iis, qui interrogati nullam fortaſſe ſolidam rationem aſſertionis hujus adferre poſſent. Qui vero ipſa Apoſtolicae Sedis decreta perſpecta habet, aliter judicet oportet; neque tu, ut arbitror, ſecus judicabis. Rurſus, ſi audimus Theologum tuum pag. 79. *Ad hanc cauſam diſcutiendam plus laboris ac diligentiae collatum, quam fieri ſoleat in Vita & moribus dijudicandis eorum, qui Eccleſiae decreto ſunt conſecrandi: atque adeo de Pia Sententia pronuntiari illud poſſe: Conſtare de merito, ac procedi poſſe, quando Sanctiſſimo placuerit, ad definitionem*. Tum Conſultoris munus apud Apoſtolicam Sedem ille arripiens, pro ſua ſingulari Prudentia regiam eidem viam ſuggerit, qua ad Controverſiae deciſionem ſit procedendum. *Satis eſt*, inquit ille, *paucis Theologis negotium committere* (quod & in libello ſupplici a Clemente XII. antea per Catholicum Regem petitum fuerat) *qui non cauſam praefrigeratam de integro recognoſcant* (nam haec in Scotiſtarum Libris ad Certitudinis apicem deducta jam fuit, & praeſertim in Libro Patris de Luca) *& an ſit definienda, in dubium revocent* (haec enim

nim definita jam videtur, nam, ut is ait, pag. 93. *Nulli sunt Patres, aut fere Nulli, qui non Piae Sententiae adstipulentur) sed qui duorum, quae proposuimus, alterutrum eligant; hoc est videant inter se, ac Pontifici exponant, Conceptionis Mysterium sitne definiendum ut res de Fide, an ut Certa infra Fidem, seu Certitudine aliqua infallibilis Veritatis.* Adeo sapientis hominis consultationi miror cur additum non fuerit, paucos illos Theologos seligendos esse e Scotistica Schola; quippe nullus praeter eos certam rationem exerere potest, cur non amplius dubitandum sit, & caussa haec *sit definienda.* Sed ut serio agam, ajo, consilia haec omnia, sive tentamenta, ut vulgari verbo utar, excogitata esse in perniciem Prudentiae & Dignitatis Apostolicae Ecclesiae. Nam primo, fueritne Virgo, an non, immunis in Conceptione a macula originali, ex iis Factis est, quae Sancta Sedes & Ecclesia decidere potest, sitne de Fide, an contra Fidem, quia & hoc potuit revelasse Christus Dominus in sacris Scripturis, aut per Traditionem ad nos usque transmittere; aut necessario deduci fortasse potest ex certa aliqua divinorum Librorum sententia, aut ex legitimae Traditionis doctrina. Si forte Revelatio haec desit, ad quam colligendam & statuendam peculiare auxilium suum pollicitus est Deus Ecclesiae suae: nulla alia ratione potest eadem Ecclesia, sive Petri Sedes, ad *Certitudinem infallibilis Veritatis* evehere Piam Sententiam, quum neque a lumine naturae, neque e concordia Theologorum (eos enim heic discordes habemus) neque ex imaginatione hominum (quis enim *Consiliarius* Dei fuit, ut ait Apostolus? *quis affuit in consilio Domini*, ut inquit Hieremias?) elici possit tanta Certitudo illius Sententiae, ut Falsum in ea suspicari non liceat. Reliquum igitur est, quoties fundamenta forte deessent ad referendum inter inconcussa Fidei Dogmata Piam Sententiam, ut eam Deus revelasse noluerit, atque eadem pergat esse tantummodo Pia & Probabilis, qualis hactenus fuit. En ergo ab eo non satis recte consultum Prudentiae & Dignitati Sanctae Romanae Ecclesiae, qui ab ea statuendam curat ejusmodi Sententiam, si non Certam *de Fide*, saltem *Certam infra Fidem, seu Certitudine aliqua infallibilis Veritatis;* & nihil pensi habet, an hostium irrisioni exponat Matris nostrae judicia, dum voti sui compos fiat.

Pejora tamen molitur novus iste Sanctae Sedis Consiliarius, dum non dicam Romano Pontifici, sed Christiano universo Populo persuadere vult, longe majori labore & diligentia pertractatam fuisse Quaestionem hanc, quam fieri soleat in processibus de Canonizatione Ser-

vorum Dei, eamque in tanto lumine jam collocatam, ut pronuntiari jam possit: *Constare de meritis*; nullumque amplius de ea instituendum esse examen, sed tantummodo pronuntiandum de illius *Certitudine*. Tu haec audiens minime animadvertis; animadverto quidem ego, concedere haec in maximam Sanctae Sedis injuriam, atque in universi gregis Christiani illusionem. Si, uti supponitur, tanta luce Veritatis donata jam fuit Pia Sententia, ut eam superet, quae ex processibus pro Canonizatione Sanctorum resultat: nonne culpandi aut negligentiae, aut inscitiae, aut parum laudandi alicujus affectus summi Pontifices, qui adeo exploratam illius Veritatem adhuc suppressam incertamque volunt, aut sinunt? Sin vero, uti credendum est, post tantam diligentiam tantum lucis nondum in hanc Sententiam inlatum fuit, ut Romani Pontifices rite eamdem decreto suo firmare possint: jam sentis, quanto dedecore hic tuus Romanam Ecclesiam aspergat, quae Sanctos in Caelitum album infert, quanquam non tanto *labore ac diligentia* utatur *in vita & moribus eorum dijudicandis*, quanta hactenus adhibita est *ad discutiendam caussam Conceptionis*; & ab ista nihilominus dirimenda alienam se prodit. Sed abeant hujusmodi praestigiae. Apostolica Sedes aut numquam ad solenne plenumve examen controversiam de Conceptione Virginis vocavit; aut si deduxit, id unum vidit, quo Minoritae tui nimia confidentia confundatur. Scilicet nihil aliud invenit, nisi Scotisticam Piam tantummodo ac Probabilem esse, non vero Certam: alioquin eam pro suo erga Deiparam devoto ac filiali obsequio Certam quoque pronunciasset. Rursus vidit, Thomisticam quoque Piam ac Probabilem esse: alioquin eam aut haereticam, aut falsam, aut erroneam, aut scandalosam, aut piarum aurium offensivam denunciasset. Restat ergo, ut hujus Quaestionis examen instituerint uni Scotisticae Opinionis asseclae, atque immenso labore, & diligentia majori, quam quae ad consecrandos Dei Servos adhibetur, suam demum Sententiam ex cerebri sui sacrario deduxerint ad *Certitudinem infallibilis Veritatis*. Contine nunc risum, si potes, dum audis, Scotistas tuos partis simul & Judicis sibi munus arrogasse; atque nunc edicere Fidelium gregi, nullo amplius examine heic opus esse; Sedemque Apostolicam tantorum virorum fide fretam, caussam hanc *praefrigeratam de integro* minime debere *recognoscere*; sed eis duntaxat victoriam clausis oculis adjudicare. Et nisi fateberis, insidias heic structas Prudentiae Romanorum Pontificum, & Sanctae Sedis decori, ego te obtusi ingenii arguere nequaquam verebor.

Con-

Continuato deinde sermone ajebat: Immo nusquam & nunquam accuratissimi examinis tanta necessitas fuit, quam in praesenti controversia, si quando eam sibi dirimendam sumeret Pontifex Maximus. Constanter enim ajo, caussam hanc adhuc pendentem, tanto animorum aestu, tot imposturis, tot sophisticis rationibus, ac falsis interpretationibus ab utraque parte fuisse per plura Saecula agitatam, ut qui eam nunc attingat, in ambages ac praerupta innumera se conjectum illico sentiat. Neque mirum, ubi vigent acerrima studia partium, & dum quisque Gloriam Dei, & Virginis Sanctissimae, ac Veritatis caussam se unice tueri arbitratur, minime animadvertit, se ab aliis turbulentis affectibus in aciem praeripi. Agitur heic de laurea Ingenii, de gloria Ordinis, ac Nationis. Ab internis hisce vehementibus animi perturbationibus agitati viri docti, sub Religionis, sive majoris Pietatis obtentu, nullum lapidem non movent, ut si non triumphum, orationem saltem consequantur. Hinc persuadere sibi & aliis, non de re levis momenti, sed de negotio omnium gravissimo disputari. Inde Reges, Academias, & Populos commovere. Interim uberior laus Ordini & Genti, & in aemulos invidia speratur. Et quandoquidem Prudentia summorum Pontificum a duobus ferme saeculis obstruendum os uni parti laudabili consilio censuit, ut tumultibus ac seditionibus esset finis: latior campus alteri parti apertus fuit ad effundendum quidquid sibi liberet, & ad suadendam Certitudinem Sententiae suae, absque metu adversariorum, quibus silentii frenum jamdudum fuit injectum. Itaque si quando solenne judicium Sancta Sedes de hujusmodi Quaestione institutura foret, petas velim a Magistro tuo, an aequiores, & Prudentiae summorum Pontificum magis conformes dicendae essent conditiones, quas ego subnectam, non uti Consiliarius Sanctae Sedis, sed uti unico Veritatis zelo ductus, quam animosi Minoritae consilium de omittenda prorsus cognitione caussae, & de statuenda e vestigio Certitudine Piae Sententiae, labore tantum converso ad decernendum, qualis sit ejusmodi Certitudo, talis tamen semper futura, quae dicenda sit *Certitudo infallibilis Veritatis*.

Jam constat inter Theologos, potuisse Deum sinere, ut Maria cum originali labe conciperetur, & potuisse etiam eamdem praeservare. Ex geminis hisce statibus uter Virgini contigerit, non aliunde nos possumus edicere, nisi a Revelatione Dei, si qua est, quae innotescat vel ex divinis Literis, vel ex legitima Sanctorum Patrum Traditione; Nam ex intellectu nostro elicere velle, quae in rebus

non

non necessariis fuerit Voluntas Altissimi, ad temeritatem interdum accedat. *Quis enim homo* (rursus dico) *poterit scire consilium Dei? Aut quis poterit cogitare quid velit Deus?* Sap. IX. 13. Propterea Gersonius T. I. pag. 452. rigide improbat ita ratiocinantes: *Christus potuit hoc vel illud facere* in gratiam Matris suae. *Et hoc decuit ipsum facere, quia decuit eum Matrem honorare. Ergo sic fecit.* Itaque si unquam pertractanda foret caussa haec ante summum Pontificem, nulla dubitatio est, quin fieret in judicio contradictorio, & parte altera adversante audita, uti factum fuit in celebri controversia de Auxiliis, & quotidie fit in processibus de Canonizatione, quibus interest, & quaecunque objicienda sunt objicit Fidei Promotor, sive Advocatus Fiscalis. Nihil enim tam grande ac delicatum in Ecclesia Dei, quam condere decreta Fidei, & quae intellectum & conscientiam obligent. Ita vero hactenus Ecclesia semper se in tam gravi negotio gessit, ut nunquam Dogma aliquod divina Fide credendum statuerit, quin meminerit secundum Apostoli Petri praeceptum Ep. I. Cap. III. 15. se debere esse *paratam semper ad satisfactionem omni poscenti rationem* de suis decretis, ea ostendendo innixa Revelatione scripta in sacris Libris, aut ad nos per Traditionem Patrum sanctorum transmissa, aut e certis Religionis sacratissimae documentis rite deducta. Itaque primo perpendenda sunt ea Scripturarum sacrarum loca, quae tot Theologi, ac tuus etiam pro Pia sententia adfert. Atque is sane pag. 59. Lectorem monet, *temeritatis intolerandae* esse dicere, *Scripturae loca in sensu literae non favere sententiae suae*, postquam in Evangelio Maria appellatur *κεχαριτωμένη, Gratia plena*; & in Canticis Canticorum de ea dicitur: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Videndum, inquam, an tantum lucis ex Graeca illa voce emanet, ut tuto inferri inde possit Conceptionis Marianae Immunitas, quum Sanctificationi praecedenti eadem quoque aptetur; & an unquam Ecclesia usa fuerit sensu Allegorico, Tropologico, & Anagogico ad fundandum Dogma Fidei; certum quippe est, secundum Literam non spectare ad Virginem sanctissimam verba illa Canticorum. Secundo expendenda sunt Scripturarum loca a contrariae Opinionis sectatoribus producta, ex quorum literali sensu videtur inferri posse, Mariam cum reliquis hominibus peccasse in Adam, & Redemtione indiguisse. Quum vero nonnullae probabiles rationes concurrant, cur ab illa universali lege excipienda videatur Deipara: tertio loco consulenda est sacra Traditio, ac diligentissime scrutari opus est, noverintne & praedicarint Sancti Patres ejusmodi exceptio-

ptionem, an contrarium potius ex eisdem colligatur. Atque heic animadvertendum, sub nomine Sanctorum Patrum, quum agitur de colligenda Traditione divina Dogmatum Christianorum; proprie eos venire, qui per sex priora saecula, post Christi Domini Ascensionem in caelos sanctitate vitae, & ubertate doctrinae floruerunt, & custodes ac testes fuere Dogmatum a Christo & Apostolis ore traditorum Ecclesiae suae. Eorum chorum claudunt Gregorius Magnus Romanus Pontifex, & Isidorus Hispalensis Antistes. Reliqui dicendi quidem Sancti, qui deinceps vixerunt, ac Theologi, non vero Sancti Patres, quoties de haurienda eadem Traditione cura est nobis, & quanquam appellare velis Sanctos Patres & istos (neque enim id facere quisquam prohibetur) certe eorum auctoritas, etiamsi non levis pretii & usus sit in Theologia, in comparatione tamen priorum Patrum minor est; eorumque Traditio, utpote ab Apostolorum temporibus remotior, non ejus est ponderis, atque Patrum antiquorum; & nulla etiam foret, si forte veterum dictis adversaretur; aut dubia, quoties facta narrant, quae Veteres minime noverunt, & si novissent, minime tacuissent.

Igitur ad rite hauriendam in hujusmodi, atque in aliis Fidei negotiis Traditionem Patrum, mecum ut puto, concors eris: primo abjicienda esse, quaecunque dubia, interpolata, aut supposititia Sanctorum scripta, quaecunque imposturae, quaecunque loca abs re in caussam istam adducta hactenus fuere. Multaque sane ex his offendimus in Libris utriusque partis. Seponendae praeterea quarumdam piarum mulierum Revelationes, quarum nulla unquam ratio habita est in Ecclesia Dei, ubi de stabiliendis iis, quae credenda sunt, actum fuit; atque heic praecipue cavendum, quando novimus contrarias hac de re Revelationes in aciem venisse. Reducta ad unos germanos ceterosque Sanctorum Patrum Libros inquisitione Traditionis, ad controversiam hanc pertinentis, sollicite considerandum est, num illi faveant Piae Sententiae, an non; & an praerogativam hanc, sive ejus Certitudinem, quum opus erat, minime revelaverint; nam si eam ipsi revera ignorasse deprehenduntur, haec ipsa ignoratio species Traditionis est contraria Scotistis. Utique insurgit Theologus tuus pag. 28. in ea verba erumpens, quae terrorem incutere posse videantur vel ipsis Judicibus sacris, dum inquit: *Est Mendacium Impudentissimum dicere, priscos Patres, & Ecclesiae Doctores a contraria parte stetisse &c. Ridendi sunt, qui non jam Patres, sed Patrum larvas ostentant, tamquam terricula imperitorum.* Utinam ab hisce, aliisque hujusmo-

jusmodi parum honestis verbis is abstinuisset, ne in caput suum reciderent, si forte post diligentem inquisitionem constaret, non larvas Patrum, sed Patres ipsos ab admittenda Certitudine Piae Sententiae longe abesse. Quanquam quid ajo? Pater de Luca ejusmodi periculo jam sententiam Piam eripuit, inquiens pag. *96. Si Mysterium Apostolica Sedes aliquando definiat (quod ad istorum refraenandam audaciam Necesse est) qui praedicabit, probibita esse de hoc ipso argumenta Cajetani, Turrecremata, & aliorum Opuscula; in iis Auctoribus Patrum nomina & dicta, vel esse omnino suppofititia, vel dolo malo depravata, vel ad causam non pertinentia, is profecto Verissima praedicabit.* Stupens haec audio. Hactenus Romani Pontifices, sive Ecclesia, censuere, decreta Fidei inniti debere sacris Libris, & sententiis Sanctorum Patrum. Vires suas perspectas minime habebant. Animoso pede ad decernendum deinceps procedant. Tametsi adversantia suis decretis postea apparerent dicta Patrum, haec supposititia, depravata, inepta appellare oportebit. Theologo huic proinde ingentes gratiae habendae, quod rem tanti momenti, antea nemini excogitatam, detexerit, & usu recipiendam edixerit; neque enim quidquam periclitaturam esse ita se gerendo Romanae Ecclesiae Prudentiam, immo & Infallibilitatem, is vadem se offert. Posceret autem locus, ut quando eruditus iste Theologus §. 19. pro Pia sententia commemorat *Origenem*, & Sanctos *Augustinum*, *Fulgentium*, *Hidelphonsum*, & quosdam Graeculos, quos tanquam luculentiores testes pro eadem sententia ipse selegit, ad examen ego revocarem. Sed pro reverentia erga decreta Pontificum libens abstineo. Erit hoc munus Apostolicae Sedis, si unquam examen istud instituere velit.

Interea aequi rerum aestimatores fatebuntur, si quando decretorium judicium instituatur de Conceptione Virginis, omnia ab utraque contendentium parte allegata, severo examine indigere; & parum laudabile consilium offerri Prudentiae Romanorum Pontificum ab eo, qui negat retractandam caussam, ac sine ulteriori examine procedendum esse ad definiendum, qualis dicenda sit *Certitudo* Piae Sententiae, *Certitudinem* tamen hanc futuram esse *infallibilis Veritatis*: quod ubi accideret: quid ultra deesset, ut haec Sententia ad Fidem pertinere crederetur? Modeste sane loquutus fuisse videbatur Libellator, scribens, Ecclesiae sententias *debere esse conformes Sacrae Scripturae, vel Traditioni Patrum. Sed sententia de immaculato Virginis Conceptu non est Expresse conformis Sacrae Scripturae, quia auctoritates, quae in illius favorem adducuntur, in sensu literali hoc non expri-*

exprimunt, ſed detorqueri debent ad ſenſum accommodatitium, qui non eſt regula definitionum Eccleſiae. Nec eſt Traditioni conformis: quia de hoc Myſterio primo dubitatum eſt, & in primis Eccleſiae Saeculis, a quibus Traditio oritur, altum fuit ſilentium de Virginis Conceptione. Quid in his verbis adverbium *Expreſſe* ſignificet, tu ſatis intellexiſti. Quid vero Pater de Luca? Non auſum Libellatorem ait *in majori propoſitione repetere illud Expreſſe, quod eſt poſitum in minore*, ut falleret incautos diſſimulando. Tum vero ſibi fingit propoſitionem hanc, ſcilicet: *Nihil eſſe definiendum, niſi quod eſt expreſſe conforme Sacrae Scripturae, vel Traditioni Patrum;* eamque *haereticam, vel haereſi proximam appellat*. Atqui hoc minime dixit Libellator. Nil refert. Ex regulis Logicalibus hoc dicere ille debebat. Tum, ut oſtendat Propoſitionis a ſe efformatae virus, ait, ſecundum illam argui poſſe erroris Tridentinum Concilium, quod in Canonem retulerit *Libros Tobiae, Machabaeorum, & Sapientiae; de iis enim contentio pertinax olim fuit; nec ullus Liber Divinus, nec vero certa Traditio Expreſſe demonſtrat, Libros eoſdem eſſe Divinos*. De propoſitione, quam nuper audiſti, quidquam diſſerere mihi non eſt in praeſentia animus; ſed quidem ajo, inopportuna & incongrua ab eo proferri ad praeſentem cauſſam, immo inconſulte, (ne graviori vocabulo utar) ipſum eſſe loquutum de Tridentino Concilio, quaſi Patres ii ſine valido & expreſſo Traditionis ſuffragio Libros eos in Canonem Catholicae Eccleſiae retulerint. *Tobiae* Librum uti Sacrum & Canonicum agnovere Sancti Cyprianus, Baſilius, Ambroſius, Auguſtinus, Concilium Hipponenſe Anni 393. Innocentius I. & Gelaſius I. ſummi Pontifices, ut alios omittam. Neque diſſentit S. Hieronymus. *Machabaeorum* Libris auctoritatem quoque conciliarunt Origines, Tertullianus, Cyprianus, Lucifer Calaritanus, Hieronymus, Auguſtinus, Concilium Carthaginenſe III. Innocentius I. & alii. Denique *Sapientiae* Librum uti Hagiographum laudarunt Juſtinus Martyr, Origenes, Tertullianus, Cyprianus, Euſebius Caeſarienſis, Concilium Sardicenſe, Baſilius, Hilarius, atque alii complures. Videat ergo Pater de Luca, an Prudentiam & Eruditionem ſuam deceat ea proferre, quae Catholicam Eccleſiam laedere poſſunt, ac ſi ex arbitrio, & non ex auctoritate certa Traditionis, in Canonem memoratos Libros retuliſſet, & quae ſimul ſuae cauſſae nihil prodeſſe queunt. Exerat ille, ſi poteſt, tot ac tales teſtes Traditionis faventis Piae Sententiae, quales Tridentina Synodus ad ea efformanda decreta adhibuit: & tunc in eandem Sententiam Eccleſia, nemine refragante, firmiſſimo decreto

concedet. At si forte constaret, Sententiam illam non satis conformem esse Sanctorum Patrum Traditioni, certum est mihi, nullum ei sperandum esse, dum Mundus stabit, Romanae Ecclesiae propitium peremtorium decretum.

Hoc unum nos interea concludamus. Pia, Probabilis, Laudabilis est eorum Sententia, qui Immaculatum Conceptum Deiparae tribuunt. Hoc & ego lubentissime amplector. Verum Sententia haec nondum ad Certitudinem assurrexit, neque aliud quidquam tenuit hactenus, & tenet Romana Ecclesia. Certitudo, quam nobis depraedicat iste Theologus, atque alii ante eum praecipue ex Festo Conceptionis, secundum Piam Sententiam ab Apostolica Sede probato, haurire se posse putarunt, ex eorum ingenio prodit, cui quidquid affectus summopere desiderat, nullo negotio verum & sanctum videtur, argumenta deinde fabricando, quibus etiam ceteris idem persuadeatur. Cresconium Donatistam hac de caussa S. Augustinus (Lib. VI. Cap. 37. contra eumdem) ridebat inquiens: *Degradatio mira praedicantium hominum, non jam ut vetus proverbium fertur: Quod volumus, Sanctum est; sed etiam Quando volumus, & Quandiu volumus.* Non ex Cultu religioso determinatur Objectum, sed contra ab Objecto determinatur Cultus. Da mihi Objectum Cultus Certum ex Revelatione scripta, sive non scripta per Traditionem: Cultus quoque Certissimus erit, atque ad Fidem spectabit. Sin Objectum tantummodo Pium est, & unius Prudentiae legibus obnoxium, ejusmodi quoque erit Cultus; recteque semper Ecclesia agit, dum Probabile Objectum inveniens, Cultum Probabilitate eadem innixa constituit. Neque enim Prudentia deest Probabiliter operanti in rebus, de quibus Certitudo haberi non potest, nullaque Certitudo, aut major Probabilitas contra militat. Propone tibi Festos dies S. Annae, & S. Joachimi. Quandoquidem S. Epiphanius Haer. LXXIX. *Joachimi* & *Annae* meminit, eorumque apud Graecos antiquissima erat memoria, & festus dies, idcirco Latina quoque Ecclesia prudentissime eorum Natalem diem in Sanctorum Fastos invexit; & nos Prudenter cum illa memoriam eorum colimus, ac temere contemneremus. Eadem dicas de Objecto Festi Praesentationis, & Assumtionis B. Virginis, quotiescumque legas, quae de varia illius origine Eruditi viri adnotarunt. Pie tamen ac prudenter dies illi Festi invecti fuerunt, & pie simul ac prudenter a nobis coluntur. Scribit certe Minorita pag. 36. a Cardinali Baronio *in Martyrologio Romano Traditionem de Praesentatione tamquam Certam proponi*. Id apud Baronium non legi. Sed hujus

hujus Traditionis Certitudinem aequius nos exſpectabimus ab eruditione Theologi iſtius. Si id ei minime ſuccedat, ac potius inverſo ordine dicere pergat, ex inſtitutione Cultus Praeſentationis Objectum ipſum evaſiſſe Certum: ſciat, ſe exponere Eccleſiam nimiis inſultibus inimicorum. Quei enim nos illius Infallibilitatem in ejuſmodi factis tutabimur, ſi legitima Traditio deſit?

Igitur vela tandem colligamus. Piam, Probabilem, Laudabilem una cum Apoſtolica Sede, & reliquis Eccleſiis, agnoſcimus Sententiam tribuentem Deiparae immunitatem a culpa originali; Piumque, & Probabilem Feſtum diem, & Cultum illius ſecundum eandem Sententiam prudenter inſtitutum celebramus. *Sanctam* quoque ac *Digniſſimam* Conceptionem Virginis merito appellamus, quia aut *Praeſervata* cum Scotiſtis, aut *Sanctificata* cum Thomiſtis in Conceptione creditur. Certitudinem autem *Praeſervationis* quicumque ex eodem Feſto invehere vellent, contra mentem ipſius Apoſtolicae Sedis id faciunt, ac principiis innituntur, argumentaque conflant, quae ſi conſiſterent, jam contradicentes ſibi haberemus Romanos Pontifices, qui Quaeſtionem hanc indeciſam atque incertam relinquunt; praetereaque omnes Catholicorum Eccleſias, atque ipſam Romanam, coniiceremus in immenſas & inextricabiles lites de Feſtis Sanctorum, de Reliquiis, de Imaginibus, de Breviario, ac de aliis ad eundem Cultum Sanctorum pertinentibus. Quod periculum non ſatis perſpiciunt, quî unum ſibi negotium ſtatuunt, nempe ut Sancta Sedes Sententiam hanc Piam, atque etiam altera Probabiliorem, ad Certitudinis gradum evehat. Nam quod eſt ad gloriam Sanctiſſimae Virginis, num indiget illa hujuſmodi decreto, ut ſit ſupra ceteras meras creaturas beata, benedicta, & invocanda, utpote omnibus Virtutibus, doniſque caeleſtibus ornata, & electa a Deo ad ineffabile Myſterium Incarnationis complendum, & pariendum omnium Salvatorem Chriſtum Dominum? Hactenus me oſtendiſſe tibi arbitror, a Prudentia Eccleſiae pendere, quaecunque a Revelatione ſcripta aut tradita haberi non poſſunt; haec omnia Prudenter ab ea peragi, atque praeſcribi: quod ad ejus Dignitatem tuendam ſatis eſt. Quamvis de veritate Sancti alicujus, aut cujuſpiam ſacri Corporis, aut de aliis ad eundem Cultum Sanctorum ſpectantibus, dubitatio inſurgere poſſit: nihil detrimenti ex his in Fidem & immobilem arcem Religionis Catholicae redundat. Contra dicendus eſt male conſulere Apoſtolicae Sedis Dignitati, ejuſque Infallibilitatem in diſcrimen adducere, quiſquis ab ea petit, ab ea ſperat ſine praevio accurato examine cauſſae, judicium

five Decretum de Certitudine Piae Sententiae. Jam haec ipsa a tot annis triumphat; una depraedicatur, silentium contrariae Sententiae assertoribus religiose observantibus. Attamen tanta haec pro nihilo habentur, nisi ad Certitudinem, quam sibi fingunt in ea Sententia, accedat Sanctae Romanae Ecclesiae decretum. Nunquid igitur se plus sapere arbitrantur, quam ipsa Sancta Sedes? Jam paene trecenti effluxerunt anni, ex quo controversiam hanc ad suum Tribunal advocarunt Romani Pontifices. Nullum ex iis mihi ostendas, qui in promovenda Pietate erga Deiparam cum Praedecessoribus non certarit & certet. Catholici quoque Reges nihil non egerunt, ut lis dirimeretur, spe ducti, immo fiducia certae victoriae. Nihil tamen hactenus impetratum. Cur quaeso? nisi quia potentissimae rationes Prudentiam summorum Pontificum ab ejusmodi decreto avertebant. Hae autem adhuc vigent; neque enim novimus antiquis veri similibus rationibus, quae Probabilem efficiunt Piam Sententiam, additum quidpiam grande fuisse postremis hisce temporibus, quo Certa eadem reputanda sit. Credendum pariter est, minime Ecclesiae posse placere, dum tanto favore Piam Sententiam prosequitur, si quisquam hujusmodi favore & libertate sibi relicta, & silentio aliis indicto, abuti velit in dedecus & perniciem ipsius Ecclesiae. His dictis finem loquendi fecit Romanus Abbas. Tum ego rogare, ut mihi chartas illas, in quibus ordo disputationis, & Auctorum verba adducta continebantur, commodaret. Is minime negavit. Inde vero haec ego subcisivis horis expressi, & ad te, amantissime Azevede, scripta volui. Quae tua nunc de hujusmodi contentione sententia sit, nisi mihi significaveris, violata necessitudinis nostrae officia iratus conquerar. Vale.

Neapoli XI. Kal. Aug. MDCCXL.

Ne-

Nobili & doctissimo viro D. Gregorio Azevedo Ferdinandus Valdesius S. P. D.

EPISTOLA QUINTA.

NON semel ad te scripsi, amantissime Azevede, quo plausu a nonnullis, & vicissim quanto strepitu ab aliis, exceptus fuerit Antonii Lampridii Liber *de Superstitione vitanda*. Egomet (sincere fatebor) dum saepe atque intense illius argumenta expenderem, me tandem ad ejus sententiam adjunxeram; atque uti in eam persuasionem descenderam, adhuc Certitudine carere Sententiam, alioqui Piam, faventem Immaculatae Conceptioni, ita mihi firmissime persuasi, minime licere pro illius tutela sanguinem & vitam obligare. Attamen quum ingenii mei viribus parum fidere consueverim, die quadam ad Coenobium S. Mariae Novae me contuli, doctissimum virum Patrem Joannem de Luca rogaturus, ut ediceret, rectene ego cum Lampridio sentirem, an cum illo incaute errarem. Inane iter suscepi. Nuntiavit mihi ex religiosis iis viris quidam, Patrem de Luca jampridem Romam evolasse; spe, immo fiducia praemii adductum, debiti utique viro, qui tam nervose pro Immaculata Conceptione steterat, nullumque amplius locum controversiae reliquerat. Quod minimum contingere potest, ajebat ille, Episcopalis Cathedra in hisce partibus eum manet; aut aliqua saltem illustris Ecclesia in Infidelium regionibus ei procul dubio regenda tradetur. Omnia piis illis viris gratulatus, ego inde abii, animo tamen recogitans, fieri non posse, quin aliquis, immo plures, Librum Lampridii ad trutinam revocarent, unde mihi lux speranda foret. Jamque ferebantur nonnulli calamum arripuisse: molesto nimis homini diem dicturi.

Nihil interea imminutum fuerat de amica consuetudine, seu potius necessitudine, quae inter me, & Abbatem Romanum intercedebat. Proxime igitur praeteritis diebus quum apud eum essem, ita me est alloquutus. Nondumne vidisti Prologum Galeatum Patris de Luca? Tum ego: quidnam ais? Ad haec ille: Nuper in hac Urbe e typis erupit Prologus iste, & quidem adversus Lampridium, Voti Sanguinarii damnatorem. Heic ego: Opusculum istud si tenes, ne

mihi

mihi quaeso diutius occultum velis. Vix haec dixeram, quum ille mihi obtulit, inquiens. Non Opusculum, sed quidem unum chartae folium habeto; tam paucis enim lineis fortassis arbitratus est Minorita tuus, se posse non brevem Lampridii Librum dejicere, aut saltem asseclas suos continere, ne repente a se deficientes in adversarii Scriptoris opinionem ruant. Quae ibi scripta erant, confestim legi. Tunc ad me conversus Romanus Abbas, quid inde collegerim sciscitatus est. Equidem, ajebam, video, sublestae fidei Lampridium arcessi, quod in adferendis verbis Bullae ab Alexandro VII. Pontifice promulgatae, ubi agitur de Cultu Virginis *secundum Piam Sententiam* instituto, haec praeterierit: *post ipsius Cultus institutionem numquam immutato*. Quippe his Pontifex docet, Ecclesiam Romanam *numquam Cultum immutavisse Conceptionis Deiparae eum, quem Sixtus IV. instituerat*. Piaculum vero is censet omisisse, *quae Pontificis mentem in hoc Mysterio colendo, atque adeo Romanae Ecclesiae, hoc est Catholicae, testarentur*. Ita ego. At Romanus Abbas. Hujusmodi querela nihil ineptius excogitari posse mihi videtur. Anno 1714. Lamindi Pritanii (idem est atque Antonius Lampridius) Liber *de Ingeniorum moderatione* primum prodiit. Anno tantum 1729. Theologicam Dissertationem eidem Candidus Parthenotimus opposuit. Post duos deinde aut tres annos Lampridius Librum suum *de Superstitione vitanda* elucubravit quidem, uti ego aliique novimus, sed Anno duntaxat 1740. sivit ut in lucem prodiret. Anno 1739. typis quoque traditus fuerat Patris de Luca Liber, cujus tamen exemplum Anno tantum 1741. ad Lampridii manus pervenit. Nisi Prophetam velis Lampridium, praevidere is minime potuit, quid scripturus, quidve editurus foret Minorita tuus. Et dum is per compendium Alexandrinae Bullae, immo & praecedentium Pontificum sensa exhiberet, praesentire nequivit, quaenam Pater de Luca commemoranda aut omittenda juberet. Si novisset ejusdem religiosi viri Librum, ejusque desiderium, intactum non dimisisset. Quod certe praestitit Lampridius, quaecumque praetermisit, per varia &c. alibi quaerenda designavit. Ubinam heic mala fides? Quod plus est, id ipsum agnovit Lampridius per alia ipsius Alexandri verba a se repetita, videlicet: *Nos considerantes, quod Sancta Romana Ecclesia de intemeratae Virginis Mariae Conceptione Festum solemniter celebrat, ac speciale ac proprium super hoc officium olim ordinavit juxta piam, devotam, & laudabilem institutionem, quae a Sixto IV. Praedecessore nostro tunc emanavit*. Satis haec indicant, Festum Conceptionis a tempore Sixti usque ad Alexandrum VII. nunquam

quam

quam immutatum. Quare insulsam plane querelam hanc ob caussam excitavit Theologus tuus.

Praeterea ineptius est venditare, aliquid emolumenti ex iis verbis accedere Scotisticae Sententiae; jam enim manu longe antea tetigisti, ex institutione ac celebritate Festi secundum Piam Sententiam nihil Certitudinis in eandem Sententiam effluere, aut effluxisse. Parum tamen dixi: addendum est, non aliunde efficacius, quam ex praetermissis verbis demonstrari posse, quantum excedat fidem confidentia Minoritae, quum ait: *Verba decreti Alexandrini, in quibus columen inesse causae omnes intelligunt, pessima fide Lampridius praetermisit*. Fatetur Pontifex, *Cultum* Conceptionis secundum Sixti institutionem *numquam fuisse immutatum*. Ergo nihil Alexander novavit; adeoque non Alexandri duntaxat, sed Sixti etiam temporibus objectum Festi Conceptionis definitum fuerit necesse est. Proinde illudit orbi Minorita contendens, objectum Festi de Conceptione, uti a Scotistis celebratur, tempore tantum Alexandri VII. fuisse *declaratum*. Hoc idem, vel tacente Alexandro, unusquisque deprehendere potuisset, geminas consulendo Sixti IV. Bullas, hoc est *Cum praeexcelsa*, & *Grave nimis*. Atqui Sixtus ipse Cultum illum secundum Piam Sententiam instituens, sive longe antea institutum comprobans, Anathema indixit dicere aut scribere audentibus, *Contrariam sententiam tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali Peccato fuisse conceptam, haeresis crimen, vel peccatum incurrere mortale, cum Nondum sit a Romana Ecclesia & Apostolica Sede decisum*. Hoc idem ceteri subsequuti Pontifices, & praesertim Pius V. & demum Alexander VII. concorditer, disertisque verbis repetierunt atque inculcarunt; ipsumque Tridentinum Concilium Sixti IV. decreta innovavit. Itaque rursus habes, uti nihil de Cultu, & objecto Festi immutatum unquam fuit, ita nihil immutatum de geminis contrariis Scholarum sententiis, quibus nihil obstante, Festo sua Probabilitas, sive major, sive minor relicta est tam a Sixto, quam ab Alexandro; liberumque esse unicuique heic sentire, quod propius veritati videatur. Igitur si Alexander nihil immutavit, idem statuens atque Sixtus, protereaque Objectum Festi a Sixto instituti nihil detraxit Thomisticae Opinioni: jam tenes, ab hac ipsa confessione *Cultus numquam immutati* non juvari, sed jugulari quaecumque argumenta tuus Minorita conflavit. Atque ut luculentius appareat, quam facile is in nubibus aedificet, memineris velim, neque Sixtum, neque ullum ex subsequutis Pontificibus sensisse aut statuisse pro Objecto Festi de Conceptione accipiendam

dam esse ab universa Ecclesia *Praeservationem* Virginis. Ii tantum edixerunt, sectatoribus Piae Sententiae in celebrando Conceptionis Festo hoc revera esse objectum Cultus. Pro iis vero duntaxat Missam & Officium Sixtus instituit. Et quum Pius V. ad universam Ecclesiam Officium & Missam, quibus nunc utimur, extendit, ita ea temperavit, ut & contrariae Opinioni adhaerentes sub objecto *Sanctificationis* Festum celebrarent. Nunc ergo accipe quid de hoc Festo senserint magni nominis Theologi. Suarez in 3. p. quaest. 27. art. 2. disput. 3. sect. 6. de Festo Conceptionis in haec verba loquitur: *Addo, neque ex Festi celebritate colligi posse tantam Certitudinem, quanta in alicujus Sancti canonizatione esse solet; quia ipsemet Pontifex, qui hoc Festum approbat, declarat, se solum probare Sententiam illam ut Piam, magisque Probabilem. Quod satis est, ut PIE & sine ullo periculo possit hoc Festum celebrari.* Accipe etiam verba Valentiae in 3. Disp. 2. qu. 1. punct. 2. *Neque obstat Sixti decretum. Nam quamvis approbat, & proponit Christi Fidelibus Festum, & Officium illud Immaculatae, ut inquit, Conceptionis B. Virginis: tamen non imperat etiam Fidelibus, atque adeo toti Ecclesiae, ut Conceptionis istius Festum & Officium eo nomine, quod immaculata & expers omnis peccati fuerit, concelebrent; ac proinde minime definit, illam fuisse prorsus Immaculatam &c.* Addo verba Vasquii in 3. Quaest. 27. Art. 2. Disp. 117. Cap. 15. *Summi Pontifices ita instituerunt celebritatem Conceptionis, & Officium illius approbarunt, ut nihil de Fide Certum de illa definitum esse voluerint: quin potius unicuique integrum esse, quam partem velint amplecti. Ut autem hoc Festum Fidelibus concederetur, sat illis fuit existimare hanc Opinionem Probabiliorem & magis Piam esse; nihil enim damni, multum vero utilitatis Fidelibus ex celebratione hujus Festi, etiamsi in sola Opinione Sanctitas illius posita esset, provenire posse jure existimarunt.* Concors hac de re Theophili Raynaudi judicium me tibi exhibuisse, ut puto, recordaberis.

Negare nequit commilito tuus, quin ex Decreto Sixti, aliorumque Pontificum, vel ante Alexandrum VII. Objectum Festi Conceptionis definitum declaratumque fuerit, atque illud ex confessione ipsius Alexandri *nunquam immutatum*. Attamen vides, ab eximiis Theologis statui, nihil Certitudinis ex eo Festo consequi in Piam Sententiam potuisse ac posse. Qua ergo Dialectica usus est Franciscanus miles, dum ex eodem Festo miram Certitudinem sententiae suae conciliare contendit; & dum *columen causae* collocat in *Cultu numquam immutato:* quum inde contrarium prorsus eximii Theologi de-

du-

ducant? Non ergo ex *Cultu numquam immutato* juvantur, sed prorsus destruuntur meditamenta alioquin inania Theologi istius, qui tamen religioni sibi non ducit crimen facere Lampridio, quod ejusmodi verba omiserit. Neque dubitandum quin is imaginatione sua deceptus, in parem errorem alios admirabili confidentia sua abduxerit, nam pag. 13. Dissertationis suae ex cathedra pronuntiat: *Hoc tamquam Certum sumendum est, Christianos Omnes, ex Ecclesiae praecepto venerari debere Conceptum Deiparae, non qualemcumque, sed beatissimum illud vitae exordium, quo cum Anima infunderetur in Corpus, Divinae gratiae muneribus ornata est.* Lege ac relege Maximorum Pontificum hac de re Bullas, ac potissimum Alexandrinam. Laudat quilibet Pontifex celebrantes sub hac inspectione Festum Conceptionis, eique Festo ita sumto favorem non unum idem impertiunt; at neminem celebrantium illud Festum ii praecepto obligant ad illud celebrandum secundum Piam Sententiam, neque ad inclinandam mentem in illam. Ipsam quippe Sententiam tantummodo uti Piam ac Probabilem, & si mavis, altera Probabiliorem agnoscunt, & qualis antea erat, relinquunt. I nunc, & fidem habe Theologo tuo. Misera sane Theologia, si complures ex hisce Theologizantibus aleret, qui majori supercilio falsa proponunt, quam qui Veritates Fidei. Sed quale sit doctissimi Minoritae hujus ingenium, nondum satis perspexisti. Perge in legendo. Post inique objectatam Lampridio verborum illorum omissionem, non certe ab eo dissimulatam, quum eam per unum &c. designarit, ita is in eundem Lampridium insurgit. *Non ergo tam facile hujusmodi Auctori esse credendum, cum Diplomata Principum, & Chartas veteres, Antiquitatum videlicet Italicarum investigator diligentissimus, nobis OBTRUDIT; posse nos enim suspicari, eum causae servientem, quam suscepisset, falsa veris miscere, Multaque addere Monumenta antiquis, Multa detrahere, uti libitum fuerit.* Risu haec, ut audivi, a compluribus cordatis viris excepta fuere, quasi ille sibi persuaserit, tam enormi obtrectatione quidquam offici posse famae hominis de Republica Literaria bene mereri pergentis. Alii tamen in indignationem eruperunt adversus hunc Theologum, quem mira & indigna Theologo dicacitas in quemque sibi adversantem abripere consuevit. Mihi sat fuerit monere, nulli honesto viro suboriri posse suspicionem de Eruditorum hominum fide, qui dum veterum scripta, diplomata, monumentaque tenebris eripiunt, Bibliothecas, Archiva, aliave loca commemorent, unde ea hausta fuere, ut commodum cuicumque sit, si velint, perspicere, an cum

editis membranae, marmora, numiſmata, & reliqua conſentiant. Quare velim ſincere edicas, quo demum nomine dignus ſit, qui teterrimam Impoſtoris notam Lampridio heic ſine ulla juſta cauſſa inurit.

Sed progrediamur, audituri, quid Theologus tuus carpendum rurſus deprehenderit. Dixerat Lampridius minime interdictum fuiſſe ab Alexandro VII. Pontifice celebrare Feſtum Conceptionis Virgineae ſub conſideratione *Sanctificationis;* propterea que licere. Ad haec Minorita reſpondet, manifeſtum eſſe, *Eccleſiam Romanam immunem colere ab originis labe Deiparam Virginem, idque Alexandrum verbis clariſſimis docuiſſe; neque Populo Chriſtiano optionem feciſſe, utrum Virginis mallet immunitatem, an a peccato expiationem celebrare: quod in re ſeria cavillando oſtentare Lampridium deteſtabile eſt.* Tum mitius agens, auctor eſt eidem Lampridio, ut exemplum Matris optimae imitetur, ſeque ejuſdem Filium prodat, Cultum ab ea propoſitum tuendo. Ita ille, non auſus quidem oſtendere, hac de re eſſe praeceptum Alexandri Pontificis, ſed tantum contendens, ex quo Eccleſia Romana *Myſterium celebrat juxta Sixti inſtitutionem, hoc & facere debere Eccleſiae filios, eoſque alio modo vetari Myſterium colere.* Equidem, ajebat heic Romanus Abbas, ne quid te celem Lampridium intime novi, utpote illius familiaritate aliquando uſus. Is vero Feſtum Conceptionis Marianae celebrat, quemadmodum Eccleſia Romana celebrare conſuevit, ſcilicet ejus Feſti objectum, qualecumque ſit, certe ad Honorem Virginis excogitatum, veneratur. Quare nihil erat, cur Pater de Luca conſilium praeceptumque ſuum interponeret, ut Lampridium ad ejuſmodi officium adduceret. Sed finge etiam tibi Lampridium ſubintellecto *Sanctificationis* nomine celebrantem Conceptionis Feſtum, quid inde obſecro exculpere poteris? Num quod religioſus idem vir nuper expetebat, videlicet eſſe Filiorum ſequi exemplum Matris, atque hocce exemplo vetari Fideles *alio modo Myſterium colere?* Sed fallitur, ſeu potius fallit nos Theologus tuus. Deſinuntne eſſe Filii obſequentes Romanae Eccleſiae tot Thomiſtae, aliive, quibus *Sanctificationis* potius, quam *Praeſervationis* ſententia arridet? Veritati adverſetur, qui hoc affirmet. Liberum enim eis reliquit Sancta Sedes ita ſentire, eoſdemque ita ſentientes non minus quam alios pios viros Filiorum loco habet. Si id eis liberum, liberum quoque ſit neceſſe eſt celebrare Conceptionis Feſtum ad ſuae Opinionis normam, hoc eſt ſub conſideratione *Sanctificationis;* praecipitque tantummodo Pontifex pacis cauſſa, ne quidquam proferant, aut hiſcant contra Piam Sententiam, neque Feſtum *juxta Sixti in-*

ſtitu-

ſtitutionem ab aliis celebratum voce aut ſcriptis impugnare, aut aſſerere ſub *Sanctificationis* nomine celebrandum, audeant. Jam tibi in aliis colloquiis oſtendi, id unum agere Patrem de Luca, ut omnium oculis Imprudentes exhibeat Romanos Pontifices, dum Thomiſticam Opinionem intactam volunt, & controverſiam de Conceptione Virginis indeciſam conceptis verbis relinquunt; & contra eodem tempore, eademque Conſtitutione, ſi docto huic viro habenda eſt fides, inſtituendo aut confirmando Feſtum, Piam Sententiam effecere Certam, atque ea *Certitudine*, *cui Falſum ſubeſſe nequeat*. Eandem nunc ei Imprudentiam affingit, dum fateri cogitur, non vetari Thomiſtas ſuae adhaerere Sententiae, & nihilominus in celebrando Conceptionis Feſto eos juberi adhaerere Contrariae. En quo collineent Theologi hujus effata: in dedecus videlicet Apoſtolicae Sedis. Uti nuper vidimus, Laudat Alexander Pontifex, & favore non uno proſequitur colentes Deiparam ſub nomine *Immunitatis*, Piamque hanc Sententiam, ac Feſtum ad id ſignificandum aliquot ante Saecula inſtitutum; pioſque Chriſti Fideles ſub ea conſideratione illud celebrantes, ab aliter ſentientibus & celebrantibus turbari quoquo modo vetat. Ceterum illos, qui diverſam tuentur Opinionem, & in Conceptionis Feſto celebrando Virginis *Sanctificationem* ſuae conformem Opinioni, venerantur: nullo verbo cohibet, proptereaque in ſuo ſenſu abundare ſinit. Quare cernis, Romanorum Pontificum mentem ab iſto Theologo perverti, atque in eorum converti opprobrium, ſemperque ipſum ſuper ruinoſa fundamenta fabricari.

Dixerat Lampridius: *Etſi aliquando Thomiſtica ſententia ad Fidem ſpectare ſtatueretur (hoc autem Poſſibile nemo neget) attamen ita res compoſita eſt, ut adhuc illud Feſtum in ſuo vigore una cum ſuo Officio ac Indulgentiis conſervandum foret*. Quid heic Pater de Luca? *Ridiculum*, ait, *in hac tanta celebritate hujus Myſterii*, *Opinionis afflictae*, *quam Thomiſticam vocas*, *definitionem excogitare*. Nimium facile ridet Theologus iſte, neque animadvertit, quid heic ille rideat. Non veriſimile, ut iſte ſibi fingit, ſed *Poſſibile* tantummodo hoc Lampridius ait. Si res adhuc Incerta reſtat, ſi de ea judicium ſibi Sedes Apoſtolica reſervavit, ſi nihil aliud in Pia Sententia niſi Apparentiam Veritatis & Pietatis deprehendit: num eidem Theologus iſte facultatem omnino auferre poterit pronunciandi pro *Sanctificatione* Virginis, ſi eam forte agnoſceret magis conſentaneam divinis Scripturis ac Traditioni? At ille ſubdit: Quum Sixtus IV. Immunitatem colentibus Indulgentias attribuerit, ſi eorum ſententia proſcriberetur,

retur, *forentne conservandae iis Indulgentiae, qui damnatam jam haeresim publice profiterentur?* Vide quaeso, quam belle nodum in scirpo quaerat ingeniosus iste vir, ut Lampridium veluti mente captum exhibeat. Haec ejus sententia est. Si Thomistica Sententia unquam victrix evaderet (quod duntaxat ut Possibile proponitur) Conceptionis Festus dies adhuc celebrandus foret, subintellecta *Sanctificatione*, quemadmodum nunc fit a foventibus Opinionem Thomisticam, & quae nunc Indulgentiae *Immunitati* tribuuntur, tunc *Sanctificationi* Virginis, uti verisimile videtur, tribuerentur; neque ullam propterea opus foret invehere mutationem in Missam, atque in horas Canonicas. Sed larvas excogitat felix ille Theologus tuus, ne desit pugnae & contumeliis locus. Alterum is deinde certamen intrat, atque Lampridium ridet, quod inter Festos dies, quorum objectum sit divina fide credendum, *Nativitatem* quoque *Virginis* recensuerit. *Nullum*, inquit ille. *Concilium, Pontifex nullus Nativitatem Deiparae Sanctam fuisse definivit. Id non liber divinus, non Patres antiqui tradiderunt.* At tu animadvertas velim, quantum antiquitatis sit Festo Nativitatis Marianae. Circiter Annum Aerae nostrae 690. Anastasio teste Sergius I. summus Pontifex *constituit, ut diebus Annuntiationis Domini, Nativitatis, & Dormitionis Sanctae Dei Genitricis &c. Litania exeat a Sancto Adriano &c.* Non tunc, sed longe antea institutum fuisse Festum illum diem, hinc discimus. Ejusdem quoque memoria est in Sacramentario Sancti Gregorii M. Papae, & in altero antiquiore, quod venerabilis Cardinalis Thomasius publici juris fecit, ac Gelasianum est opinatus. Utrobique cultus ille dies dicitur, *quo Felix Dominae Sanctae Mariae inchoata Nativitas.* Si *Felix*, ergo vel antiquissimis Saeculis Sancta habebatur Nativitas Virginis, & Mariam *Sanctificatam*, antequam nasceretur, credebat Ecclesia. Ad haec Lib. IV. Cap. 122. Op. imperf. Julianus Pelagianus haec S. Augustino opponebat: *Jovinianus Virginitatem Mariae partus conditione dissolvit: tu ipsam Mariam Diabolo nascendi conditione transcribis.* Idest: ille Mariam in pariendo Christo virginitate exutam voluit: tu vero Mariam, quum nasceretur, Diabolo obnoxiam facis, originali nempe macula deformem. Quid Augustinus ad haec? *Non trascribimus*, ait, *Diabolo Mariam conditione nascendi: sed ideo quia ipsa conditio solvitur gratia renascendi.* Obscura haec fateor; attamen nihil aliud inde colligi posse, mecum, ut spero, tu quoque senties; scilicet *Sanctificatam* in utero matris fuisse Mariam. Jam adnotaverat Lampridius pag. 187. in sacris Literis interdum significari *Conceptionem* sub

nomine

nomine *Nativitatis*, adductis etiam Sancti Augustini verbis ex Enarrat. in Psalm. LVII. num. V. ubi explicat ex Matthaei Evangelio Angelum dicentem: *Quod enim natum est in te* (idest conceptum) *de Spiritu Sancto est*. Consentientem heic habemus ipsum Patrem de Luca pag. 68. sui Libri, atque ex ipsomet Augustini loco nuper memorato Operis Imperf. deducentem Conceptionis Virgineae *Immunitatem*. Verum non ea unquam mens Augustino esse potuit, sed quidem *Sanctificatam* fuisse Virginem Dei Matrem futuram. Quid scripserit Augustinus contra Julianum Lib. V. Cap. 14. primo videamus. In nullo hominum agnoscebat Julianus originale Peccatum, quod Christus Dominus (illius certe expers) dicatur tamen *missus in similitudinem carnis Peccati*. Nemo autem divinarum rerum peritus est, qui nesciat, nomine *Carnis Peccati* significari idem originis Peccatum. At Augustinus ex hoc ipso ostendebat, deprehendi in omnibus hominibus *Carnem Peccati*, uno excepto Christo, quod is non ex humano semine, sed superveniente Spiritu Sancto fuerit conceptus. Propterea is respondebat: *Sine dubio Caro Christi non est Caro Peccati, sed similis Carni Peccati: quid restat ut intelligamus, nisi ea excepta Omnem reliquam humanam Carnem esse Peccati? Et hinc apparet, illam Concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fecisse in genere humano propaginem Mali* (idest maculae, sive culpae originalis) *quia Mariae Corpus, quamvis inde venerit* (hoc est concepta fuerit ex Concupiscentia, ideoque originis labem contraxerit) *tamen eam non trajecit in Corpus, quod non inde concepit* (videlicet in Christum, qui sine Concupiscentia, & sine virili concursu conceptus fuit) *Ceterum Corpus Christi inde dictum esse in similitudine Carnis Peccati, quia Omnis alia hominum Caro Peccati est.*

Quid heic Pelagii hyperaspistes Julianus, dum eisdem Augustini Libris novos & ipse Libros opponeret? Eum scilicet incusat, quod originis culpam ad omnes extendens, *ipsam Mariam* Diabolo obnoxiam fecerit, dum ipsam quoque eadem labe infectam disertis verbis pronuntiarit. Insurgit heic Augustinus, & ait: *Non transcribimus Diabolo Mariam conditione nascendi; sed ideo, quia ipsa conditio solvitur gratia renascendi.* Idest statuimus profecto, ne Mariam quidem immunem fuisse a reliquorum hominum Conditione; sed ipsa non diu fuit Diabolo obnoxia, quia conditio illius, sive Servitus, per divinam *Gratiam* soluta sublataque fuit. Quum dicit *gratiam renascendi*, procul dubio praecedentem indicat *conditionem nascendi*: quod idem est ac dicere: Concepta fuit in Servitute Peccati, sed per supervenientem Gra-

Gratiam renata, hoc est reconcepta fuit, atque a Servitute soluta: quemadmodum ceteri homines dicuntur nasci quidem Peccatores, sed per Gratiam Baptismatis renascuntur Justi. Eadem ratione infra eod. Lib. IV. Cap. 134. inquit: *Jeremias & Johannes, quamvis sanctificati in utero matrum, traxerunt tamen originale Peccatum.* Hinc est, quod Sanctus Hildephonsus (nisi is sit Paschasius Ratbertus) in Libro de Virginit. Mariae ipsam *in utero sanctificatam* agnoscit; Teste quoque Sancto Petro Damiani in Serm. 23. de Nativit. S. Joann. Baptistae, *nulla est ambiguitas, quin Virgo singularis, maternis circumsepta visceribus, sublimiori Sanctificationis genere Mundata sit.* Sanctus vero Bernardus, ut complures Theologi jamdiu animadverterunt, in Serm. II. de Assumpt. B. Mariae n. 8. de Deipara loquens ait: *Quod si originalem a parentibus maculam traxit; sed minus a Jeremia sanctificatam in utero, aut non magis a Johanne Spiritu Sancto repletam credere prohibet Pietas Christiana; nec enim festis laudibus nascens honoraretur, si non Sancta nasceretur. Postremo cum omnimodis constet, ab originali contagio sola Gratia Mundatam esse Mariam, quippe cum & nunc in Baptismate sola hanc maculam lavet Gratia &c.* Certe excogitare non possunt plerique Theologorum, priorum Saeculorum Ecclesiam, quae tot laudibus extulit, tot praerogativis divinitus donatam censuit Sanctissimam Virginem, reputasse illius Nativitatem inferiorem Nativitate Jeremiae, aut Joannis Baptistae; ac propterea credendum ajunt, ideo Festum illud institutum, quod Sanctam ejus Nativitatem unusquisque agnosceret. Idem quoque colligi posse videtur ex loco Sancti Joannis Damasceni in encomio Nativitatis Sanctissimae Virginis, quem pro se laudare solent Piae Sententiae patroni, quasi illic de Conceptione agatur. Satis autem haec reor, ut intelligas, *Sanctitatem* Nativitatis Marianae niti gravissima antiquitate Traditionis. Atque utinam paria de Conceptione quoque adferre possemus. Nihilominus finge etiam tibi, quod idem Theologus Lampridio objicit, hoc est nullo divini Libri, nullo antiquae Traditionis praesidio Festum Nativitatis Marianae fulciri: quidnam quaeso inde consequitur? Nihil aliud, nisi institutum fuisse Festum illum diem ex Probabili tantum ac Pia consideratione praestantiae, quam in Deipara omnes suspicimus; atque adeo illius Festi Objectum non ad Fidem pertinere, sed tantummodo ad Probabilem Pietatem, quemadmodum etiam pertinet Festus dies Conceptionis, aliique Festi dies complures. Ludit enim Minorita, quum scribit, si *Nativitatem* Virginis a *Conceptione* sejungimus, nos *non habere, unde Sanctam fuisse possimus ostendere.* Sancti-

ctificatam in utero matris Mariam nullus veterum negavit, & aliquot etiam agnoſcunt: id ſatis eſt ut Sancta appellanda ſit illius Nativitas. Utinam (repetere liceat) paria de *Praeſervatione* Virginis dicere poſſemus, quum nullus Veterum agnovit, & aliqui etiam negaſſe videntur. Proinde, ut alios Theologos omittam, Valentia T. IV. Diſp. II. quaeſt. I. p. 1. concluſionem hanc ſtatuit, ſcilicet *B. Virginem fuiſſe ſanctificatam ante ipſius Nativitatem, eſt certa omnino ſententia in Eccleſia, ita ut abſque Errore non poſſit negari*. Atque hoc ille decernit, nullo ad Virginis Conceptionem habito reſpectu.

Ceterum an parcus ſit injuriarum Theologus iſte, amice vir, mecum intuere. In tam anguſto Praefationis campo Lampridium ille, ut vidimus, veluti Impoſtorem traducit. Deinde *Pejora, & ab inſcitia profecta* appellat, *quae ſui Operis pag. 60. Lampridius habet*. Eum *rei Theologicae non valde peritum*, ne *mediocriter* quidem in *palaeſtra Theologiae exercitatum* dictitat. Quod gravius eſt, ſubdit, Lampridium, ut Sanguinarium Votum oppugnaret, *non pepercisse Myſterio Conceptionis innoxiae, non ipſi Feſto, non Pontificis Bullae, quam depravare modeſtiſſimus homo, & Eccleſiae Romanae reverentiſſimus non dubitavit*. Praeterea Lampridius *Opinionem ſepultam poene ab Inferis excitavit*, hoc eſt Thomiſticam: quod ſane in gravem, non dicam Lampridii, ſed Romanae Eccleſiae injuriam cedit, quae Sancti Thomae hac in re ſectatores caros habet, & favore continuato proſequitur. Praetereaque id injuſte Lampridio objicitur, qui Opinionem Sanctificationis minime profitetur, neque alteri praefert, ſed eo duntaxat intentus fuit, ut Scotiſticam, quam ſemper Piam ac Probabilem agnovit, oſtenderet *Certitudine* carere: qua certe ſublata Votum Sanguinarium neque concipere, neque obſervare licet. Addit, uſum fuiſſe Lampridium *obſoletis argumentis, quae contra legem Alexandri Pontificis inſoluta reliquit; nec id ſolum, ſed etiam ſolvi non poſſe judicavit, qua ille re mentitus inepte eſt*. Ita ille. Si argumenta *inſoluta* is appellat loca Sanctorum Patrum a Lampridio adducta, ac nota antea apud ipſius Piae Sententiae patronos, certe Lampridius ſimul pag. 104. rationem tradidit, per quam patroni praedicti eadem dicta cum ſua Sententia conciliare nituntur, admiſſo nempe *Debito* originalis culpae, culpa vero a Virgine excluſa, ita ut neſciam, quo nomine dignus ſit Theologus Lampridium venditans quaſi judicantem, argumenta illa *ſolvi non poſſe* a Piae Sententiae patronis. Certe non illa produxit Lampridius, ut eadem Piae Sententiae opponeret, ſed ut intemperantiam illorum cohiberet, qui non ſolum a Deipara *Debitum* origina-

ginalis labis auferunt, sed etiam vitam obligant pro tuenda imaginaria Immunitate Virginis ab ejusmodi *Debito*: quod summum redolet contemtum Sanctorum Patrum, & innumerabilium Theologorum secus sentientium; Ecclesiae vero ac Reipublicae interest in examen adduci quascumque perniciosas Opiniones effrenata Ingenia invehere in Ecclesiam Dei identidem audent.

Silentium heic ego fregi, inquiens: Ut audivi, Immunitatem quidem Virginis Minoritae fortiter tuentur, at a Voto Sanguinario abstinent. Ipsemet Pater de Luca hac in re concors fortasse cum Lampridio procedit; illud enim appellat *nescio quod Votum Sanguinarium*: tum subdit: *potuisse illud Votum sanguinolentum sine illis fraudibus oppugnari*. Nondum tamen hujusmodi fraudes pugil tuus in Lampridio ostendit, regerebat Romanus Abbas. Contra, qua sinceritate ille agat, animadverte. Nam is probe novit, non alia ratione Sanguinarii Voti vitium patefieri posse, nisi demonstrando, *Certitudinem* desiderari in Pia Sententia. Quei ergo scribit, aliter Votum illud oppugnari potuisse? Rursus idem novit, se statuisse, Ecclesiam *errare non posse* in decernendo Objecto Festi Conceptionis, ac propterea *Certam* evasisse Piam Sententiam, atque adeo Certam, ut ei *subesse error non possit*. Hoc posito (fallaci tamen) principio, in tuto est Sanguinarium Votum. Et nihilo secius illud posse aliter oppugnari Minorita fingit. Hisce ludibriis an tu plaudere velis, edicito tandem. Ad haec ego: Animadverte, Patrem de Luca minime aperte dicere, Piam sententiam ex Bulla Alexandri migrasse in articulum Fidei, sed quidem Certam evasisse; contrariam vero non is *impiam* aut *baereticam* appellat, sed quidem *erroneam* & *falsam*. Atqui vitam dare non licet nisi pro Dogmatis ad Fidem pertinentibus; ac propterea ex ejus doctrina minime consequitur Sanguinarii Voti innocentia. Jam tibi, ait Romanus, alias significavi, heic etiam latere ludibrium. Qui enim Votum illud concipiunt, Minoritam tuum hisce verbis aggredi possunt: Admodum Reverende Pater, jam Paternitas vestra evidentissime ostendit, *Ecclesiam errare non posse*, *ubi cultum praescribit Religiosum*, simulque Alexandrum Pontificem ex Cathedra definiisse *Objectum Festi Conceptionis*: sit nobis venia: cur deinde negatis, ad Dogmata Fidei spectare Immunitatem Virginis, neque *baereticam* & *impiam* contrariam appellare sententiam audetis? Certe inconcussum hoc ex iis, quae posuistis, efformatur argumentum: *Ad Fidem spectat*, *quidquid Ecclesia decernit in rebus*, *in quibus ab errore immunis est*. *At ipsa objectum Festi Conceptionis solemniter definivit*, *idest Immunitatem*

tatem

tatem Mariae ab originali noxa. Ergo Immunitas Virginis ad Fidem ſpectat. Non minoris evidentiae Metaphyſicae ac neceſſitatis conſequens iſtud eſt, quam quum dicimus: *Omnis homo eſt Animal rationale. Petrus eſt homo. Ergo Petrus eſt Animal rationale.* Hiſce autem a ſapientia veſtra adinventis, ac firmiſſime ſtabilitis, quid eſt quod quaſi per contemtum *Neſcio quod Votum Sanguinarium* noſtrum appellatis, illudque *oppugnari poſſe* fatemini?

Dum Theologus tuus reſponſum parat, memineris puto, quam fallaci doctrina uſus ille fuerit, dum ex Feſto Conceptionis ineluctabilem Piae ſententiae *Certitudinem* elicere ſe poſſe eſt arbitratus, & quam inani labore uti *falſam* atque *erroneam* propterea traduxerit Opinionem contrariam. Jam & nunc vides, ſecundum Logicales regulas: *Nihil probare, qui nimium probat*; ipſumque illudere orbi, dum fingit, ſe pro *falſa* & *erronea* habere Thomiſtarum ſententiam, quum conſcius ſibi ſit, ex praemiſſis ſe eam depraedicare velle uti *impiam* atque *haereticam*. Ceterum aliis decernendum relinquo, an Theologus tuus praetergreſſus fuerit fines a Pio V. P. M. poſitos, dum praecipit, ut *neutra pars hujus quaeſtionis veluti Erronea praedicetur*, addens etiam: *Cum Sancta Romana Eccleſia, omnium Eccleſiarum Magiſtra & doctrix diſciplinae, de ea controverſia hucuſque non definierit: nemo ABSQUE TEMERITATE praejudicare, vel alterius partis ſententiam Damnare poteſt.* Tanti Pontificis decretum in hac parte ne uno quidem verbo revocavit Alexander VII. Immo is *innovavit* Gregorii XV. Conſtitutionem, ubi confirmantur quaecunque Sanctus Pontifex Pius praeſcripſerat. Quae hinc ſequantur perpende. Sancti quoque Pii tempore objectum Feſti celebrantibus illud ſecundum Piam Sententiam erat Immunitas Virginis a labe originali. Hoc teſtatur Alexander VII. hoc voce grandi clamitat Minorita. Attamen Pius ſtatuit, neutri parti licere contrariam Sententiam *Erroris* arguere, & *abſque Temeritate damnari* non poſſe alterutram ex iis Opinionibus. Contra Theologus tuus nihil non agit, ut oſtendat, ex objecto Feſti effluere Certitudinem Piae Sententiae, atque hanc ex iis rebus eſſe, in quibus Eccleſia errare non poteſt. Dic ergo tandem, cuinam fides habenda ſit, tantone Pontifici, an Theologo iſti, contra Pontificium decretum alterius partis ſententiam *erroneam* & *falſam* imperterrite pronuncianti atque damnanti? Sed antequam finem faciamus, animadvertas etiam velim, quam urbane Praefationem ſuam ille concluſerit. *Ridiculus vero*, inquit, *eſt adverſarius, ſi, cum ipſe ad certamen provocaverit, eo genere armorum uti me nolit, quae ad hanc pugnam*

utilissima esse, & ad rem conficiendam prope sola valere doctissimus quisque existimavit. Ad hominis ingenium uberius dignoscendum hoc deerat. Nunquam Lampridio, quum sua literis mandabat, in mentem venit, se *adversarium* habiturum esse Theologum istum, quem ne de nomine quidem noverat, & cujus ignotum sibi Librum edendum divinare nunquam poterat. Praeterea non Lampridius, non alius quisquam Librorum Auctor tam sui oblitus est, ut ceteris interdictum putet adversari sibi, quum eodem jure, quo quilibet Auctor fruitur, fruantur & alii. Attamen quasi cadere in Lampridium dementia haec possit, in irrisionem illius confidentissime descendit. Aedepol si is putat, nihil aliud negotii sibi esse, nisi grandi boatu, miroque contemtu cujuscumque sibi adversantis, male digesta argumenta effundere, & pro solidis rationibus injurias proximo suo identidem rependere: vereor ne is fallatur, atque ne id pugnandi genus sapientioribus videatur, aliam plane a Theologo artem exercere: His dictis alio conversa est oratio nostra; te vero, Azevede amantissime, de rebus quae heic acciderunt, certiorem volui. Vale.

Neapoli XIII. Kal. Aug. MDCCXLI.

Eruditissimo viro D. Gregorio de Azevedo Ferdinandus Valdesius S.P.

EPISTOLA SEXTA.


Res Epistolas Italica Lingua ad Antonium Lampridium, idest adversus illum scriptas, typisque Panormitanis traditas, nuper mihi comparavi, ut ad te, doctissime Azevede quum se offeret occasio, mittam. Earum Auctor fertur Religiosi cujusdam insignis Ordinis alumnus juvenis, & quanquam vel senio confectus foret, juvenem, uti ostendam, ipsa illius meditamenta produnt. Jam pluries animadverteris (ajebat mihi Romanus Abbas de hisce Epistolis agens) quantum tumoris secum adducant e Schola Philosophica & Theologica egressi Discipuli, vivido alioquin ingenio praediti, eoque magis, e Cathedra erumpentes Magistri, in umbratili circulorum pugna diu exercitati. Nulla quaestio, nullus nodus occurrit, cui dissolvendo se pares non putent. Et quidni? quum scibile cerebro suo se complecti placida adulatione sui arbitrentur, suisque syllogismis & Enthymematis

tis turbare quoscumque adversarios, aut terrere tandiu didicerint. Verum quod saepe contingit, e Scholis minime refertur eximium illud prae ceteris emolumentum, amor nempe & criterium Veritatis. Eis pro Veritate est, quidquid a Magistris acceperunt, quidquid factio profitetur. Pro istis veluti pro aris & focis pugnandum censent, ea persuasione ducti, nihil certius, aut saltem veri similius nihil, aliunde esse exspectandum. Jam judicarunt, inepti propterea non raro ad melius judicandum. Quum vero de Theologicis rebus controversiae quaedam sese offerunt, ad rectum Veritatis examen quam multa in iis desiderentur, utinam non quotidie perspiceremus. Suis certe laudibus minime fraudanda est Theologia Scholastica. Verum non ibi sita est omnium Veritatum fodina. Ad Theologicas Quaestiones adhibenda plerumque est Historia Ecclesiastica, Dogmatica & Polemica Theologia, immo & Ars Critica. Ejusmodi subsidiis ubi sit destitutus Theologus, atque una sua Scholastica doctrina armatus in aciem prodeat, ad digladiandum cum nubibus, quam ad res abstrusas illustrandas aptiorem se prodit. Cur in postremo agmine isto collocandus mihi videatur juvenis iste Theologus, trium Epistolarum Auctor, paucis, si potero, indicabo. Ita Abbas Romanus, qui deinde sumto in manus Opusculo illo ita loqui perrexit.

Exordium pugnae is pag. 3. facit inquiens, se in Lampridii Libro offendisse *certi tratti di penna fanatica*. Non leve accusationis genus. Sed cedo loca, cedo tabulas, sive rationes. Nihil ille profert, immo neque proferre potest. Fatendum tamen est, eum postea ad modestiam plane compositum profiteri, se non malevolo animo, sed *sola discendi cupiditate*, quasdam Lampridio proponere difficultates. Quaenam istae sint, audiamus. Quum Lampridius pag. 56. tria memorarit *Certitudinis* genera, nempe primam *Fidei Divinae*, alteram *Objectivam*, tertiam *Persuasionis*: insurgit juvenis Theologus inquiens, se quum Logicae operam daret, didicisse, tria dari Certitudinis genera, nempe *Moralem*, *Physicam*, & *Metaphysicam*. Tum quasi Theses ex Cathedra defenderet, singula ex hisce generibus explicanda sumit, & Lampridium nescio an ad ferulam poscat, quasi haec ille ignoret, & quod inter *Certitudinem Persuasionis*, & *Opinionem* discrimen excogitarit, inquiens, eum *turpiter in limine quaestionis* caespitasse. Acutissime profecto. At si quando mihi contingeret, ut accusatorem hunc alloqui possem, libenter ei in aurem dicerem: Juvenis Theologe, quibus oculis aliena legit Reverentia vestra? Haec scribit Lampridius eadem pag. 56. de *Certitudine Objectiva* loquens: *Ejusmodi*

Certitudinem in compluribus, immo & innumeris tam Physicis, & Metaphysicis, quam Moralibus notionibus reperimus; atque haec Evidentia Intellectum tanta efficacia determinat &c. Quicunque Latinae Linguae, & Logicae compos est, heic habet *Certitudinem Objectivam*, quae videlicet ex Evidentia, sive Certitudine Objecti procedit, genus esse, in tres species subinde divisum. Si *Physicum* est Objectum, *Certitudo Physica* inde exsurgit. Si *Metaphysicum*, aut *Morale*, par etiam Certitudo inde nomen accipit. Praeterea idem Lampridius pag. 59. multisque aliis in locis hasce tres species *Certitudinis* agnoscens, Cardenae, aliisque sese opponit contendentibus, Scotisticam sententiam ascendisse ad statum *Certitudinis Moralis*, *Physicae*, & *Metaphysicae*. Quare luditne, an serio agit Reverentia vestra, quum talia scribit? Gravius etiam impingit Reverentia vestra, dum amplecti nolle videtur *Certitudinem Subjectivam*, quod eam in Schola sua non didicerit, quum illam tamen aliae tradant, sitam nempe non in Objecto, sed in Intellectu, ac propterea appellandam non immerito *Certitudinem Persuasionis*. Haec autem in Philosophicis ac Theologicis quaestionibus saepissime occurrit, quum non ex intrinseca Veritate Objecti cognita, sed ex rationibus a nobis excogitatis, ita nobis persuademus, aliquid Verum Certumve esse, ut falli nos minime posse credamus. Inter *Opinionem*, quacum semper comes procedit formido Erroris, & *Certitudinem* hanc Persuasionis, discrimen aliquod intercedat oportet. Itaque caveat Reverentia vestra, ne serere cavillationes, aut nugas agere, dum haec objicit, videatur.

Dixerat Lampridius pag. 59. suique dicti rationes attulerat: *deliria esse piae phantasiae asserta Cardenae, neque eum de temeritatis culpa excusari posse, dum Scotisticae sententiae Certitudinem tribuit Moralem, Physicam, Metaphysicam &c.* Quid heic juvenis Theologus? Aut, inquit pag. 5. Lampridius significare vult, *imprudenter* solum ac *stulte* dubitari posse, verane sit, an falsa Scotistarum de hoc Mysterio doctrina: & tunc ei assentitur. Sin significat, *rationabili dubitationi falsitatis* de eadem doctrina locum amplius superesse: tunc *Temerarii* nomen apud Contradictores minime effugiet. Ita ille, postea subdens, sibi in mentem venire phantasticum illum virum, qui proxime praeterito Saeculo scriptum reliquit, nunquam *Franciscum I. Galliarum Regem* captum in praelio fuisse a *Carolo V. Augusto*, sperans, post annos centum & ultra quemquam adeo dementem futurum, ut sua auctoritate delusus ea de re dubitet. Si non aliunde, certe ex has una perquam peregrina eruditione mirandum juvenis

Theo-

Theologi ingenium colligere poteris; neque enim felicius pedi elegans calceus aptatur, quam paritas Captivitatis illius & Piae Sententiae. Quod solum me angit, non Lampridio duntaxat *Temeritatis* notam inurit juvenis iste Theologus, sed universis etiam contrariae Opinionis sectatoribus, qui doctrina, pietate, ac sapientia Lampridio praestant, neque aliter quam ipse Lampridius judicant a Pia Sententia abesse Certitudinem, ac Prudenter de ea dubitant: quod nisi stultus de captivitate Regis Francisci dicat. Immo in ipsos etiam Pontifices Maximos haec Theologi juvenis censura cadit, quando post tot Saecula controversiam hanc vigere sinunt, neque dirimunt, quanquam precibus Regum fatigati; & contrariam Opinionem sectari unicuique liberum sinunt, eamque damnari & impugnari vetant. Nonne & illi aperte ostendunt, se Prudenti Dubitationi Piam Sententiam adhuc obnoxiam credere: quod quoties non crederent, jam pro ea judicassent? Grande solatium profecto habiturus est Lampridius, dum non se unum, sed simul Romanos Pontifices *Temeritatis* nota inustos considerat.

Sed exerat tandem juvenis Theologus inconcussas illas rationes, unde Certa, aeque atque Regis illius Captivitas, ostendatur Pia Sententia, ita ut in dubitantem de illius Certitudine *Temeritatis* culpa conjici possit. Quod in primis animadversione dignum est; is Cardenam deserit, *omnes* ab eo decantatas *Certitudines* tueri nolens; sed sibi tantummodo demonstrandum proponit, *Virginis Praeservationem ab omni culpa* esse Objectum Festi Conceptionis Marianae; ex eo autem Festo evidenter colligi Certitudinem Mysterii, sive Sententiae Scotisticae. Hanc in rem (prae modestia puto) non suis, sed famosi Patris de Luca armis est usus, adferens quae ille commentatus est in Bullam Alexandri VII. ut ex definito Objecto Festi Conceptionis exsculperet, Piam Sententiam ad ejus Certitudinis gradum conscendisse, *cui error subesse non possit*. Ita ille, solidis Suarii, Vasquii, Valentiae, & Raynaudi argumentis straminea praeponens nuperi Scriptoris. Verum ego nuper, atque in aliis praecedentibus colloquiis, me prorsus evicisse confido, nihil Certitudinis per Bullam Alexandrinam additum Scotisticae sententiae, nihil Probabilitatis e Thomistica fuisse detractum. Attamen audiendus est juvenis Theologus, scribens pag. 9. *Postquam Pontifex Cultum Conceptionis secundum Piam sententiam definivit, sive confirmavit, eumque Licitum, Lampridio fatente, agnovit: hoc unum manifeste destruit Cultum Conceptionis sub nomine Sanctificationis.* Sed nihil heic pugnae, nihil contradictionis. Quia adhuc

adhuc lis pendet, & utrique ſententiae de Conceptione Virginis locus in Eccleſia dei relinquitur, quanquam tuenti *Sanctificationem* Virginis ſilentium fuerit indictum: uterque etiam modus colendae Deiparae Pius eſt & licitus, Sententiarum nempe qualitati conformis. Nullus autem Pontificum hactenus omnes Chriſti fideles adegit ad Cultum tantummodo Scotiſticum, quem certe ii laudant, eique favorem impertiunt, ſed minime interea improbantes Thomiſtarum Cultum, uti neque Sententiam. Si quando controverſia dirimetur, tunc unus Cultus licebit, tunc omnes eadem ratione Feſtum Conceptionis celebrabunt.

Jam vidiſti, quantopere naſum corrugarit P. de Luca ad ea Lampridii verba: *Si Thomiſtica ſententia ad Fidem ſpectare ſtatueretur: attamen res ita compoſita eſt, ut adhuc illud Feſtum in ſuo vigore una cum ſuo Officio ac Indulgentiis conſervandum foret.* Non ſolus Minorita, ſed & nunc Theologus juvenis, ſe haec minime concoquere poſſe ajunt, niſi potius ſimulant. Num Sententia Scotiſtica pergeret adhuc eſſe Pia? Num Indulgentiae ſecundum illam attributae perdurarent? Nequaquam ſane. Abſcedant argutiae quaeſo. Nemo eſt, qui non videat, Lampridii mentem (repetere idem cogor) hanc eſſe. Ubi Sedes Apoſtolica pro *Sanctificationis* ſententia pronuntiaret, tunc ſub conſideratione ipſius *Sanctificationis* celebraretur Feſtum Conceptionis, & nihil in Miſſa, nihil in Officio immutandum foret, iiſdemque Indulgentiis ſacratus ille dies, ſi ſanctae Sedi placeret, ornaretur. Decretum hujuſmodi *poſſibile eſſe* Parthenotimus pag. 55. agnovit, ſed juvenis Theologus negat pag. 10. Minoritae hanc in rem verba adducens, hoc eſt: *Si Eccleſia Opinionem hanc tuam definiret, eo ipſo declararet, ſeſe olim erraſſe, cum Deiparae immunitatem publico honore eſt proſecuta. Atqui Eccleſiam in hoc errare non poſſe invicto argumento probatum eſt. Praeterea ex Opinionis tuae definitione conſequens eſſet, qui Piam ſententiam deinceps teneret, eum Haereticum eſſe dicendum. Atqui hoc dicere judicavit erroneum Sixtus IV. &c.* Sed qui iſta comminiſcitur, neceſſe eſt uno tantum oculo, eoque infirmo utatur. Nam ſi vis ejuſmodi non argumentis, ſed argutiis, futura eſſet, conſequeretur etiam, ſublatam quoque fuiſſe Apoſtolicae Sedi facultatem improbandi & damnandi Thomiſticam ſententiam. Nam qui eam poſtea teneret, *Haereticus eſſet dicendus. Atqui hoc dicere judicavit erroneum Sixtus IV.* indicto Anathemate in eos, qui *Haereticam* appellarent Thomiſticam Opinionem. Viden ergo, quam ridenda ſit haec argumentandi ratio? Ceterum ſive hanc, ſive illam ſententiam

poſtre-

postremo calculo decerneret Ecclesia, nequaquam erraret. Et ne nunc quidem errat, prudenter quippe agit, Pietatem agnoscens in Scotistica, quia Pietatis lineamenta, atque Apparentiam Veritatis in ea considerat. Neque errat, liberum cuicunque dimittens celebrare Festum subintellecto nomine sive objecto *Sanctificationis*, quum & in contraria Opinione lineamenta & Apparentiam Veritatis agnoscat, quae profecto nullus Pontifex adhuc ei ademit. Rursus eo minus erraret Ecclesia, quotiescumque unam aut alteram ex iis ad Fidem pertinere statueret; nam tunc non Prudentiae solum regulis, sed subsidio divino freta, quod ei Christus pollicitus est ad Dogmata stabilienda, decerneret Pietatem Intrinsecam ac Certissimam sententiae illius, cui tunc Apparentia Veritatis & Pietatis cederet. Si quod multis persequutus est in suo Libro Lampridius Cap. XIII. pag. 95. & seq. ut ostenderet dari *Pietatem Opinativam*, juvenis Theologus legere voluisset, aut lectum pacato animo expendisset, heic sibi fortasse silentium imperasset. Verum is quae molesta sunt placide supergreditur, ad illud unice tendens, quo incautis Lectoribus difficultates obtrudat, quas tamen antea Lampridius dissiparat. Quum vero Sedes Apostolica aeque amet Aquinatis & Scoti sectatores, quanquam in hujusmodi controversia discordes, sibique judicium de ea reservarit, *Temeritate* non careat, quicumque *Errorem* eidem sanctae Sedi objicit, si forte pro Thomistica judicaret.

Dolet deinde juvenis Theologus, quod ad manus Lampridii ante sui Libri editionem non pervenerit Dissertatio *Magni illius viri* idest Patris de Luca; certum namque ducit, si Lampridius hanc legisset, *Magni Bellarmini* sententiam de Festo Conceptionis minime ab eo producendam fuisse. Habes heic, unde gratuleris Minoritis, quod Pater de Luca, Dissertationis nempe Auctor, *Magni* titulum fuerit consequutus, ac tam brevi itinere, sive tantillo Libro, ad illud gloriae fastigium pervenerit, quo eximius Cardinalis Bellarminus post tot labores, atque immortales Libros pervenit. Expendamus, an recte & heic rationes injerit juvenis Theologus. Dixerat Bellarminus Lib. III. Cap. 16. de Cultu Sanctorum, *Fundamentum Festi Conceptionis praecipuum non esse Conceptionem Immaculatam, sed simpliciter Conceptionem Matris Dei futurae. Qualiscumque enim fuerit illa Conceptio, eo ipso quod Conceptio fuit Matris Dei, singulare gaudium affert Mundo &c.* At Pater de Luca pag. 82. suae Dissertationis *licuisse ait olim haec scribere Bellarmino, cum de Cultus objecto Catholici viri magnopere discreparent. Nunc, objecto jam designato, qui velit*

lit adhuc ad Bellarminum confugere, *temulentus* ac *furens* foret appellandus. Bellarmini verbis usus fuerat contra Picininum Haereticum Clarifs. Cardinalis Gottus. Quid Minorita? *Si viveret Picininus*, inquit is pag. 87. *MERITO Gottum* (id quod tanti viri pace dixerim) *RIDERET*. *Diceret enim*, *Alexandrum VII. declaraſſe*, *quod ſit objectum Eccleſiaſtici cultus in Conceptione*, *hoc eſt*, *eſſe Deiparae Praeſervationem ab originis labe &c.* Aſt huic Theologo, qui arrepto illius Feſti Objecto nihil non ſibi licere ducit, & ex Cathedra quemcunque obſiſtentem deridet, ac proſtratum denuntiat, reſpondeas velim: Ipſum quoque Cardinalem Bellarminum eodem in loco ſcripſiſſe: *Quia major pars Eccleſiae Pie credit Immaculatam Conceptionem*, *inde eadem Eccleſia habuit occaſionem inſtituendi hoc Feſtum*, ſcilicet ſecundum Piam Sententiam. Attamen is cenſuit, *praecipuum fundamentum* hujus Feſti non eſſe Immunitatem Virginis, ſed quidem latiori ſignificatione *Conceptionem Matris Dei*. Et quare? Quia, ut ille ſubdit, *hoc Feſtum etiam illi celebrant*, *qui putant Virginem in peccato conceptam*, ideſt qui in Conceptione *Sanctificatam* arbitrantur. Si Feſtum hoc ab iis quoque celebratur, & celebrandum eſt, qui Virginis *Praeſervationem* inficiantur: ergo (inferebat ſapientiſſimus Cardinalis) non eſt *Praecipuum*, hoc eſt ſpeciale, ſive particulare Feſti hujus fundamentum *Immunitas* Mariae. Nihil poſtea hac in re novavit Alexander VII. Proinde ſi viveret Picininus, nulla ei foret irridendi Cardinalis Gotti cauſſa, dum Bellarmini verbis utitur ad oſtendendum per inſtitutionem Feſti Conceptionis nunquam fuiſſe diremtam controverſiam de Conceptione Virginis, Piamque Scotiſtarum ſententiam nondum e finibus Opinionum egreſſam, quum non minus noſtris, quam Bellarmini temporibus, liceat celebrare Conceptionis Feſtum, ſubintellecta *Sanctificatione* Virginis Beatiſſimae.

Attamen ut haec clarius intelligas, animadvertendum eſt, ab iis tantum, qui Deiparam ab originali labe praeſervatam credebant, inſtitutum fuiſſe Feſtum Conceptionis Saeculo Chriſti Duodecimo. Hoc ii celebrarunt uſque ad tempora Sixti IV. qui uti Minorita huic Sententiae addictus, ac Feſto ſecundum ipſam inſtituto favere volens, Miſſam & Officium a Nogarola compoſitum, ac diſerte de *Immaculata Conceptione* loquens, probavit, ad eorum tantummodo uſum, qui cum Scoto facerent. Increbuerunt ſubſequutis temporibus hanc ob cauſſam lites & jurgia in Scholis, & extra Scholas, adhibentibus Thomiſtis in ejus Feſti celebratione Officium ſimile alteri, quod etiam num uſurpatur in Nativitate Sanctiſſimae Virginis. Quare

re Pius V. Sanctissimus Pontifex, ut pacem inveheret, deleto Nogarolae Officio & Missa, & etiam titulo, quod ibi spuria quaedam minime ferenda legerentur, Thomisticum Officium ac Missam invexit, quae tam affirmantibus, quam negantibus Praeservationem Virginis convenire possent, & neutri sententiae obessent. Propterea Cardinalis Bellarminus, post Pium V. scribens, ajebat, tempore suo unicam Deiparae *Immunitatem* non esse fundamentum Festi illius, quum de hac praecipua, sive particulari intentione Festi nihil in Missa & Officio dicatur, & utraque contendentium factio Festum celebraret ad suae Opinionis normam. At heic ingenti fragore Minorita insurgit, inquiens: *Declaravit Alexander VII. quod sit objectum Ecclesiastici Cultus in Conceptione, hoc est esse Deiparae Praeservationem ab originis labe &c.* Praeterea declaravit, *Cultum secundum Piam sententiam institutum numquam fuisse immutatum.* Quum vero in praescribendo Cultu, & objecto Cultus, *Ecclesia errare non possit:* ergo Certa evasit Sententia Scotistica; immo, ut is tacite insinuare voluit, Certa etiam de Fide. Ita ille pro Picinino in dedecus Romanae Ecclesiae argumentatur. Ego contra aequius, ut puto, Picininis insultantibus Apostolicam Sedem, jam in aliis colloquiis respondi, ex institutione Festi nullam Piae Sententiae Certitudinem accessisse: quod etiam fassi antea fuerant insignes Theologi e Societate Jesu. Repeto nunc, ne Alexandrum quidem Septimum quidquam heic novasse. Ejus Bullam quicumque sine studio partium legit, hoc facile deprehendet, si cur haec edita fuerit, nunc recolamus. Anno 1622. uti ex Bullario Romano constat, Gregorius XV. Pontifex Maximus Festum & Officium Conceptionis Deiparae confirmavit, ab utroque Clero celebranda, praecipiens, *ut in sacrosancto Missae Sacrificio, ac divino officio celebrandis, non alio quam Conceptionis nomine uti debeant:* ad mentem nempe Pii V. ut utraque factio sine suae Opinionis laesione Festum illud celebrare posset. Verum sub Innocentio X. prodiere duo Thomistae; qui sub ejusdem Bullae obtentu contendebant, non licere in posterum Scotistis *Immaculatam* appellare *Conceptionem* Virginis, & a Gregorio immutatum fuisse Objectum Cultus. Adversus illos in arenam descendit Theophilus Raynaudus e Soc. Jesu Vir Cl. evulgata Dissertatione *de retinendo Titulo Immaculatae Conceptionis B. Virginis.* Et juste quidem; quamvis enim in Missa & Officio vetentur Scotistae & Thomistae alio quam nudo *Conceptionis* nomine uti: liberum tamen Scotistis semper fuit, extra divina Officia *Immaculatam* appellare *Conceptionem;* immo & Festum cele-

brare subintellecta *Praeservatione* Virginis. Hisce litibus finem facturus Alexander VII. Bullam suam emisit, in qua is narrat, institutum Festum Conceptionis a pie sentientibus, Virginem fuisse Praeservatam; eorum crevisse numerum, postquam Sixtus IV. Cultui huic, ipsique adhaerentibus, non unum favorem impertiit. Sed quandoquidem post immutatum Officium & Missam a Pio V. & sublatum inde quidquid *Immaculatam Conceptionem* sonabat, contendebant Thomistae, immutatum quoque fuisse Objectum Festi, ita ut non amplius de *Praeservatione*, sed de *Sanctificatione* Virginis Festum celebraretur; unde variae lites & scandala oborta fuerant: testatur Alexander *numquam immutatum* fuisse a quoquam Pontifice Cultum Virgini praestitum ab adhaerentibus Piae Sententiae; ac propterea improbat quosdam adversantes, scilicet *contrariae Sententiae assertores*, quod *Cultui secundum Piam sententiam Beatae Virgini exhibito Romanam Ecclesiam favere negent*, *pios Christi fideles a sua pacifica quasi possessione deturbare conando*. Quamobrem poenas in eos decernit, qui in posterum favores eidem *Piae sententiae*, *Festo*, *& cultui* concessos, arrodere audeant, aut eandem *Sententiam*, *Festum*, *seu cultum in disputationem revocare &c.* Unum ergo illud, quod praestitit Alexander, situm est in hoc decernendo, videlicet Piae Sententiae addictos in celebrando Conceptionis Festo *Praeservationem* illius semper coluisse, & colere; & quod est ad eos, & ad Cultum ab iis Virgini sub hac significatione exhibitum, nihil unquam immutasse Romanos Pontifices. Verum quod est ad Thomisticae, sive contrariae Opinionis asseclas, & quod attinet ad Festum, Cultumque ab eis sub consideratione *Sanctificationis* in cordis intimo praestitum Virgini, nihil contra eos decernit, hoc est illos in sua possessione relinquit; ita ut eisdem liceat celebrare Festum sub alia intentione quam Praeservationis, videlicet accommodate ad suae sententiae tenorem. Quam in rem meminit decreti a Gregorio XV. promulgati, ac nuper a me laudati, dum praecipit, *ut in sacrosancto Missae sacrificio*, *ac divino Officio celebrandis*, *tam publice*, *quam private*, *non alio quam Conceptionis nomine uti quicumque debeant*. Idem voluisse Clementem XI. dum Conceptionis Festum de praecepto statuit, testis est praelaudatus Eminentissimus Gottus; appellavit enim illud *non Festum Immaculatae Conceptionis Beatae Virginis Mariae*, *sed Festum Conceptionis ipsius Beatae Mariae Virginis Immaculatae*. Et ex Libello supplici Thomistarum (edito ab ipso Patre de Luca pag. 129.) habemus, indoluisse eundem Pontificem, quod suae Constitutionis editor

ſor quidam extra Urbem hunc ei titulum inſcripſiſſet. *Ut Feſtum Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae &c.* & ſub die 12. Octobris 1709. Ordinario loci mandaſſe, ut acriter corriperet alterationis hujus auctores, & vitiatam impreſſionem ſupprimeret.

Haec ergo ſumma rei eſt. Nihil aliud declaravit Alexander VII. niſi *Praeſervationem* Deiparae eſſe objectum Feſti celebrantibus illud ſecundum Piam Sententiam, idque nunquam fuiſſe immutatum. Neutiquam vero praecipit, ut quiſque Fidelium ſub ea conſideratione celebret Feſtum; quum enim praecedentium Pontificum more, diſertis verbis, liberum cuicumque relinquat contrariae etiam adhaerere ſententiae, & controverſiam ſe minime velle dirimere profiteatur: liberum quoque eis relinquat oportet Virginem colere Cultu conformi Sententiae, ſeu Opinioni ſuae. Propterea non alio nomine a Pio V. & ſubſequutis Pontificibus donata eſt Miſſa & Officium, quam *Conceptionis;* vetitumque, ne *Immaculata Conceptio* heic dicatur, ut utraque pars ſine ſuae ſententiae detrimento, atque ad illius normam, Virginem conceptam laudent ac venerentur, ſcilicet ſub conſideratione *Praeſervationis*, aut *Sanctificationis*. Quare a vero abſcedit Minorita, dum tanto verborum ſtrepitu contendit, ab Alexandro VII. *declaratum* fuiſſe *Objectum Eccleſiaſtici Cultus in Conceptione*, quaſi ſub hac una ſignificatione omnibus celebrandum ſit hoc Feſtum, & quaſi tunc primum innotuerit, a Scotiſtis celebratum ſemper fuiſſe Feſtum Conceptionis ad ſuae ſententiae normam. Falſo hoc ſuppoſito, quo tamen tanquam ineluctabili telo paſſim utitur, ſive abutitur Minorita: vides, non immerito ſcriptum a Cardinali Bellarmino, *fundamentum Feſti Conceptionis praecipuum* (ideſt unicum, ſpecjale, ſeu peculiare) *non eſſe Conceptionem Immaculatam, quum hoc Feſtum etiam illi celebrent, qui putant Virginem in peccato conceptam.* Comprehendit enim generica, ut ita dicam, vox *Conceptio* ſub ſe tam *Immunitatem* Deiparae, quam *Sanctificationem* ex inſtitutione Pii V. & ſubſequentium Pontificum. Alexander vero Septimus a ſuis Praedeceſſoribus neque diſcors eſt, neque aliud novi hanc in rem invexit. Tuum ergo nunc erit edicere, an honeſtatis fines exceſſerit Minorita, dum uti *Temulentos* ac *Furentes* traducit, qui in hanc rem celeberrimi Cardinalis Bellarmini auctoritate adhuc utuntur, & irridendum ab impio Picinino exhibet Eminentiſs. Gottum, ejuſdem Bellarmini verba adducentem. Ex his autem ſimul intelligas, quam iniquis cachinnis idem Picininus Romanis Pontificibus inſultet, quaſi poſt Feſtum Conceptionis controverſiam diremerint, quam tamen ſe

 dire-

diremisse negant. Per institutionem vero Festi Conceptionis nihil Certitudinis accrevisse Piae Sententiae, alibi fusius demonstravimus. Denique his positis inanes in auras solvuntur tot argumenta, sive sophismata a Patre de Luca fabricata, ac super unum illud falsum suppositum Objecti declarati fundata, quasi Alexander VII. unumquemque coegerit Festum Conceptionis celebrare sub consideratione Objecti illius, quod peculiare est adhaerentibus Scotisticae sententiae.

Memoraverant alii, memoravit & Lampridius Cap. IX. *Festum Conceptionis Johannis Prodromi*, celebratum olim a Latinis & Graecis, atque inscriptum in antiquis Martyrologiis, teste Cl. P. Papebrochio ad diem 24. Junii, quanquam Ecclesia illum quidem in utero Sanctificatum, non vero in Conceptione Praeservatum agnoscat. Quod insuper animadversione dignum est, adhuc idem Festum celebratur Melitae, atque in aliis Ecclesiis a sacro Ordine militari Sancti Joannis pendentibus. Heic ait juvenis Theologus, non animadvertisse Lampridium quid subdiderit idem Papebrochius, videlicet: *Sed si appellatio Conceptionis utriusque est eadem, diversa est, & NOTA SATIS utriusque acceptio ad Deiparam, Prodromumque relata. Etenim CONSTAT, quod Ecclesia hujus Conceptionem celebret cum respectu ad Sanctitatem Mysteriorum ad ipsam spectantium; de illa vero agat ut SANCTA IN SEMETIPSA.* Idem quoque, sed brevius, dixerat Cardinalis Bellarminus, dixerant & alii; sed per hanc rimam doctissimi viri minime evadent. Semper enim verum est, olim in honore fuisse Festum Conceptionis Sancti Joannis Sanctamque habitam illam diem, etiamsi ab originali labe nemo unquam putarit praeservatum Domini Praecursorem. Quod si ais, Sancta illius Conceptio Sancta est *respectu ad Sanctitatem Mysteriorum:* cur non idem de Festo Conceptionis Deiparae dicere Thomistis liceat? Idem certe visum jamdiu animadvertimus insigni viro Cardinali Bellarmino. Verum addis: *Ecclesia de hac agit, ut Sancta in Semetipsa.* Quis hactenus hoc revelavit? *Sancta* quidem illius Conceptio dicitur, sive quod a macula *Praeservata*, sive quod statim a Deo *Sanctificata* fuerit. Hujusmodi autem Sanctitas utro ex principio fluat, incertum adhuc est. Neque enim aliter credere cogimur, dum suum judicium de ista controversia hactenus Ecclesia suspendit. Quod vero Graeci *Conceptionem Sanctae Mariae* appellent *Conceptionem Sanctae Annae; Conceptionem* vero *Sancti Johannis* dicant, non vero *Conceptionem Elisabeth:* tam nullius momenti est, ut nulla responsione indigeat.

Exi-

Eximium Theologiae Dogmaticae paene parentem Petavium in hanc arenam traxerat Lampridius, testantem videlicet, se *nullum ex antiquis Patribus novisse* adducendum pro tutela Piae Sententiae. *Immo quos ipse deprompsit, in contraria sententia fuisse aut fatetur, aut suspicatur*. Quid heic juvenis Theologus? *Con buona pace del P. Petavio io sento altrimenti*. Ita is ait pag. 14. in illa voce *Io* maximam, ut reor, vim faciens: quum enim & ipse Theologi nomine sit exornatus, pedem conferre cum Petavio Theologo cur ei non liceat? Et fortasse si viveret Petavius, ad hanc terribilem vocem *Io* totus contremisceret. Postquam vero in laudes Petavii ipsius excurrit juvenis Theologus, haec subdit: *Ma ciò che monta? Abbiamo noi a concedergli quel privilegio d' Infallibilità, che la sua Nazione contrasta al Vicario di Cristo?* Ad haec animadverterat idem Petavius, inferri nihil posse ad Piae sententiae subsidium *e Latinorum Patrum dictis, aut e Graecorum versionibus, Intemeratam aut Immaculatam appellantibus Deiparam*. Non male habeat Petavius, si irrisorio stilo iterum excipitur a Censore isto; nam ut ut Petavium virum magnum fama extollat, attamen ne hic quidem Censor, quanquam juvenis, infimi subsellii Theologus habendus est, quum in addiscenda Theologia scholastica quatuor integros triverit annos. Is igitur inquit: *Ma io vi torno a dire, che in tutta la sacra Bibbia, in tutti i Concilj, in tutti i Padri non truovo* (neque sane dubitandum, quin omnes a vertice ad pedes diligentissime is legerit & excusserit hanc unam ob caussam) *che Cristo promettesse al P. Petavio il privilegio di essere ne' suoi giudizj Infallibile*. Tum conversus ad P. de Luca, *Virum* nempe illum *Magnum*, quem Bellarmino nuper opposuit, nunc etiam opponit Petavio, ex ejus Dissertatione derivans, quae ille commentatus fuit, ut ostenderet, neque e sacris Literis, neque ex Traditione colligi, *Nativitatem* Deiparae Sanctam fuisse, sive Sanctificatam in utero Matris fuisse Mariam. Ad Franciscani autem sui argumenta se non invenire ait, quid responderi possit. At quoniam hac de re nos antea egimus, nihil pro Petavio, nihil adversus Minoritam heic addamus. Quae sint Petavii vires in ejusmodi agone, satis Respublica Literaria novit. Certe si levibus hisce responsis suis, & aereis armis pugnare perget juvenis Theologus, eum male instructum accessisse ad pugnam, nullo negotio docti viri animadvertent. Propterea neque opus est quidquam loqui de *consensu Academiarum & Populorum*, quem ille commemorat pag. 17. Cur Populi ita sentiant, satis compertum est. Nulla vero Academiarum Piae Sententiae addictarum esse credenda est, quae

non

non eam adhuc intra fines Opinionum conclusam fateatur, exceptura cum veneratione quodcunque judicium aliquando prolatura foret Cathedra Petri.

At juvenis Theologus pag. 18. complures se audivisse tradit, quibus Lampridius videtur sub specie impugnandi *Certitudinem* Mysterii, impugnasse quoque rationes, quibus innititur illius Probabilitas. Quam in rem quando alia exercere non potuit, hoc uno est usus argumento inquiens, Lampridium in fronte Capitis XII. titulum hunc scripsisse: *Communis olim Theologorum sententia contraria Scotisticae*. Hoc autem is appellat *argumenta contra eam sententiam afferre & insoluta relinquere*. At nemo est, qui non videat, adnotatum hoc fuisse a Lampridio, non uti argumentum contra Piam Sententiam, sed ad refellendos eos, qui ut suadeant illius Certitudinem, qua postea abutuntur ad perdendam hominum vitam, praeter alia proferunt etiam Theologos veteres, Anselmum, Thomam, Bonaventuram &c. veluti ejusdem Sententiae assertores; quod sane a veritate abest. Haec postea subdit juvenis Theologus pag. 19. *Quali sono i fondamenti, che rendere possono probabile la Pia Sentenza? Le Scritture, i Padri, i Concilj, le Decisioni della Chiesa Romana, l'Autorità de' Teologi. Qual Probabilità dunque resta a questa Sentenza, se di tutti questi argomenti la forza in fumo risolvesi, e svanisce dispersa all'aria, come voi pretendete?* Verum si Scriptor hic licere sibi putat falsis declamationibus agere adversus Lampridium, non Theologus in posterum erit habendus, sed alio nomine compellandus. Etenim ubinam Lampridius quae nunc ei tribuuntur literis mandavit? Millies, ut ita dicam, ille Piam atque Probabilem Scotisticam sententiam est fassus (potissimum videas velim pag. 53. & 248.) Probabiliorem etiam altera appellari moleste minime tulit; Thomisticam vicissim uti Piam atque Probabilem tantummodo agnovit. Denique adversus unam *Certitudinem* is certavit, quam nempe invectam doluit, ut Christi Fidelibus persuaderetur, honestum esse pro tuenda Pia Opinione mortem oppetere. Porro is addit, indignatos praecipue fuisse quosdam, quod pag. 62. scripserit Lampridius *Natam ejusmodi Certitudinis persuasionem e fraudibus, quas nonnulli contexerunt olim &c.* videlicet ex ementitis Flavii Dextri, Liutprandi &c. Libris, & ex Laminis Granatensibus. Atque heic Cardinalis Pallavicini verba adfert, Paulum Suavem culpantis, quod Devotionem erga Deiparam ex fraudibus sensim auctam exhibuerit; Suavis autem spiritum videri per hereditatem pertransisse in Lampridium. Utique haec dum lego, mirari satis

tis

tis non possum hominem exerentem sub aliorum nomine, non dicam hasce ineptias, sed tam virulentas calumnias in Lampridium, qui tamen tot in locis, ac praecipue pag. 14. & 103. sollicite Devotionem erga Virginem commendat, non ex fraudibus, sed ab ipsis divinis Literis, & ex perpetua Ecclesiae doctrina enatam. Ceterum juvenis ipse Theologus inficiari nequit, quin post evulgatas spurias ejusmodi merces, quasi Certa evasisset Pia Sententia, Sanguinarium Votum erumpere coepisse, atque ob eam caussam susceptum fuisse, quod confictis hisce monumentis fides adhiberetur, uti Lampridius ex Voto Ducis Ossunae palam fecit. Piae vero Sententiae ob hujusmodi figmenta coeptam esse tribui *Certitudinem Moralem*, *Physicam*, *& Metaphysicam*, exemplo P. Joannis de Cardenas idem ostendit. Quicunque vero venditare velit, Fidelium Devotionem erga Deiparam minui ab iis, qui ostendunt, Piam Sententiam nondum assurrexisse ad *Certitudinis* alicujus gradum, in gregem Imprudentium, aut audacium Theologorum a prudentibus, ut puto, erit conjiciendus. Si non minuunt, qui veram censent contrariam Opinionem: minuentne qui tantummodo ostendunt, Certam nondum evasisse Scotistarum Sententiam? *Imprudentiae* quoque Lampridium arguit juvenis Theologus pag. 20. quod Augustinum le Blanc in Hist. Congreg. de Auxiliis adduxerit ludibriorum testem, quae olim passa est in Hispania Doctoris Angelici Imago ob controversiam de Conceptione. Theodorus enim Eleutherius, *confictas Revelationes & Miracula* pro sua sententia tributas Minoritis a le Blanc, tribuendas esse scribit Fratribus Praedicatoribus, uti Spondanus animadvertit ad Annum Ch. 1508. Sed ineptiis rursus indulget juvenis Theologus; neque enim Lampridius de Revelationibus aut Miraculis confictis ibi quidquam habet, neque pro iis testem adhibet le Blancum. Cur ergo is, huc invitos trahens Eleutherium & Spondanum, non est aequius Imprudentiae arcessendus?

Rursus quod mirere, in scaenam invehit juvenis Theologus pag. 21. Concilium Basileense, & Avenionense, jam deploratae auctoritatis monumenta. A Natali Alexandro appellari ait *Pium & salubre Concilii Basiliensis de Immaculata Conceptione Decretum*: quasi Basileenses eam doctrinam ad Fidem retulissent, quum tantummodo *tamquam Piam*, *& consonam cultui Ecclesiastico*, *Fidei Catholicae*, *rectae Rationi*, *& Sacrae Scripturae tenendam asseruerint*: quibus ex verbis uti disertissime idem Natalis Alexander prodit, nunquam ejusmodi sententia evasit Fidei Dogma. Et quum Ecclesia universa heic pendeat e Decretis Romanorum Pontificum, cur quaeso nos detinet juvenis

venis Censor inutili hac merce; hoc est Schismatico tunc paucorum Concilio, atque additis Carthusiani cujusdam Anonymi verbis, quae profecto nosse nil nostra refert? neque enim quidquam ponderis adferre possunt Schismaticorum illorum Decreto. Pag. 23. iterum erumpit Concilium Tridentinum, in quo, teste Cardinali Pallavicino actum fuit de *Pie credenda* Immunitate Virginis in Conceptione. Cui deliberationi obstitere Patres Ordinis Praedicatorum, *opponendo essi, che ove il credere una parte si dichiarasse Pio: il credere l'altra verrebbe a dichiararsi Empio: il che tacitamente era diffinir la quistione.* Hinc ansam argumentandi arripit juvenis Theologus: *Se il dichiarar quella Pia, era per essi un dichiarar' Empia l'altra, il diffinire, che ha fatto Alessandro VII. lecito il celebrar la Festa della Concezione secundum Piam istam sententiam, non sarà un dichiarar' illecito il celebrarla secondo l'Opinione contraria? Ne vorrei la disparità.* Immo fortius argumentari debuit Logicus iste juvenis: Quum Alexander *Piam* declararit Scotisticam sententiam, non *Illicitum* duntaxat, sed *Impium* erit celebrare Festum secundum Opinionem contrariam. Verum continuo quisque agnoscat, ex Alexandri Bulla nil consequi ex iis, quae Ordo Praedicatorum formidavit in Tridentina Synodo. Quamvis enim Pontifex iste *Piam* appellet Scotistarum Sententiam, hoc est licet laudabilem Pietatis apparentiam in ea deprehendat: nihil tamen addit, per quod vetetur altera factio suam quoque reputare *Piam*; immo Anathema indicit audentibus eam appellare *Haereticam*, sive *Impiam*; atque antea Pius V. interdixerat *Erroneam* dicere eorumdem Thomistarum Opinionem: quod sane Decretum Pii Alexander non sustulit, immo confirmans Constitutionem Gregorii XV. illud quoque confirmavit. Quamobrem si licet Thomistis suae adhaerere Sententiae, sive Opinioni, liceat quoque necesse est eisdem Festum celebrare secundum eandem Sententiam. Alioquin, uti jam non semel diximus, si quisquam cum Theologo juvene secus cerebro suo suadeat, is manifeste Imprudentiae sanctissimum Pontificem arguit. Otio suo postea abutitur idem Theologus, quum incautae genti persuadere nititur, *conclusum in Tridentino Concilio, ut decerneretur, Virginem Sanctissimam conceptam sine peccato originali fuisse; sed ob instantissimas preces aliquot Episcoporum* &c. Hanc in rem is Lancizium, Catherinum, & Ormacheam testes advocat. At cur ista? Nisi ut dubia Catholicis, atque Haereticis Acta Concilii Tridentini eruditus iste Theologus exhibeat. Natalis quoque Alexander auctor est Hist. Eccl. Saec. II. Diss. 16. §. 21. neque in primis editionibus Tridentini Concilii

Lu-

Lutetiae factis, neque in Collectionibus Conciliorum a Caranza & Crabbe adornatis, legi in Decreto de Peccato Originali, cui omnes obnoxii dicuntur, ullum de Deipara verbum. Num propterea licebit in suspicionem adducere additamentum illud in ejus favorem conceptum? Abeant ejusmodi praestigiae. Habemus Acta Synodi Tridentinae sincera, probataque a Romanis Pontificibus. Temeritate non careat, quisquis privatorum relationes contra eorum fidem obtrudere velit. Atque in hanc rem pluribus non est opus. Quum vero post hasce objectiones finem primae suae Epistolae fecisset juvenis Theologus, Abbas quoque Romanus quiescendum censuit, atque in posterum diem condictum fuit reliquum Censurae examen. Haec autem, Azevede mi, an recte se habeant, pro tua sapientia, atque doctrina judicabis, & quid sentias, ad me, ut spero, rescribes. Vale.

Neapoli III. Non. Octobr. MDCCXLI.

Azevedo suo Ferdinandus Valdesius S. P.

EPISTOLA SEPTIMA.


T Fidem meam liberem, Azevede supra ceteros mihi care, en tibi cetera, quae Romanus Abbas in Epistolas juvenis Theologi, me audiente, disseruit; nam quae pauca ego identidem interserui, referre supervacaneum dico. Itaque postera die convenimus, & Censoris illius Epistola secunda in manus sumta, amicus vir in haec verba loquutus fuit. A cavillationibus cursum suum instituere mihi videtur pag. 25. juvenis iste Theologus, dum post Parthenotimum conqueritur, Lamindum Pritanium (idem iste est atque Antonius Lampridius) disertis verbis non probasse Votum de tuenda voce & calamo Scotistica Sententia. At Lampridius haec Pritanii verba attulerat: *Satis quibusdam non fuit calamo & rationibus Immaculatam Deiparae Conceptionem tueri, quod procul dubio cum Vera Pietate consonat*. Nemo est qui non intelligat, hisce probari Votum de eadem tutela; nam ex quo aliquid cum Vera Pietate concordat, legitima est Voti materies. Attamen juvenis Theologus hoc sufficere negat; jurene an injuria, erit aliorum judicium. Propositiones Lampridii is deinde oppugnandas arripit. Quarum prima est pag. 92. *Imprudenter ac temere emitti Votum de*

ſanguine fundendo pro tutela Scotiſticae ſententiae, quum Vita hominis Certum ac evidens Bonum ſit, minime impendendum ad tuendam Sententiam, quae Certitudine adhuc caret, & nondum e pomoerio Opinionum exceſſit. Occurrit ſtatim juvenis Theologus, inquiens, ſe in priori Epiſtola oſtendiſſe *Certam* hujuſmodi Sententiam. An id ille praeſtiterit, laudatis duntaxat argumentis, hoc eſt falſis Minoritae ſuppoſitis, plene, ut arbitor, jam animadverteris. Is deinde e Scholaſtico promtuario non brevem lectionem expromit de variis ſpeciebus Certitudinis, inquiens, praeter *Certitudinem Fidei*, *& Evidentiam* dari alteram minorem Certitudinem, quam tandem Moralem definit, & Lampridium alloquens, Magiſtrali Caritate ait: *Intendetelo bene*, *perchè* qui è tutto il voſtro Equivoco. Tum dicere pergit: *Ma ſiccome la Certezza Morale può eſſere ſolo Riſpettiva*, *così non è maraviglia*, *che la Sentenza della Vergine conceputa ſenza macchia originale non ſia ugualmente Certa a tutti*. *Dal che ne ſegue*, *che per quelli i quali non giungono a penetrare i motivi di tenerla per Vera e Certa*, *ſecondo i voſtri principj non è lodevole il Voto di ſpargere anzi il ſangue*, *che laſciarla*. *Se volete*, *io vel conſento*; *e dacchè voi ſiete uno di queſti*, *no nol fate*, *che fareſte uno ſtolto*. *Ma poi perchè a voi non è Certa quella Sentenza*, *perchè voi non potete far queſto Voto*, *non volere*, *ch' Ella ad altri ſia Certa*, *che altri facciano quel Voto*, *Signor mio*; *o queſto ſembra a me troppo*. Ita ille, atque ea placida pugnandi ratione, a qua optandum foret, ut is nunquam receſſiſſet.

Ad iſta ut reſpondeam: primo temperare poterat juvenis Theologus ab ea de Certitudine lectione, quando nihil aliud is nos docet, niſi *Certitudinem Moralem* dari: quod vel ipſi Tirones norunt, neque de eo quiſquam dubitat. Secundo quid eſt quod ille jam ad pacta venit, liberum cuicumque relinquens non credere *Certam* Scotiſtarum ſententiam, dum ſibi ſuiſque commilitonibus liceat eamdem reputare Certam? Nos heic petimus: an is veram ſtabilemque cenſeret Minoritae ſui doctrinam, quando eam unice nobis antea objecit, ut evinceret, Piam Sententiam in Certitudinem immigraſſe; immo eam in ipſa Certitudinem deprehendi, *cui Falſum ſubeſſe non poſſit*, quum *dementes*, & *rationis expertes* idem Minorita ingenti fragore toties decreverit, quicumque id non videret ac fateretur? Si Veram ne ipſe quidem reputabat, quei illa eſt uſus, ut nobis ac Populo ſuaderet, Certam evaſiſſe Sententiam ſuam? Sin Vera, neque dubia, ſibi videbatur Minoritae doctrina: cur contemtis Athletae ſui argumentis, nobis licere nunc ait *Incertam* credere eandem Scotiſtarum Sententiam?

Dum

Dum is quid respondere possit excogitat, nos ultra pergamus. Ut igitur vides, *Certitudinem Moralem* Piae Sententiae tribuendo, juvenis Theologus arbitratur, sibi suisque licere vitam pro ea tuenda obligare. Expendendum heic primo esset, an Vita, quae danda est, ut recte datur pro tutela Dogmatum ad Fidem spectantium, licite effundi possit pro sententiis Moraliter quidem Certis, sed in censum Veritatum Fidei nondum relatis. Quaestionem hanc ego praetereo, quaesiturus dumtaxat, an revera de hujusmodi Certitudine Morali certi sint, & plaudere sibi possint asseclae Scoti, & quibus rationibus atque argumentis eam fulciat atque demonstret juvenis Censor. Sed nescio quo fato hoc ille facere oblitus est. Ad statuendam hanc Certitudinem primum illi & postremum fuit, memorare invicta argumenta Patris de Luca, quae an talia sint, jam vidimus. Quo facto, eam Certitudinem dein procedendo semper supponit, falso propterea supposito utens. At heic situs est cardo nostrae disputationis. Pluribus vero Lampridius antea palam fecerat, Piam quidem & Probabilem esse Scotisticam Sententiam; dicas etiam, si mavis, contraria Probabiliorem; nullam tamen Certitudinem ulla ex parte ad eam hactenus accessisse. Ut ergo illius aedificium consistat, unum opus erat, scilicet legitimis tabulis aut testibus ostendere, *Certitudinem* minime deesse in Pia Sententia; & eam quidem, quae formidinem *Erroris* excludat, uti mox dicam. Si secus accidat, Sanguinarium Votum, quia Imprudenter ac temere susceptum, ruat oportet.

Ex verbis juvenis Theologi nuper productis didiceris, qualis sit Certitudo illa, quam de Pia Sententia concipit is, ejusque collegae. Scilicet ejus generis, ut sibi ac suis id Certum videatur, quod tamen is fatetur Incertum aliis videri. Quare nihil aliud ea Certitudo demum dicenda est, nisi *Certitudo Subjectiva*, sive *Persuasionis*, quam inculcavit Lampridius, ineptamque ostendit ad Sanguinarii Voti tutelam, quippe una *Certitudo Intrinseca* seu *Objectiva* in casu nostro exigitur. Dejicienda erant, non dissimulanda illius hac de re argumenta. Sed fallor. Pag. 31. juvenis Theologus nonnullis exemplis ostendendum sibi proponit, *Che con tutta l' Incertezza, in cui uno sia della Pia Sentenza, pure è Virtù il voler dare la Vita per difendere questo pregio alla Vergine*. Ubi id ille nobis ostendat & probet, non amplius juvenis, sed senex Teologus erit mihi, immo & magnus Apollo. Parthenotimum, virum certe in Scholastica palaestra veteranum, sequutus iste juvenis, statuit, licere Votum concipere pro qualibet *Vera Virtute*, Sotum citans, & Angelicum, quasi non omnes Theo-

logi in id consentiant. Tum addit, sufficere, ut earum Virtutum Objectum sit licitum & honestum, prout apparet Intellectui. Ita Hostiam consecratam in divino Sacrificio adoramus absoluto, non conditionato cultu Latriae, quum tamen nemo prudentem timorem expellere possit, nec sit moraliter Certum, Hostiam illam fuisse consecratam. At quidnam quaeso agit juvenis iste Theologus, quum ejusmodi exemplum ad praesentem caussam pertrahendum putat? Vel rudes intelligunt, se nullius culpae reos, quod Hostiam adorent, consecratam putantes, quae talis forte non sit; nam adorare a Religione jubentur, atque uti Angelicus Doctor heic ab ipso juvene Censore memoratus tradit, fides colentis ad verum Corpus Christi tendit, quod certe est adorandum, non ad eas species panis, quae se oculis offerunt; ac proinde nihil mali aut flagitii inde manaret, etiamsi is falleretur. Verum qui vitam vovet pro tuenda Immunitate Virginis in Conceptione, quamvis Certum sibi non sit, eam a macula originali immunem fuisse, ignorare non potest, aut non debet, nullum exstare Praeceptum, aut Consilium a Fidei doctrina praescriptum de credenda, aut tuenda Scotistarum Sententia; & contra sibi Praeceptum a Natura, atque a Deo impositum fuisse conservandae Vitae, neque profundendae ad arbitrium nostrum. Imprudentiae propterea ac temeritatis culpam non effugiet, si Bonum hoc Certum, evidens, & post Animam inter creatas res omnium pretiosissimum, perdere velit pro Incerta Virginis sanctissimae praerogativa, & quae neque Vera neque Certa evadet, etiamsi innumera hominum millia temere pro illius tutela sese gladiis offerrent. *Intendetelo bene*, Theologe mi juvenis, *perchè qui è tutto il vostro equivoco*, ad eum & ego libenter dicerem. Pro Objecto, sive pro Opere Intrinsecae, hoc est ad Fidem spectantis Virtutis, mortem subire meritorium est, & species quaedam Martyrii. Contra pro Incerto Virtutis Objecto vitam, pretiosum Certumque Bonum, impendere velle, quum contra Prudentiae leges sit, ac Praeceptum naturale ac divinum sine justa caussa tunc violetur, culpa non caret.

Attexit deinde juvenis Theologus alia exempla, idonea, ut ipse sibi persuadet, ad dealbandum Sanguinarium suum Votum. Licitum est concipere Votum de *eleemosyna danda cuicumque Pauperi occurenti;* & quanquam tribuatur paupertatem mentientibus, non desinit esse meritoria. Licitum est *Militibus vitam dare pro Principe in bello*, quamvis ignoret, an justum sit illud bellum. Praeterea si probum quemquam hominem ego credam, qui tamen omni improbitatis genere

nere abundat; & exerto gladio quisquam mihi mortem intentet, nisi eum hypocritam, aut adulterum credam: tunc ut abstineam a temerario judicio, sive a mendacio, honeste mortem subibo. En ergo, ita ille concludit, quamvis Objectum minime sit Certum, & falli possit Judicium Speculativum, Practicum tamen Judicium non fallitur; atque hoc sufficit, ut Prudenter, & non sine merito tunc agatur. Atque ejusmodi exemplis ille rem confecisse sibi videtur, dum Sisyphi more *versat saxum sudans nitendo, neque proficit hilum*. Et quare? Quia nunquam recogitat, deesse in nostro casu Praeceptum aut Consilium Catholicae Fidei de credenda sive tuenda Pia Sententia, quum contrariae Opinioni adhaerere liceat; & contra vigere naturale & divinum de custodienda, & non projicienda Vita Praeceptum. Ad Eleemosynam quod attinet, nos Deus Consilio ad Fidem spectante, propositoque praemio ingenti ad eam hortatur, atque interdum ad ipsam quoque obligat. Si error occurrere potest in dignoscendo Paupere, nullius momenti error iste est; neque enim errat animus id operans, ex Principio certos nos faciente, opus illud Deo placere. At quum vitam voves pro Opinione tuenda, Probabili quidem & Pia, sed minime Certa: nonne vides, te Certo violare divinum Praeceptum de vita custodienda; & Incertum contra esse, an quod tueri vis Deo placeat ac mereatur defendi? neque enim Probabilitas formidinem Erroris excludit. Quod est ad eum, qui mortem tolerat, ne occidat, ne fornicetur, ne blasphemet, uno verbo ne in Peccatum incurrat: is rectissime operatur, quia Praeceptum Domini tunc implet, atque a doctrina Fidei certus fit, tunc non temere, sed juste & meritorie Vitam impendi; tunc enim cessat minus Praeceptum Vitae servandae, quum urget Praeceptum majus Fidei aut Virtutis ad Fidem spectantis tuendae. Sed numquid ulla lege jubemur veram credere *Praeservationem* Virginis? Num peccare eos dicas, qui *Sanctificationem* potius credendam putant? Nemo hoc asserere audeat. Quamobrem in casu isto praeferenda est conservatio Vitae confessioni Immunitatis Marianae, quia grave Malum habetur nolle servare Vitam, quando nullum est Malum asserere nolle veram aut certam immunitatem praedictam. At, inquit juvenis Theologus, fallax est hominis illius speculativum Judicium de improbo, quem probum credit; & nihilo minus in Judicio Practico is recte agit. Ad hoc respondebo, postquam me expediero a tertio exemplo, scilicet Militum vitam pro Principe dantium in bello, quanquam nulla eis Certitudo sit de justa caussa belli. Sed Milites, quum ad bellum pergunt, animo ducuntur defenden-

fendendae Reipublicae, non vero fubeundae mortis, quam per accidens poftea incurrere poffunt. Et quamvis illius periculo fefe exponant, nulla eft eis impofita obligatio inveftigandi, an bellum fit juftum. Ad Reges & Principes belli auctores id fpectat; ad Milites duntaxat pertinet ex praecepto Dei obedientia, five parere juffis Principum fuorum. Audi S. Auguftinum Lib. 22. Cap. 74. contra Fauftum. *Sive Deo*, inquit, *five aliquo legitimo imperio jubente, gerenda ipfa bella fufcipiuntur a bonis, quum in eo rerum humanarum ordine inveniuntur, ubi eos vel jubere tale aliquid, vel in talibus obedire, jufte ordo ipfe conftringit.* Tum Cap. 75. *Vir juftus fi forte fub Rege homine etiam facrilego militet, Recte poteft illo jubente bellare civicae pacis ordinem fervans: cui quod jubetur, vel non effe contra Dei praeceptum certum eft, vel utrum fit Certum non eft, ita ut fortaffe reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem oftendat ordo ferviendi.* Quare non Milites Deo rationem reddere debent, fi in bello cadunt, fed Princeps, qui ex poteftate fibi a Deo data eos ad certamina & caedes ducit. Haec omnium Theologorum fententia eft. Pag. etiam 39. animadvertit juvenis Theologus, licere non folum pro *Rege*, fed & *pro Amico mori*, *quamquam Amicitia non fit Virtus*, *fed folum proxima Virtuti*. In longum nimis procederet oratio, fi cuncta perfequi vellem, quae hac de re Theologi differunt. Eorum contexere catalogum nihil opus eft. Sunt qui negant, & cum eis concors ire videtur S. Auguftinus Lib. I. Cap. II. Soliloqu. fcribens *Illam legem amicitiae juftiffimam effe arbitror qua praefcribitur, ut ficut non minus, ita nec plus quifque amicum, quam fe ipfum diligat.* Alii ad fervandam vitam parentum, Regis, feu hominum Reipublicae utilium, licere vitam dare arbitrantur; pro ceteris nequaquam, nifi de eorum falute aeterna agatur. Alii amicos, non vero extraneos, cum vitae fuae difpendio defendendos volunt. Alii denique extraneos quoque juvandos decernunt, quum & heic militare videatur regula Caritatis, nempe laudabile effe facere alteri, quod nobis ab altero factum vellemus. Quod heic animadvertendum praefertim reor, qui Amico ab hoftibus impetito fuum auxilium commodat, non ea intentione pro illo periculum fubit, ut pro illo mortem oppetere velit, fed fpe ductus non minus vitam amici, quam fuam fervandi. Attamen hoc etiam minime confiderato, illud evidens eft, quum homo pro Amico periclitante vitam periculo exponit, tunc ipfum defendendum fufcipere Bonum Certum, quale eft Amici vita. At in noftro cafu toties dictum eft,

Cer-

Certitudinem desiderari in tutante Scotisticam Sententiam, ac propterea in Prudentiam & Caritatem peccare, qui pro ea Certum vitae propriae bonum impendere velit.

Audiendus nunc nobis rursus est juvenis Theologus, dum pag. 32. tradit, Judicium Directum & speculativum fallax esse posse, & nihilo secius Judicio Reflexo & Practico recte posse hominem agere. Falli possumus in adoranda Hostia non consecrata; in credendo probum, qui improbus sit, in eleemosyna danda ficto pauperi. Desinitne propterea laudabilis esse ac meritoria actio? Neutiquam. Ita quamvis Certum non sit, sed *Probabile dumtaxat*, *an Virgo sine labe fuerit concepta*, *ac Probabile propterea sit Speculativum Judicium: Judicium tamen Practicum*, affirmans, *Pium esse credere Virginis Immunitatem*, *Certissimum est*, *quum Certum sit illius objectum*. Ita Theologus, qui etiam nos docet, Virtutum Moralium Objectum licitum honestumque evadere posse, dum intellectui nostro tale appareat, quamquam revera tale in ipso non sit; quum contra in Virtutibus Theologicis necesse sit, ut Objectum concipiatur ab Intellectu nostro, quale eit in se; atque hanc doctrinam *apud omnes Theologos* ille *Certissimam* appellat. Non est mihi animus in quaestionem hanc divertere. Id solum habeto, non satis caute scriptum, doctrinam hanc ab universis Theologis tradi. Ut autem vides, eo se recipit Theologus iste, ut saltem a peccato excuset Voti Sanguinarii professores: quod sane parum emolumenti ejusdem sectatoribus videatur. Nam, ut is significare vult, etiamsi Certa speculative non foret Pia Sententia, & quamvis considerato in se Objecto vita pro ejus tutela temere profusa videretur: nihilominus quia Objectum illud intellectui apparet licitum atque honestum, practice culpa caret Votum Sanguinis, & Vitae jactura. Sed ne sic quidem justam excusationem commilitonibus suis Theologus iste parabit, neque ab eis culpam amovebit. Etenim ubi agitur de actionibus a Deo vetitis & in se malis, ut mitissime loquar, non sufficit per adhaesionem intellectus Objecto illi ipsum reputare honestum, sive malitia destitutum; sed etiam accedat oportet *Ignorantia Invincibilis*, ita ut si dubitatio de bonitate seu malitia actionis occurrat, ac modus & tempus detur inquirendi, an revera Objectum tale sit, quale intellectui apparet: tunc obligetur homo ad inquisitionem Veritatis, ne in errorem & peccatum incurrat. Inquirere autem nolens, aut negligens, suique intellectus fallaciam praefracte sequi volens, divino judicio se culpabilem reddit. In nostro autem casu quaenam, quaeso, Ignorantia Invincibilis adduci potest,

potest, praesertim a viris Theologiae cultoribus? Nemo est, cui lex Dei & Naturae ignota sit, nempe Vitam nostram servandam, neque temere profundendam sub gravissima poena peccati; hoc enim species Suicidii est. Rursus cuicumque si mente utatur, in mentem veniat oportet dubitatio, saltem ex quo mota lis est, an eandem vitam dare liceat pro tutela Piae Sententiae. Posita dubitatione, jam recedit Ignorantia Invincibilis, & subintrat Vincibilis, quae a culpa nequaquam excusat; tunc autem jubetur Christianus nulli diligentiae parcere, ac sincero corde, sublatisque amoris proprii consiliis, curare, ut Veritatem inveniat, ne in re tanti momenti, qualis est hominum vita, per imprudentiam fallatur. At cui sano intellectui (sit verbo venia) apparere unquam poterit, post adducta in examen quaestionis hujus momenta, & praesertim (quod tam facile est) consideratis Romanorum Pontificum hac de re decretis, adeo Certam esse Piam Sententiam, atque Certum est nos vivere, Vitamque nostram ex praecepto Dei & Naturae esse conservandam? Saltem dubitatio aliqua supersit. At haec una satis est ex regulis Theologiae, ut conscientia Certum sequi debeat, & crimen consequenter incurrat, si praeferre non Certum Certo pervicaciter velit.

Hisce positis, ad juvenem Theologum, atque ad tria ab eo producta exempla redeamus. In iis duo distinguenda sunt, scilicet id quod Certum est, atque id quod Incertum, sive tantum Probabile. Certum est Religionis Praeceptum de adoranda Hostia in incruento Sacrificio, aut in sacris supplicationibus venerationi omnium exposita. Contra non est Certum, an consecrata sit Hostia illa, sed Probabile duntaxat. Certum est Legis nostrae Consilium de facienda Eleemosyna, Certa sanctitas Voti de eadem Pauperibus distribuenda; Incertum contra, & dubium, an veri Pauperes sint, qui ad illam accipiendam accedunt. Denique Certum est Praeceptum Legis de non mentiendo, & de non temere judicando de Proximo, & eligendam potius esse mortem, quam temere judicare, sive mentiri; quum contra Certum non sit, an probum credens, qui improbus est, fallatur. Cur vero in tribus istis casibus homo recte agat, facile dignoscitur; ille enim semper secundum Religionis Praeceptum aut Consilium agit, de quorum Certitudine dubitare non potest; & nihil propterea refert, an falli possit aut fallatur contra spem suam in eo, quod Incertum Dubiumque est. At in nostro casu, quod inverso ordine homo operetur, Imprudens propterea & damnanda evadit illius actio; nam Praeceptum Dei de custodienda Vita Certum & Evidens ille violat,

violat, ut Incerta ac Dubia Ingenii sui phantasmata amplectatur, sive confirmet. Praecipit Deus, ne Vitam proiicias, cujus non tu, sed ille dominus est, non praecipit, ut tueare Sententiam Scotisticam, cujus Veritas adhuc latet. Licetne tibi contemnere Praeceptum, ut quod non praecipitur tuearis, atque Incertum praeferre Certo? *Domus ista tibi locata est, non donata*, inquit Sanctus Augustinus de Vita loquens Enarr. in Ps. 148. num. 7. Num obligare, aut dare illam tibi licet ad arbitrium tuum, ut incerti juris fundum tibi compares? Rursus Lactantius Lib. III. Cap. 18. ait. *Sicut in hanc vitam non nostra sponte venimus, ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum a Deo est, ejusdem jussu recedendum est, qui nos in hoc corpus induxit, tamdiu habitaturos, donec jubear emitti.* Ad Ecclesiam decernere spectat, quando oporteat, vel liceat vitae periculum, ipsamve mortem incurrere. At ecquando Ecclesia nos docuit, pro tutandis Opinionibus fas esse mortem eligere?

Piget me hisce subtilitatibus diutius detinere Lectorem, sed cogor denuo audire juvenem Theologum, quem nondum cedentem videre mihi videor. Inquiat ergo: Tu nuper laudasti sinentem se interimi, ne mentiatur, neve temere judicet; & nihilominus fallax diximus illius judicium de homine improbo, quem probum credit. Ergo etiamsi daremus, fallax esse posse Judicium de Veritate Piae Sententiae, non falleretur tamen, qui pro illa tuenda postremum toleraret supplicium. Ita is, sed omnibus minime perspectis, quae longe dispares casus efficiunt. Recte agit pugione impetitus homo, & mortem eligens potius quam mentiri, aut temere judicare; nam in amphractu illo is Judicium suum Practicum mutare nequit, atque urget Religionis Praeceptum de non mentiendo, neque temere judicando. Sed ubi homini credenti probum, qui improbus est, congruum tempus relinquatur investigandae Veritatis, is ad hoc praestandum obligatur; & quoties debitae diligentiae desit, ut mortem effugiat, Suicidii reus erit. Casum nostrum nunc respice. Nemo ex iis, qui Piae Sententiae adhaerent, in angustiis positum se videt; omnibus liberum est, immo opus est, antequam vitam pro illius tutela voveant, diligenter investigare, Certane sit eadem Sententia, an Incerta, sive tantum Probabilis. Probabilem vero non Certam, dum examen instituant rite & sine studio partium, deprehendent. Juvenis ipse Theologus pag. 33. *ci permette, che il suo oggetto sia solo Probabile;* quodque rem conficit, Decreta Romanorum Pontificum dubitare nos minime sinunt, quin Incertum adhuc sit hujusmodi Mysterium.

flerium. Hoc facto, quis Prudens Vitam Certiffimum Bonum, neque fuum, voveat pro Sententiae non Certae tutela? Et quei culpam Temeritatis, & fraudati domini fui effugiet? Attamen etiamfi juvenis Theologus objectum nobis concedat uti tantummodo Probabile, is nihilo minus pag. eadem addit: *Judicium Practicum affirmans: Pio è il credere, che la Vergine fia Conceputa fenza macchia: iftud eft Certum Certiffimum, quum Certum fit illius objectum.* Ergo is fatetur, objectum Voti Sanguinarii effe, non jam credere abfolute Virginem fine labe conceptam; fed duntaxat *Pium effe credere Virginem ab omni labe immunem fuiffe.* Quibus verbis quid aliud jam agitur, nifi incautis illudere velle Lectoribus? Voventes Votum Sanguinarium interroga, aut illos, quibus ejufmodi Votum, tanquam mirabile arcanum devinciendae fibi Deiparae, proponitur. Ii fatebuntur non alium in finem illud concipi, nifi ut defendatur *Veritas* Piae Sententiae, & ut per Sanguinem paratus quifque fit ad praeftandam illius Certitudinem, uti etiam quibufdam exemplis confirmavit Lampridius pag. 7. & 82. Verum ubi arctari fe fentiunt ab iis, qui Votum improbant, dum Certitudinem hanc eis eripiunt, & *Perfuafionis Certitudinis* nequaquam fufficere ad juftificandam mortis electionem oftendunt: tunc ad anchoram *Pietatis* confugiunt, fingentes, hoc unum effe Voti fui objectum, videlicet *Pie credere* Praefervationem Virginis in Conceptione: qua voce fperant ineruditis faltem iri fatisfactum, quando Apoftolica ipfa Sedes *Piam* agnovit eorum Sententiam. Non heic ego repetam, quae Lampridius multa congeffit Cap. V. & fequentibus, ut evinceret, nihil aliud effe *Pie credere* nifi *Opinari*, five nifi credere, *Apparentiam Pietatis & Veritatis* in aliquo exiftere objecto; *Pietatem* vero *Opinativam* juftum nobis non praebere fundamentum, ut pro ea vitam impendere liceat; haec enim duntaxat danda eft, quum *Pietas Intrinfeca* defendenda occurrit, hoc eft ubi negare cogimur Propofitionem quampiam, aut Virtutis opus, de quibus Fidei doctrina certos nos facit. Vigentibus adhuc Lampridii rationibus, fruftra cantilenam hanc ingeminat juvenis Theologus. Quod fi revera voventes hoc unum vellent, en quale foret eorum Votum. *Ego Pie Credo, ideft Opinor, Deiparam fine labe fuiffe conceptam, quum Pietatis & Veritatis Apparentiam in Credulitate feu Opinione ifta deprehendam: Incertus tamen, an revera talis fuerit Deiparae Conceptio, & non fine formidine, me falli poffe in hoc credendo, aut opinando. Proinde Voveo, me vitam libenter daturum, ut Credulitatem iftam, five Opinionem defendam.* Num prudens, num

licitum

licitum hujuſcemodi Votum appelles? & quis umquam illud conciperet? Non pro Apparentia Veritatis, ſed pro Veritate Certa ad Religionem ſpectante (iterum dico) juſtum licitumque tantummodo eſt mori; neque ullum Eccleſiae Praeceptum aut Conſilium adducas de ſubeunda morte pro Incerta Veritate. Parthenotimus ipſe non ſemel faſſus eſt, nefas eſſe pro *Opinione* mortem velle oppetere, addens pag. 15. *Nullum Theologorum* ſibi occurriſſe, qui ſecus ſenſerit. Praeceptum ergo de cuſtodiendo ingenti Bono Vitae ſemper recogita, nullumque jus nobis eſſe illius profundendae ad arbitrium noſtrum: atque intelliges, non ſine culpa impendi eam poſſe pro tot rebus & factis, quae *Pie* duntaxat in Eccleſia *creduntur*.

Dixerat Lampridius pag. 94. *Si forte Scotiſtica Sententia errorem complecteretur, nemo non videt, mortem tuam* nihil *operaturam, ut Sententia illa Vera fiat, Veritatemque, qua caret, per Sanguinem tuum accipiat. Cur ergo rem adeo pretioſam proiicis, ut nihil conſequare?* Suppoſitum hoc minime negat juvenis Theologus pag. 35. ſed exempla nuper allata repetens, inquit: *Follie, follie. Non conſeguirò, che l'Oſtia diventi conſecrata: che la Guerra ſia giuſta: che quel tale ſia buono; ma non perciò laſcierò di conſeguire il merito di quell' azione virtuoſa. Non v' ha biſogno d' altra applicazione.* Repetendum heic eſt, adorari Hoſtiam, non ea intentione, ut conſecrata evadat; quae conſecrata non ſit; ſed quidem ut fiat ſatis Praecepto Religionis de adoranda Hoſtia expoſita in ſacris. Audi Sanctum Thomam in 3. p. Diſt. IX. qu. 1. Art. 2. *Qui adorat Hoſtiam non conſecratam, adorare eam oportet cum conditione ſcilicet, ſi eſt conſecrata. Non tamen oportet, quod haec conditio ſemper ſit actu explicita, ſed ſufficit, quod habitu teneas illam. Unde non peccat adorans eam, quia non adorat puram creaturam, ſed Chriſtum ſecundum intentionem ſuam.* Neque mortis periculo ſeſe exponit Miles, ut juſtum probet bellum, quod fortaſſis injuſtum eſt; ſed ut obedientiae erga Reges a Deo praeceptae ſatisfaciat. Propterea utriuſque laudanda eſt actio. Tertius vero mortem tolerat ne improbum dicat, quem probum credit, quia in eo conſcientiae ſtatu, & nullo ſibi relicto temporis ſpatio ad Veritatis examen, parendum videt Praecepto eligendae potius mortis, quam mentiendi. Poſito enim errore Conſcientiae, ab invincibili Ignorantia procedente, tunc non ſolum minime peccat agens ſecundum Conſcientiam erroneam, ſed etiam ſecundum illam tunc ei agendum eſt. In noſtro autem caſu, praeterquam quod adduci in ſubſidium nequit Ignorantia Invincibilis, Voventium finis ac intentio eſt, Vitae ſuae

non parcere, ut probetur per eam Certitudo Sententiae Piae, sive Persuasio Certitudinis in illa. Quod sane monstrum est, atque unum, si bene consideretur, prodere potest Sanguinarii Voti Imprudens & malesanum consilium. Certam enim vides ex una parte profusionem Vitae, quam sub Praecepto custodire jubemur, & consequenter Praecepti transgressionem. Ex altera vero habemus, ipso concedente juvene Theologo, etiamsi complura hominum millia sanguinem darent pro Scotistica Sententia, non propterea Veram Certamque illam evasuram, nisi Ecclesia praecedat, & rem suo firmet decreto. Ergo ingens damnum, nullumque fructum in Voto deprehendens, non Virtutis opus, sed Imprudentiae ac Temeritatis inventum illud appellare tandem cogeris. Praetereo nunc quae juvenis Theologus pag. 36. adfert de *Infallibilitate Ecclesiae*, quam quisque suspicit, ac de ipsa agnoscente *Piam* Scotisticam Sententiam: quod is satis esse arbitratur ad dandam Vitam pro ejus vocis tutela. Nam ubi, qualis sit vocis hujus vis in Theologicis Scholis, explices, ut jam diximus, nihil nisi *Apparentiam Pietatis* significat; & quum Ecclesia dicit, se aliquid *Pie credere*, eo ipso indicat, se rem Incertam relinquere, neque de illius Veritate aut Falsitate se velle quidquam decernere; & potissimum quod vetet contrariam sententiam *Impietatis* aut *Erroris* arcessere. Redit igitur sermo semper ad illud, quod Ecclesia ipsa improbat, scilicet non licere mori pro Incerta assertione Pia, quia Opinionem tueri velle Sanguine nostro, Temeritatis ac Imprudentiae facinus est. Quod si iterum is pag. 37. in scaenam exempla trahit, quae nuper inepta ad rem nostram vidimus; sique Scolasticis terminis *Objecti Materialis*, & *Formalis* ineruditos erudire se posse existimat: nihil mihi addendum est ad ea, quae ante disseruimus.

Praeterea scribebat Lampridius pag. 112. *Si aliquando Romana Ecclesia Fidei Dogmatis adjungeret Scotisticam Sententiam, quid ultra, quid majus faciendum Parthenotimo restaret ad testandum se Divina Fide credere Sententiam eamdem?* Ad haec juvenis Theologus pag. 40. respondet: *Siete pure il buon' Uomo. Allora in primo luogo non vi sarebbe bisogno di Voto, e senza d' esso sareste anche voi obbligato a dare per essa il sangue. In oltre il morire allora sarebbe atto di Fede, ed ora solo di Religione.* Tunc in me oculos figens Romanus Abbas inquit: Explica quaeso mihi, quid plena haec modestiae vox *buon' Uomo* in loquela sociorum juvenis Theologi significet; vereor enim, ne plus ei energiae sit adversus Lampridium, quam quod prima fronte videtur. Ad ista ego subridens: Modus hic loquendi, ajebam, ne vetu-

vetustis quidem Latinis ignotus fuit. Itaque perge in coepta pugna, & reliquias Latinae Linguae reverere. Heic ille dicere perrexit: Ut vides, minime inficias it juvenis Theologus, quin qui Votum Sanguinarium concipiunt, Dogmatis Fidei nunc aequent Scotisticam Sententiam; nam non secus pro ista atque pro illis, parati sunt effundere Sanguinem, & mortem subire. At ego rursus insto: ferendumne est diutius in Ecclesia Dei, parem honorem haberi iis, quae a Deo revelata credimus, & iis, quae adhuc in Opinione hominum versantur? Verum, inquit juvenis Theologus, nonne videt Lampridius bonus vir discrimen, quod intercedit inter Fidei Dogmata, & praesentem Piam Sententiam? Pro illis Vita ex obligatione danda est, nec Voto est opus; pro ista sponte datur. Mori pro illis est *Actus Fidei;* pro ista *Actus Religionis*. Ita ille, qui se putat magnum aliquid dixisse, quum aut nihil, aut id quod in quaestione est tantummodo dixerit, & quidem eo ipso in loco, ubi ridet Lampridium. Nunc enim inter nos disputatio est, an pro tuenda Sententia, quae neque ad Fidem pertinet, neque Certitudinem continet, expendere Vitam liceat. Affirmat ille, negamus nos. Ille Actum Religionis istum appellat; nos Imprudentiae, seu Superstitionis. Commodum nimis est ad solvendos nodos eo ipso uti, quod adhuc in quaestione est. Praeterea quis unquam concedat, Prudens, & non Temerarium Religionis opus esse pro Opinionibus quanquam Piis velle mori? Ad haec animadvertendum, nos minime falli, si mortem oppetimus pro tuendis certissimis Dogmatis Fidei, aut pro verae certaeque, immo & non levis Virtutis opere, aut ne contra Legem Sanctam peccemus, quia divinae Literae, & Ecclesiae auctoritas certos nos faciunt, tunc recte eligi ac tolerari mortem, quum majus Bonum, illudque Certum, cum Bono minori vitae nostrae commutamus. Tunc Praeceptum minus servandae Vitae cedit Praecepto majori confitendae Fidei, & Peccati evitandi. Dicat obsecro juvenis Theologus, qua auctoritate fretus de Vita, quae sua non est, disponit, licitumque sibi vovere mortem arbitratur pro Piae Sententiae tutela? Non sacras Literas, non Ecclesiam heic memoret sibi in ejusmodi sacrificio adstipulantem. Nullum heic Praeceptum dandae Vitae pro hisce quaestionibus Scholasticis; immo heic unum occurrit Praeceptum custodiendae Vitae. Nullus heic Peccati metus, sive hanc, sive contrariam amplectaris Sententiam. Quei ergo in casu isto liceat ei vitam prodigere, immo & hunc appellare *actum Religionis?* Immo *Superstitionis*. Quaecunque enim ad Religionem spectantia Pie tantum vera creduntur (innume-

ra

ra autem heic habemus) si timorem errandi minime excludunt, Sanguine nostro velle confirmare tanquam Certa, nihil aliud est; quam Religionem Sanctissimam risui inimicorum exponere. Quaenam est haec vestra Religio, tunc ii dicerent, in qua licere putatis Vitam, Bonum videlicet Certum, & non minus a Natura, quam a Religione nobis sub gravi praecepto commendatum, pro Incerta re perdere? Imprudentiae ac Temeritatis facinus mors vestra tunc esset, quando in his casibus nemo vestrum certus foret, num pro Veritate, an pro Errore in mortem rueret. In re tam gravi, qualis est Vitae jactura, vel solum periculum errandi vitare jubemur; & qui eidem sese ultro exponit, peccat. Vita hominum Certa res est, non Opinio. Illam dare pro Objecto, quod ab Opinione pendeat, parum sani capitis esse quis neget? Inficiamini, si potestis, quin Sententia vestra adhuc intra Opinionum septa concludatur, quando Tridentinum Concilium, & Pontifices Romani, quibus culmen auctoritatis defertis, contrariam Sententiam stare & vigere sinunt, neque illius sectatores improbant aut contemnunt. Ita illi. Quamobrem semper ea recurrit Conclusio, scilicet: Absurdum esse aequare velle Veritatibus Fidei, quae nondum fines excessere Opinionis, neque formidinem fallaciae excludunt. Simulque intolerandum esse abusum, Dei ac Naturae Praeceptum contemnere, mortem ex arbitrio nostro eligentes, nisi Certum Vitae Bonum cum Certo & majori sit commutandum.

Quod Lampridius pag. 114. scripserat, scilicet *per Sanguinarium Votum Doctrinam ac Prudentiam Catholicae Ecclesiae irridendam hostibus nostris praeberi*: juvenis Theologus hac arte excipit. Rationes nempe pro Conclusione ista a Lampridio adductas sicco pede transiliens, ad eum conversus pag. 40. ait: *Come avete mai senza scrupolo veruno potuto fare un Libro così ingiurioso alla Chiesa Romana?* Immo Lampridii Liber, & quae nos antea disseruimus de Dissertatione Patris de Luca, tantum abest ut in injuriam Apostolicae Sedis cedant, ut praecipuum sibi scopum praefixerint ostendere peculiarem Prudentiam & Constantiam Romanorum Pontificum in controversia de Conceptione Virginis; proptereaque Sanctae Sedis hac de re Decreta atque doctrinam a Catholicis omnibus, atque ab ipsis Heterodoxis laudari debere, culpari non posse. Ita in ipsa Urbe aeterna judicant, qui masculum in mente & corde robur gerunt, atque unius studiosi sunt Veritatis, & honorem verum Ecclesiae supra cetera in tuto ponendum norunt. Addit ille: *Che avranno a dire gli Eretici, quando dopo le censure di Alessandro VII. contro a chi per qualunque*
Prete-

Pretesto sotto qualunque Mascbera osasse scrivere o direttamente, o indirettamente contro il Mistero (hoc nomine unam Scotistarum Sententiam ii appellare consueverunt) *leggeranno i Capi IX. X. XI. e XII. del vostro Libro, ne' quali per abbatterne la CERTEZZA, tutti cercate di snerbare gli argomenti, su' quali si fonda?* Gratiae habendae Censori sincere tandem fatenti, eo collineasse totum Lampridii conatum, ut *Certitudinem* tributam Piae Sententiae nullo niti fundamento ostenderet. Ceterum quod est ad ipsam Sententiam, eam cum Ecclesia Romana Lampridius centies *Piam*, & *Probabilem* agnovit. Insuper pag. 203. non ei adversari sacras Literas confessus est; denique post Sanctorum Patrum loca adducta, a quibus contraria Opinio persuaderi videtur, rationem quoque indicavit, qua Scotistae se ab eorum auctoritate eximunt, admittendo in Deipara *Debitum Peccati originalis*. Proinde vel ipsi Haeretici, nedum Catholici, satis perspiciunt, nihil deflexisse Lampridium a mandatis ac mente summorum Pontificum. At is *Certitudinem* impugnat. Utique, & fidentissime, quum hoc ipsum ad mentem procedat ipsius Apostolicae Sedis, quae Incertam hactenus reliquit hujusmodi Quaestionem, illam dirimere nolendo, & praecipiendo, ne quisquam *Erroris*, aut *Impietatis* contrariam Opinionem, ejusque sectatores Peccati insimulet. Nihil ergo mirentur Haeretici Lampridium sic agentem; sed quidem mirabuntur Catholicos illos, qui Vitam suam obligare, & prodigere audent pro tutela Scholasticarum Opinionum, quarum incomperta adhuc est Veritas; atque Imprudentiam, fortassis etiam Fanaticismum ac Superstitionem nobis objicient: quod probrum Lampridius a Romana Ecclesia avertit, atque a tot Populis, qui ab isto Sanguinario & inconsulto Voto abstinent, aut abhorrent. Post haec juvenis Theologus, birretum super caput suum manu fortiter premens, erectoque vultu ita Lampridium alloquitur: *Chi siete Voi, che Uomo privato abbiate a tacciare d' Imprudente, di Temerario, d' Intollerabile, di Dannevole un Voto fatto da Ordini Equestri, da Governatori di Provincie, da Città, sapendolo Roma, che che voi v' infingiate l' opposto, e tollerandolo?* Non aegre feret Lampridius, ut puto, si pro eo responsum ad hujusmodi interrogationem dabo. Nihil aliud est Lampridius, nisi triobularis homo, sed qui nulli factioni addictus, quanto potest studio Veritatem ubique venatur, ad tuendum decorem Ecclesiae atque doctrinae Catholicae, quantum suae vires ferunt, praecipue animatus. Unicuique autem in Christianorum Republica jus fuit, semperque erit, si quam Opinionem a Dogmatis sanctae Religionis dissonam offendit,

in eam insurgere. Commune enim Bonum est germana Ecclesiae Doctrina, Commune Bonum Veritatis tutela. Jam nosti, ante annos multos Lamindum Pritanium, sive Lampridium, Voto Sanguinario litem, sed obiter, intentasse in Libro *de Ingeniorum moderatione*. Siculos quosdam, aliosve eorum commilitones tunc is minime cogitabat; neque enim illos noverat Sanguinario Voto constrictos. Unus sacer Orator, qui ad magnanimum idem Votum amplectendum Mutinenses fuerat hortatus, nullumque ex iis, quanquam Devotione erga Deiparam aeque ac ille ferventibus, sibi obsequentem invenerat: caussam praebuit Pritanio improbandi ejusdem Voti, uti imprudenter ac temere concepti. Nihil ultra additurus is erat, incultaque jacuisset hujusmodi controversia, nisi Parthenotimus Siculus justo Libro typis edito in aciem prodiisset, Votum hoc vindicaturus. Poterat ille Siculis paucis, aut multis idem voventibus, privato aliquo scripto, aut praedicatione consulere: ea ratione ulteriori pugna opus minime fuisset. At quando is universae Christianorum Reipublicae veluti legitimum hoc Votum probandum, simulque suadendum suscepit: hinc natum Pritanio, in Lampridium postea converso, Opusculum *de Superstitione vitanda*. Si iis vitiis Votum & doctrina Parthenotimi revera deformatur, quae Lampridius in eo deprehendisse sibi videtur: eratne dissimulandum vulnus hoc, qualecumque sit, inflictum Ecclesiae? At homunculus est Lampridius. Non abnuo. Tu non illum respice, sed ejus argumenta atque rationes expende. Si ex istis forte conficitur, intolerandum esse Votum: quid refert, veniatne justa Censura ab homine nullius pretii, an ab illustris alicujus Dignitatis viro?

Certe neque aliquot Ordines Equestres, neque Siciliae Praesides quidam, neque unus & alter Episcopus, Voto huic, ubi temeritate laboret, quidquam praesidii conferre poterunt. Fortassis etiam dubitare licet, num Ordines aliquot Equestres, aliique dum vovent, se Immaculatam Conceptionem tutaturos *usque ad mortem*, tutelam hanc polliceantur, dum vixerint, an sint suam vitam pro illa daturi. Quod postremum ubi statuas, restaret ut ensiferi illi viri armis correptis pro Conceptione duellum sive pugnam inirent, & adversarios necarent: quod Voti Sanguinarii reatum mirifice augeret. Certe fertur, eos putare munus suum ensem evaginare, si quando a quoquam audirent negari Immaculatam Deiparae Conceptionem. At *Roma*, inquit juvenis Theologus, *Voti istius conscia est, illudque tolerat, quamquam se contrarium credere fingat Lampridius*. Contra rerum periti norunt, nihil Sedi Apostolicae notum dici, nisi quod rite & juridice ad supremum

premum ejus Tribunal defertur. Si quando accidat, ut ad ejus Dicasterium controversia haec deferatur, tunc constabit, sitne Roma toleratura, an explosura hoc paucorum Votum, a quo abstinet Roma ipsa una cum tot aliis Religionis Catholicae Provinciis, immo & abstinent innumeri doctissimi ipsius juvenis Theologi sodales, qui non minori tamen Devotione, quam Siculi, Virginem Sanctissimam prosequuntur. Quanquam quid ajo? Pro Lampridio heic Sanctus Augustinus responsum dabit, dum inquit Epist. LV. olim CXIX. Cap. 19. *Ecclesia Dei inter multam paleam, multamque zizaniam constituta, multa tolerat: & tamen quae sunt contra Fidem, vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit.* Seu potius, uti habent plerique Codices manuscripti, testibus Benedictinis Sancti Mauri: *Et tamen quae sunt contra Fidem, nec Bonus approbat, nec tacet &c.* Jam vidisti concessum Lampridio a juvene Theologo *Boni viri* nomen; concedat ergo ei quoque opus est, ut vitiosum credens hoc Votum, *neque* illud *approbet, neque taceat.* Si fides postea eidem Theologo pag. 41. accommodanda est, antequam censuram Voti Lampridius iniret, consilium Sancti Bernardi in Epist. 174. ad Canonicos Lugdunenses amplecti debebat, hoc est: *Si sic videbatur, consulenda erat prius Apostolicae Sedis auctoritas.* Neque videt ingeniosus iste Theologus, non Lampridio praebendum fuisse consilium istud, sed quidem iis, qui primi Sanguinarium invexere Votum. Agebatur tunc, non jam de Festo aliquo instituendo, quod Probabilibus tantum de caussis institui potest; sed de profundenda, sive obliganda ad tormenta atque secures hominum Vita, & ad tolerandum Malum, quod omnium temporalium teterrimum est. Agebatur de Novitate Opinionis & moris, cujus vestigia nulla erant in tot praecedentibus Ecclesiae Saeculis, idest de morte subeunda pro tutela Opinionis, sive Sententiae, quae non solum Fidei, sed cujuscumque alterius Certitudinis genere caret. Decernere de Vita hominum estne res parvi momenti? Immo nihil majus in Religionis rebus praestari potest, quam Vitae nostrae Sacrificium. Hisce ergo Novatoribus consulenda erat Apostolica Sedes secundum Deuteronomii praeceptum: *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, venies ad Sacerdotes, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, qui indicabunt tibi judicii veritatem.* Secus agendo timendum eis erat, ne forte zizania pro tritico in Ecclesiae agros importarent. Sed ii a natis paulo antea quibusdam imposturis decepti, & nihil ultra sibi quaerendum rati, neglecta auctoritate Sedis Apostolicae, vitiosum peperere Votum; immo in eum finem pe-

perere, ut vel absque Sanctae Sedis decreto appareret, diremtam fuisse controversiam, simulque Sancta Sedes ad illam dirimendam adigeretur. Suis ergo consilia haec adhibeat juvenis Theologus, non Lampridio Theologos quosque imitanti, qui dum in Opiniones incurrunt, quas perversas putant, libero calamo illas insectantur, & quantum possunt proscribunt. Denique idem sibi suisque ante oculos statuat ejusdem Sancti Bernardi praecedentia verba in eadem Epistola: *Nulla ratione Virgini sanctissimae placebit contra ritum Ecclesiae praesumpta Novitas, mater Temeritatis, soror SUPERSTITIONIS, filia Levitatis.* Ubinam unquam Ecclesia probavit Vitae sacrificium pro tutela Opinionum? Si pro Novitate Festi Bernardus tantopere est indignatus, quid contra Novitatem Voti Sanguinarii non dixisset?

Lampridium male rationes inire, contendit juvenis Theologus pag. 42. quod quum singulari divinae Gratiae auxilio sit opus ad ineundum Martyrium pro Catholica Fide, promissum hoc a Deo auxilium sua Dogmata confitentibus coram Tyrannis, inquiat minime sperandum iis, qui vovent Votum Sanguinarium, quando Votum illud sine divinarum Literarum, aut Ecclesiae suffragio, immo saltem tacite contradicente Ecclesia, concipiunt. Nam inquit idem Theologus: *Dio non mancherà di fortificare colla sua Grazia, chi per una Virtù incontra la Morte; e massime per una Virtù, che abbia per base l'infallibilità della Chiesa nell'approvare una Sentenza, che a' Misteri della Religione appartenga.* Animadverte primo, quam aequivoca, & ad fallaciam composita sit assertio hominis scribentis, probatam fuisse ab Ecclesia Scotisticam Sententiam. Uti *Piam* tantummodo agnovit Apostolica Sedes Sententiam illam, hoc est in ea deprehendit tot lineamenta Probabilitatis, eamque Apparentiam Pietatis, ut illam tueri voce & scriptis liceat, ac secundum eamdem Sententiam laudabile sit celebrare Festum Conceptionis; nunquam vero illam uti Veram Certamve probavit. Secundo alteram aequivocationem habes in mentione heic facta *Infallibilitatis* Ecclesiae. Ea procul dubio falli nescia est, quum res statuit ad Doctrinam aut Disciplinam, quae a Revelatione Dei sive per sacras Literas, sive per legitimam Traditionem ad nos venit. In reliquis Infallibilitatem minime sibi tribuit, sed per Prudentiae & Sapientiae suae lumen eadem regit atque praescribit. Et re ipsa in laudanda uti Pia ac Probabili Scotistarum Sententia; in instituendo aut probando Festo secundum eamdem Sententiam: non Infallibilitatis suae privilegio usa est Sancta Sedes, sed quidem Prudentiae. Quod praecipue elucet ex reservato sibi jure de-

decidendi, Verane sit, an Falsa eadem Sententia, & ex Anathemate indicto audentibus contrariam Opinionem Erroris & Impietatis arguere, & dum indicens Festum neminem cogit ad illud celebrandum secundum unicam Scotistarum mentem. Succedit tertia aequivocatio praecedentibus longe gravior, & sub cujus umbra evadere se posse tandem confidunt, qui Sanguinario Voto sese obstringunt. *Pro Virtute*, sive *pro actu Virtutis nos Voventes moriemur*, ajunt. Quanto sophismate laboret hujusmodi effugium, paucis accipe, atque huc aciem mentis tuae plus quam antea convertas velim. Nollent agnoscere Theologi isti, dari *Pietatem Opinativam*, & quale inter eam, & *Pietatem Intrinsecam* discrimen intercedat. Sed meridiano Sole clarius est, aliam esse Pietatem, cujus objectum sit aliqua Certissima Veritas ad Fidei dogmata spectans; atque aliam, cujus objectum sit aliqua Opinio. Utraque profecto est Virtus, donec Prudentiam comitem habet, ac Prudenter se gerit; deficiente enim Prudentia, Virtutes omnes in Excessum ac Temeritatem damnabilem declinare possent. *Intrinseca* ipsa *Pietas* excessibus & Imprudentiae obnoxia est; sed quoties cum debitis circumstantiis Mortem potius eligit, quam negare quae ad Fidem spectant, Prudenter operatur; immo aliter agere prohibetur ex evidenti doctrina Evangelii & Ecclesiae; nos enim gravissimum a Deo Praeceptum de morte tunc subeunda habemus, gravissimumque Peccatum foret negare Fidei Dogmata. *Opinativa* vero *Pietas*, quandiu consistit in tuendis pio affectu, & voce, & calamo, quae in Probabili Pia Opinione versantur, laudanda Virtus est, quia Prudenter agit, sufficientibus nempe motivis ad id operandum adducta. Etiamsi in objecto suo falli possit, nullum tamen per hoc Praeceptum Dei violat, & nihil detrimenti ex eo Errore plerumque redundare potest in Ecclesiam. Verum ubi *Pietas* ista *Opinativa* eo progredi velit, ut Sanguinem & Vitam dare eligat pro ejusdem Opinionis tutela: in Excessum continuo rapitur, in Imprudentiam, in Temeritatem; & quae antea Virtus erat laudabilis, in Vitium convertitur, & vitiosa ac damnabilis Pietas esse incipit. Falsum est, Mortem heic eligi pro Pietate. Sophistica ars saltum hunc latentem a Veritate ad Pietatem, sive ad Virtutem, adinvenit. Illud verum tantummodo est, Pietatem Opinativam eam esse, quae temere & erronee pro tuenda Veritate Incerta, perperam ducta fallaci Persuasione de Certitudine illius, eligit ruere in mortem: quod omnino pugnat contra Prudentiae leges; neque enim morte nostra fieri unquam poterit Certum, quod Incertum est; simulque pugnat contra divinum Prae-

Praeceptum de Vitae nostrae custodia. Ac propterea qui pervicaciter illud violare vult, quanquam monitus de Incertitudine Objecti, & de fallacia Persuasionis: Temeritatis, Imprudentiae, & Peccati notam incurrat oportet. Neque huc trahendus *Honor Deiparae*, pro quo sibi persuadere possunt Piae Sententiae patroni, sibi licitum occumbere. Nam Opinativus est etiam hic *Honor*, & in Opinionem resolvitur. Quis enim Certum te facit, nisi Ecclesia hoc statuat, Deo olim placuisse, quod tu nunc ex solis conjecturis imaginaris, & Apparentiam duntaxat Veritatis, non Veritatem ipsam secum gerit? Illud tantummodo honorificum Virgini Sanctissimae fuisse censendum est, quod decreta divina voluerunt; neque profecto Dei Matris Honorem minuunt, quicunque illius *Sanctificationem* tantummodo credunt, & Ecclesia minime reclamante aliam a Scotistica Opinionem fovent. Dejecto igitur Sophismate supra decantato, ad quod veluti ad anchoram sacram confugiunt Voti Sanguinarii asseclae, jam tandem intelligis, ad ejusdem Voti Temeritatem damnandam nobis esse procedendum.

Aggrediamur nunc pauca, quae restant. Dixerat Lampridus pag. 117. *Si Martyrio sese offerre temere, & absque justa caussa, vel quum agitur de Veritatibus Fidei propugnandis, a Sanctis Patribus improbatur: quanto minus licebit pro Scotistica Opinione dumtaxat Pia?* Ut male compactum argumentum hoc ostendat juvenis Theologus, alterum ipse efformat, inquiens: *Non è lecito presentarsi senza giusto motivo ad un Tiranno per la difesa della Fede: dunque molto meno è lecito obbligarsi a morir per la Fede.* Neque perspicit ille, ideo licitum ac laudandum esse Votum de morte subeunda pro Fide, quia ipsius Fidei doctrina certos nos facit, futurum id Deo gratissimum. At quandonam Catholica Fides nos docuit, placere Deo sacrificium Vitae pro tutandis tantum Opinionibus? Immo fatentibus ipsis adversariis, pro Opinionibus occumbere velle flagitium est. Ad haec inter eas rationes, ob quas Sancti Patres Temeritatis arguebant sese ultro offerentes Tyranno atque suppliciis, non ultima illa fuit, ne Fideles contra divinum Praeceptum Vitam perderent, quum conservare possent. Tum solum ejus jactura ferenda est, quum Fidelem invadit necessitas aut abjurandae Fidei, aut Mortis tolerandae. Proinde hinc dicas, quanti conservationem Vitae facerent Sancti Patres, quando Tentationem Dei reputabant illam sponte in discrimen adducere, vel quum agebatur de testanda divinorum Dogmatum Veritate. Atqui ne nos quidem, inquit juvenis Theologus, pro Pia Sententia offeremus nos Tyranno, sed placide expectabimus minitantem nobis tormen-

men-

menta & postremum exitium. Neque considerat, multo vehementius detestaturos fuisse Sanctos Patres Sanguinarium Votum, quia per illud sine ulla necessitate obligant se Fideles ad dandam Vitam, quotiescumque Tyrannus eos ad deponendam credulitatem de Veritate aut Certitudine Piae Sententiae adigat. Nulla heic, inquam Necessitas, nullum Praeceptum de credenda ac tutanda hujusmodi Sententia, eoque minus de impendenda Vita pro illa. Et contra militat Praeceptum de non danda Vita, nisi quum necessitas urget Fidei tutandae, aut Virtutis Intrinsecae, sive ad Fidem spectantis, sive gravissimo Ecclesiae Praecepto commendatae, inter tormenta servandae caussa. Quid ii praeterea dicerent, animadvertentes destinari sacrificium Vitae non pro Dogmatis Fidei, sed pro adhuc Incerta Sententia, quod idem est ac dicere pro Opinione? Et quodnam quaeso praesidium a Deo sibi polliceri quisquam possit ad toleranda tormenta, mortemque subeundam pro Opinione, quando Tentatio Dei est habita vel ipsum offerre se Tyrannis sine necessitate, quanquam ageretur de tutela caelestis doctrinae? Si consectaria haec nequaquam discernit juvenis Theologus, aut se minime discernere fingit, non irascatur, si eum malae caussae patronum quisquam appellet. Reliqua vero, quae is adtexit in Epistola II. in contemtum praecipue Lampridii, utpote verba, nihil opus est recensere. Nulla pariter confutatione indigent, quae pauca is habet in Epistola III. summis tantum labiis prolata, de Sanctorum Patrum, aut veterum Theologorum locis ab eodem Lampridio memoratis, ad unice persuadendum, eximi non posse Deiparam a *Debito Peccati originalis*. Ne is quidem ejusmodi exemtionem disertis verbis tribuere audet Virgini Sanctissimae. Optasset tamen, ut quae Granadus & Salazar attulere ad ea loca interpretanda, Lampridius ad examen revocasset. Sed quum innumeri Theologi, & Salmaticenses in primis, ex iis & aliis locis *Debiti* ejusdem necessitatem concordi calculo deduxerint: terendumne erat tempus in re dilucida, & tot insignium Virorum suffragio probata? Praeterea quia Sanctus Augustinus non semel dixit *Solum Christum sine peccato Natum* esse, infert ex hac forma loquendi contendere quemquam posse, Deiparam quoque in peccato Natam fuisse. Haec ille, ignorare se fingens, interdum *Natum* pro *Concepto* accipi: quod ipse Augustinus, uti alias monuimus, ipsius Evangelii auctoritate confirmat, atque ipse Pater de Luca sincere confessus est.

Denique, ut alia nullius momenti omittam, consisto in postremis illius verbis, quibus Lampridium alloquitur: *Vi ricordo solo, che*

la

la gran Vergine Madre non è il Petrarca, sicchè ne' Pregi di Lei, e sul suo Culto possiate far da Censore con quella libertà soverchia, con cui scherzaste su i Sonetti del primo. Quantum a Petrarcha differat Virgo Sanctissima, quis nisi demens ignorat? Quis sine injuria memorem tanti discriminis Lampridium faciat? Quod tamen in primis dolendum est, non videt juvenis Theologus, se nihil aliud agere sophisticis hisce terriculamentis, quam irretire incautam gentem, & sub umbra Pietatis patrocinium suscipere cujuslibet Erroris & Excessus, qui in veram Christiani Populi Pietatem irrepere possit? Ad Lampridium quod attinet, is cuncta Deiparae vera privilegia, & minime dubias praerogativas veneratur, laudat, depraedicat. Ipsam quoque Scotisticam Sententiam Piam, Probabilemque ubique agnoscit, concors in hoc cum Apostolica Sede, quae hoc unum in ea agnoscit. Culpandumne quisquam eum dicat, qui cum Sancta Sede Magistra nostra sentit? Fortasse juvenis Theologus praeterea exigit a Lampridio, ut Certam quoque credat eandem sententiam, & licitum pro ea sacrificium Vitae appellet? Verum non hoc docet, non istud credit Apostolica Sedes; & ubi solida sint Lampridii argumenta non sacrificium Deo & Virgini gratum, sed superstitionem Deo ac Virgini prorsus invisam in eo Voto fateri opus est. Decipit ergo se ipsum, & alios Theologus iste, dum venditat, Censuram Lampridii adversus Virginis Honorem ferri, quum unusquisque intelligat, ab ejus argumentis unum impeti Votum Sanguinarium super somniata *Certitudine* Sententiae fundatum, hoc est perniciosum consilium prodigendae Vitae pro tutela Opinionis illius; ac proinde non laedi quidquam de veris Deiparae ornamentis, sed quidem duntaxat incusari nimiam voventium confidentiam, Novitatem atque Excessum. Uti toties diximus, non laedunt Honorem Virginis, qui eam tantummodo in Conceptione *Sanctificatam* credunt. Si laederent, jam improbati, jam damnati ab Ecclesia fuissent. Quanto autem innocentior Lampridius, qui minime negat, quin Deipara fuerit a macula Immunis, & hoc unum contendit, nihil Certitudinis in Pia Sententia deprehendi, ut a Voto temere suscepto Fideles avertat? Quamobrem monendus iterum est juvenis Theologus, non esse statuendam Religionem *in Phantasmatibus nostris*, uti Sanctus Augustinus ajebat, & declinare posse ex hominum vitio sive defectu Pietatem ipsam in Anomalias & Excessus non paucos, quos indicare & refellere in Dei gloriam, & decus Ecclesiae redundat. Atque utinam naevos ejusmodi nunquam offenderemus in

scri-

ſcriptis, in Panegyricis Orationibus Virginis & Sanctorum, aut in aliis Chriſtianae plebis uſibus. Dicat iſte Cenſor: ſuntne iſta ferenda, laudanda, an potius improbanda, & ſi fieri poteſt eradicanda? Si eum audimus, invidia creanda eſt ejuſmodi Cenſoribus, quod Deiparae, quod Sanctorum gloriae & Honori aut invideant, aut adverſentur, quanquam exploratum ſit, non contra Sanctos, ſed contra corruptores Pietatis ſit bellum. At qui ſapienter judicant, qui veram Pietatem diſcernunt, exercent, & docent, quales innumeros ipſius juvenis Theologi ſocios ego agnoſco atque ſuſpicio, eos bene mereri de Chriſtiana Republica fatentur, qui ejuſmodi Exceſſibus obſtant. Quid? quod vel ipſa ſacra Synodus Tridentina idem cupit atque ſummopere commendat. Nam poſtquam ſtatuit, quid credendum ſit de veneratione & invocatione Sanctorum Seſs. XXV. Cap. II. haec ſubdit: ***In has autem ſanctas & ſalutares obſervationes, ſi qui abuſus irrepſerint, eos Prorſus aboleri Sancta Synodus Vehementer Cupit; ita ut nullae falſi dogmatis imagines, & rudibus periculoſi erroris occaſionem praebentes, ſtatuantur.*** Abeant ergo deceptoriae juvenis Theologi querelae, & melioribus armis, ſi poteſt, pro Sanguinario ſuo Voto decertet. Non heic agitur (rurſus inclamare cogor) de Virginis Honore, cujus Certiſſima Merita ac Praerogativae, ut ajebat Sanctus Pius V. P. M. in Bulla *Super ſpecula*, ubi hac de re loquitur, *ne Angelica quidem lingua ſatis referri poſſunt*. Agitur de Vita hominum, re ſcilicet ſummi momenti, quam prodigere nemini unquam licebit, dum intra fines Opinionum Pia ſententia verſetur, ne forte pro Falſitate mors eligatur. Agitur de iis, qui ut idem Sanctus Pontifex ſubdit, ***Simplicium animos Indiſcretae Devotionis obtentu, vel potius loquacitatis & oſtentationis affectu***, ad Votum Imprudens, ad ſuperſtitioſum Sacrificium impellunt. Nullo labore, vultuque ridenti concipitur hodie hujuſmodi Votum a pleriſque, momenta controverſiae iſtius omnino ignorantibus, quia verbis tantummodo Vita, ideſt res tanta obligatur, nullo vel minimo metu promiſſa ſolvendi. Si Tyrannus adeſſet, ſi tormenta & ſecures inſtarent, tunc vel ipſum vulgus vim ſentiret Lampridianae Cenſurae, & nemo fortaſſe foret, qui vitium Voti, aut Ignorantiam non cauſſaretur, Vitaeque ſuae ex Praecepto Dei ſervandae, neque proiiciendae, ſollicitus non proſpiceret. At nunc, ne expectato quidem Tyranno, ad doctos viros pertinet, depoſito cujuſque factionis ſtudio, intime in hujus Voti viſcera penetrare, & quid de eo ſtatuendum ſit edicere. Si Certam, non fallaci Perſuaſione duntaxat, ſed re, praeſtare poſſumus Piam Sententiam,

tiam, victus est Lampridius. Si hoc deest, neque pro Pietate Opinativa, sive pro Opinionibus tutandis Vitam dare licet, Lampridius vicit. Judex interea erit Theologorum eorum chorus, qui nulli factioni nomen suum dedere; atque utinam Judicium hoc arriperet ipsamet Apostolica Sedes. Tunc eluceret, num in Lampridium, an in Voti Sanguinarii patronos, coniiciendum sit effatum hoc Senecae Lib. 2. Cap. 9. de Ira: *Inter cetera mortalitatis incommoda & hoc est, caligo mentium; nec tantum necessitas errandi, sed errorum amor.* Atque in haec verba desivit Romanus Abbas, quem tibi quoque, mi Azevede, loquentem exhibui. Vale

Neapoli VI. Id. Novembr. MDCCXLI.

Egregio, atque inter paucos amico viro Gregorio de Azevedo Valdesius Sal.

EPISTOLA OCTAVA.



RBITRATUS forte fueris, mi Azevede, respirasse aliquantisper Antonium Lampridium post tres Literas adversus eum scriptas, de quibus antea longum ad te sermonem habui. Sed aestuantibus nimium animis adversariorum, brevi spectandum heic se praebuit nova quaedam Epistola, ad eruditum Equitem scripta, ac Panormitanis typis edita. Auctor illius uno folio rem conficit, tamque gloriosum militem sese prodit, ut inflatis buccis edicat, *che per gittare a terra la gran macchina del Libro d'esso Lampridio, è più che sufficiente uno scarso foglio*. Felicissima profecto ingenia Siculum solum parit, & egregios Theologos; an autem inter eos numerandus sit Auctor Epistolae hujus, tute judicare poteris, ubi Epistolam ipsam legeris, cujus exemplum ad te mitto. Injucundum tamen fortasse tibi non erit rescire interea, quae egomet hac de re accepi a Messanensi quodam nobili amico meo, proxime praeterita aestate Panormi versato. Non postremus est ille in eruditionis amore, & quum controversia de Voto Sanguinario ferveret, enixe curavit, ut dignosceret, quae identidem ea de caussa Panormi accidissent. Is ergo mihi narravit, quam plurimos in ea Civitate pro Pia Sententia stare, quod sane laudandum; sed neque deesse Theologos a Voto Sanguinario alienos. Suppressa ibi, quoad fieri potuit, Lampridiani Libri exempla; verum

ex

ex quo innotuere varii clamores, diverſa judicia, hinc laudes clandeſtinae, inde irae in propatulo, & contumeliae in Lampridium erupere pro vario hominum ſtudio. In ſecretum ergo Conſilium coiere quadam die praecipui Voti hujus patroni, deliberaturi, quid heic agendum foret. Erant qui ſuavibus cachinnis Lampridii ineptias flocci facerent; prudentiores vero vultu ſerio, & continenti ſilentio, ſatis fatebantur, non tam facilem eſſe certamini eoque minus victoriae locum, neque contemnenda arma Lampridii. Poſt longam conſultationem itum in vota, atque ſtatutum, ut *P. Candidus Parthenotimus*, doctus ſane & veteranus Theologus, ſuam, communemque cauſſam novo Libro protegendam ſuſciperet. Interea vero ne animum deſponderent, aut defectionem inirent Voti fautores, viſum fuit, brevi aliquo Libello Italice ſcripto contineri poſſe vulgus in fide, ſi in ſuſpicionem vitiatae Religionis adduceretur Lampridii nomen. Janſenianis erroribus infectum appellare in promptu erat, conſueto jandiu dicterio in quemlibet ſibi quacunque de cauſſa adverſantem. Is Honori Deiparae infenſus, is adverſus illius Cultum blaterans. Per plateas, per compita notam hanc inurere Lampridio, certus gradus videbatur ad omnem ei fidem abrogandam. Forte illuſtris quidam & eruditus inter Primores Meſſanenſes per eos dies Literas dederat ad unum ex Panormitanis commilitonibus, petens, quid de Lampridii Libro ſentiendum foret. Viſi ſunt Superi occaſionem hanc obtuliſſe, qua poſſet Panormitanus in reſcribendo probra quae vellet coniicere in Lampridium. Jamque formidanda Epiſtola ad proelum parata erat, atque imminentem ignem expectabat Bomba ſupra mortarium impoſita: quum ad aures illius Scriptoris quidam accedens: Nondumne, ait, accepiſti, alienum adeo a Janſenii caſtris eſſe Lampridium, ut etiam adverſus illum militaverit, ac Libros *Leſcii Crondermi*, hoc eſt D. Celſi Cerri Abbatis Canonicorum Regularium Salvatoris, & *Franciſci Dirayſii*, adverſus Janſenium exaratos, in lucem ediderit, ſatis longa Praefatione ſua exornatos? Riſum vel a ſeverioribus excutias, ubi foedus cum Janſeniſtis Lampridio obiicere audeas. Ad hanc vocem ſoluta eſt machina, animique converſi ad aliam fraudem concinnandam.

Itaque utile rurſus cenſuerunt ſpargere in vulgus, Lampridium pro *Theologo* minime habendum, eumque ne in limen quidem Theologiae unquam penetraſſe. Nullam propterea imperito homini, & manus in alienam meſſem temere immittenti, fidem eſſe habendam; auſcultandos heic tantummodo veros & doctiſſimos Siciliae Theolo-

gos, quorum eſt in rebus ad Religionem ſpectantibus erudire Populos, non corvum inter olores crocitare auſum. Omnium ſuffragium tulit conſilium iſtud, atque ad illud complendum feſtinabatur, quum prudens unus e ſociis ſuperveniens, & quid agitatum fuerat audiens: Conſectaria, inquit, conſilii hujus attentius quaeſo conſiderate. Si forte contingeret (quod tamen vix crederem) ut in iſto agone pars noſtra ſuccumberet, nonne in majus noſtrum, noſtraeque Scientiae dedecus illius victoria verteretur, quando a non Theologo nos Theologi vinceremur? Itaque praeſtat id nominis ei minime negare; conatus vero omnis futurus eſt in deiiciendis, & ſi quiſquam etiam mavult, in irridendis illius argumentis: a quo tamen poſtremo, ſi me auditis, abſtinendum quoque erit, quum honeſtior ſemper pugnandi ratio ſit eligenda. Tum addidit: Exciditne vobis e mente, quod hoc ipſo anno nuntiatum nobis eſt de celebri controverſia, an cum uſu carnium Jejunium conjungi poſſet, ſive conjungendum a non aegrotantibus foret? Iſtam quidem Mantegatius Placentinus excitavit, at in ea quoque noveritis immixtum fuiſſe Lampridium, cujus Votum pro Mantegatii ſententia prodiit. Ambos virulento ſcripto nonnulli Theologi exceperunt, atque inter alia a Lampridio *Theologi* nomen abjudicarunt. Acrius deinde invaluit proelium ſuccreſcentibus hinc inde copiis. Sed arma ceſſere, poſtquam Sanctiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV. ſumma ſapientia, ſummo zelo atque doctrina, ſententiam Probabiliorem, quae Mantegatii & Lampridii fuit, ineluctabili ſuo Decreto firmavit. Hinc diſcite. Theologum facit non nomen, non veſtis, ſed quidem accurata veri inquiſitio, & pondus rationum. Et ſane ridendi ſunt, ſi qui ſunt, apud quos nihil eſt niſi larva Theologi, quicumque non fuit *Baccalaureus*, *Licentiatus*, *Doctoratus*, *Magiſter*, *Lector*, *Exlector*, aut *admodum Reverendus Definitor;* ſive quicumque ad omnem diſputationem adhibere non noverit formidandas illas voces *Formaliter*, *Tranſcendentaliter*, *Virtualiter*, *Certitudinaliter &c.* & promtus non ſit ad quamlibet Quaeſtionem, propoſita poena confitendi ſeſe indoctum, & nullius pretii hominem, niſi eam magiſtraliter dirimat. Longe quaeſo abeamus nos ab hujuſmodi ludibriis; atque his dictis conticuit. Nova igitur ab iis deliberatio habita, atque omnium vox fuit, traducendum eſſe Lampridium uti hominum anathemate perculſum. Saltem credulae plebi horrorem incutiet hujuſmodi fragor, exciderque una cum Libro nimis invaleſcens fama Lampridianae Cenſurae. Tradita actutum typis Epiſtola, ſparſaque per Panormum illius exempla, e quibus etiam

etiam non pauca ad praelaudatum Magnatem missa fuere, ut Messanensium quoque Civium animos in foedere confirmaret. Quod profecto mirabere, ajebat Messanensis amicus, tantum absuit, ut Epistola haec in Voti Sanguinarii tutela Magnatem ipsum, & complures alios antea vacillantes continuerit, ut eos in contrariam sententiam potius impulerit. Eventus hujus testem habeo ipsius eximii viri Responsum ad Epistolae Auctorem, cujus exemplum post multas preces ab eodem impetravi. Ego heic enixe rogare Romanum amicum, ut ejus legendi copiam mihi faceret. Quum is postero die Responsum illud ad me misisset, rapido calamo omnia descripsi, & nunc ex Italico in Latinum sermonem a me conversa, tibi quoque, mi Azevede, legenda exibeo.

EPISTOLA.

Illustrissimi P. de A. ad Patrem I. P. &c.

ADmodum Reverende Pater, Domine semper colende. Epistolam Reverentiae vestrae, & eam quidem publicis typis vulgatam, non dicam legi, sed singulari aviditate voravi. Quippe quale tuum foret de audaci consilio Lampridii peremtorium judicium, jamdiu anxie rescire cupiebam. An tua adversus illum argumenta bene intellexerim, fortasse dubitare queam; dubitandum tamen minime videtur, quin is dejectus, prostratusque sit, quando tu, cujus ingenium & doctrinam semper miratus fui, omnimodam victoriam tam brevi certamine tibi tribuis. Atque utinam hoc idem meis quoque Civibus persuadere hactenus potuissem. Nam uti contrariis studiis, ac non levi tumultu exceptus heic primo fuit Lampridii Liber, ita & ingentem pulverem excitavit ipsamet Epistola Reverentiae vestrae. Quod gravius est, atque ego in primis doleo, eidem Epistolae infestos sensi non solum adversarios vestros, sed & non paucos Voto vestro antea consentientes. Quorum censuras, cum circumferantur per ora multorum, meum puto ad te referre, ut quid eis reponendum sit, significare mihi quamprimum possis.

Inquis pag. 2. *Le assicuro, che il Signor Lampridio è incorso nelle Scomuniche fulminate dalla Chiesa, contro coloro, che ardiscono scrivendo d'impugnare l'Immacolata Concezione.* Quam in rem eadem Alexandrinae Bullae verba, quae Lampridius attulerat, tu quoque refricas. *Le assicuro?* ajunt. Ad hujusmodi vocem quis non solvatur

in risum? Immo in iram. Et ubinam in Immaculatam Conceptionem pugnavit Lampridius? Scotisticam ille Sententiam passim laudat, passim Piam ac Probabilem fatetur. Nihil amplius quam hoc a nobis hactenus exegit Ecclesia Romana. Is unice prosilit in *Certitudinem*, quam nemo ferme Veterum noverat, & Saeculo tantum proxime praeterito affingere quidam coeperunt eidem Sententiae, spuriis monumentis nempe decepti, ut incautam indoctamque gentem ad Votum de obligando Sanguine allicerent. Certitudinem hanc in ea Sententia nunquam agnovere summi Pontifices, eoque minus probarunt exstructum super fluxa haec fundamenta tanti momenti Votum, quod minime ferendum compluribus argumentis Lampridius ostendit. Itaque ajunt: imponit atque illudit Panormitano Populo hujus Epistolae Auctor, dum contra totius Italiae judicium anathemata obiicit Lampridio, qui morigerum ubique se praebet Sedis Apostolicae decretis, immo pro ipsius decore ac tutela in aciem venit. Nimirum ille iis tantummodo diem dicit, qui favoribus ejusdem Sanctae Sedis abutentes, & silentio adversariis indicto freti, nihil non sunt ausi; & Fidei Veritatibus Probabilem tantummodo Sententiam parem faciente, contra mandatum Dei vitas mortalium in teterrimum discrimen adducunt. Panormitanis autem expendendum relinquitur, an hocce hominum genus unquam audierint in privatis colloquiis, atque ex ipso sacro suggesto *Haeresis* & *Impietatis* non Lampridium duntaxat arguere, sed & cunctos illos, qui aut Piam non amplectuntur Sententiam, aut Sanguinis pro ea Votum exhorrent. Si hoc verum est, ii quidem in Censuras illapsi sunt, non vero Lampridius, qui nihil a mente summorum Pontificum recedit. Gravior praeterea Messanensibus illusio videtur, immo calumniam appellare non verentur, quod Reverentia vestra subdit, inquiens: *Così vedrà V. S. Illustriss. che il Lampridio si scaglia contra un tal Voto per raffreddare il Culto di Maria Santissima, per mostrare il suo mal talento contro il singolare Privilegio della nostra Signora, e per tirare i suoi seguaci nelle medesime Scomuniche.* Non Lampridium, ajunt, unum hujusmodi maledicentia ferit. Ecquando enim nisi per summum nefas *Frigidi* appellentur in Devotione erga Deiparam, atque in ejus Cultu, qui *Praeservationem* illius non credunt, aut credentes, a Voto tamen vitae pro ea dandae abstinent, sive abhorrent? Plerasque Catholicorum Provincias, innumeros etiam Panormitani Theologi sodales per Catholicum orbem sparsos videas ab eodem Voto abstinentes. Caecus sit oportet, si quis in iis aut Devotionis defectum, aut odium

somniet

somniet adverſus Privilegium Virginis, & anathemata quoque eildem ob hanc ipſam cauſſam quodammodo minetur. Neque ferendum ajunt, appellare Praeſervationem *Singulare Privilegium* Deiparae. Sancti Patres ejuſmodi Privilegium uti *ſingulare* venerati ſunt in Chriſto Domino. Improprie ergo hoc transferatur in Virginem, & hominis Theologi erat accuratius loqui.

Quod poſtea pergit dicere pag. 4. & ſequ. Reverentia veſtra, non Meſſanenſes complures tantum, ſed fateor, memetipſum in graves anguſtias conjecit. Ex quo Alexander VII. uti *Piam* agnovit Scotiſtarum Sententiam, vos contenditis, impoſitam cuicumque Fidelium ſub poena gravis Peccati obligationem non ſolum ore fatendi, ſed corde etiam credendi Piam hujuſmodi Sententiam, immo & vitae in quibuſdam circumſtantiis dandae, ne aſſeratur: *Sententia haec minime Pia eſt*. Addis, uti Martyres glorioſam mortem ſubierunt, ne dicerent: *Falſus eſt hic Articulus Fidei:* ita qui ſub rigido Eccleſiae Praecepto cogitur credere ac fateri *Piam* Praeſervationem Mariae Sanctiſſimae, obſtrictus quoque eſt ad eam ſuo Sanguine tutandam; ac propterea (quod oblitus eſt dicere) is pro Martyre habendus erit, ſi vitam ſuam pro hac tutela impendat. Nova haec omnino viſa eſt Meſſanenſibus Theologia; neque enim quiſquam hactenus arbitratus fuerat, pro tutela Scotiſticae Sententiae Sanguinem ſibi eſſe fundendum. Quid illi reſpondeant, accipe. Quanquam liquidum ii minime putent, an Apoſtolica Sedes adigere voluerit ad credendam *Piam* in cordibus ſuis Scotiſticam Sententiam eos, qui contrariae adhaerent, ſuamque tantummodo veram putant: diſputatione tamen iſta nunc abſtinentes, illud negare in preſentia nolunt. At quid inde? Num Sancta Sedes unquam docuit, aut indicare voluit, Sanguinem quoque pro ejus Sententiae quamquam Piae tutela eſſe fundendum? Tu ex Alexandrina Bulla id conſequi tibi perſuades. Contra illi contrarium uti evidens ſtatuunt, teque in cogitationibus tuis evaneſcere audacter ajunt, quod vim vocis *Pius*, & *Pie*, aut neſcis, aut diſſimulas. Quicunque dicit *Pie hoc credo*, *Pia eſt haec ſententia:* continuo fatetur, ſe neſcire an illud ſit Verum, unamque agnoſcit in objecto illo *Apparentiam Veritatis*, & *Pietatis*, nullam vero Certitudinem. Petat nunc (ajunt Meſſanenſes) Panormitanus Theologus a Theologis, liceatne pro Opinionibus vitam expendere. Negant illi. Immo qui Piam Sententiam praefracte ad Fidei Dogmata referre volens, pro ea mortem ſubiret, uti Lampridius oſtendit Cap. VI. grave ſaltem Temeritatis peccatum incurreret ex ſententia Alphonſi de

de Castro, Vasquii, Suarii, & Theophili Raynaudi. Ergo liceat quidem voce & calamo tueri uti Piam, scilicet uti Probabilem, & Apparentia Pietatis & Veritatis praeditam Scotistarum Sententiam, non vero liceat tutelae Opinionis hujus vitam nostram devovere; id enim ab Ecclesiae mente ac sapientia quam longissime abest.

Cap. XVII. sui Libri opinatus fuerat Lampridius, eligendam potius esse mortem, quam asserere *Impiam* Scotisticam Sententiam, addideratque, *che questo non morirebbe giammai per la difesa del primo Istante Illibato di Maria*, *ma per ubbidire al Precetto di difenderlo:* tu post non unam irrisionem reponis: *Ascolti il Signor Lampridio la risposta alla sua piucchè puerile difficultà*, *la quale potrebbe ottenere*, *non dico da qualsivoglia Theologo di Sicilia*, *ma ancora dagli Scolari più inesperti Siciliani*. *Siccome si può dire con tutto rigore*, *che chi dà la vita per ubbidire al Precetto Ecclesiastico di digiunare*, *o d'ascoltare la Messa*, *muoja per il digiuno*, *o per il sacrifizio dell' Altare: così ancora può dirsi con tutta la proprietà*, *che chi si soggetta alla morte per ubbidire al Precetto di difendere come Pia l'esenzion della colpa della Madre di Dio*, *sparga il sangue in difesa della sua Purissima Concezione*. Veniam heic obsecro det mihi Reverentia vestra, ut ei significem, quid Messanenses heic evomuerint. Scilicet male esse Panormitanis, dum ejusmodi Consiliariis aut Magistris utuntur, qui vel ante pedes posita non vident, simulque in contemtum adducunt *quoslibet Siculos Theologos*, quasi ex eis nullus Lampridiani argumenti vim capiat, aut adeo miserabili ratione, simulque tam ridendo fastu, eludendam putet. Asserentes *Impiam*, sive *Haereticam* Scotistarum Sententiam Sixtus IV. Pontifex *Anathemate* perculit. Hinc deducebat Lampridius, minime parcendum vitae, si quando Christi Fidelis ad hoc asserendum cogeretur. Tunc autem, non pro tuenda Immaculata Conceptione, sed ut Pontificio mandato pareret, collum securibus praeberetur. *Plus quam puerile* effatum hoc appellat Reverentia vestra. Verum si gladio exerto ad mortem tibi inferendam quisquam paratus foret, nisi *Haeresis* sive *Impietatis* argueres *Thomistarum de Sanctificatione Virginis Opinionem:* nonne pari ratione mors potius foret eligenda, ne hoc diceres, quando idem Sixtus Papa *Anathema* promulgavit in audentes inurere hac nota Thomisticam illam Opinionem? Ubi tu in isto casu occumberes, dic rogo, num *pro Veritate aut Certitudine Thomisticae Opinionis* caderes, an tantummodo ne *mandatis Ecclesiae adversando peccares?* Ubinam ergo *puerilis Lampridii difficultas?* Quod ille asseruit, profecto & tu, ut arbi-

arbitror, assereres. Proinde ut vides, irrisiones in Lampridium adhibitae in venerabile caput tuum denique recidunt. Sed quoniam absurdum videtur, tam Scotistas quam Thomistas pro contrariis de eadem re Opinionibus ad mortem tolerandam impelli: Prudentis erit, uti Lampridius innuit, antea consulere Apostolicam Sedem, quae fortasse decernet, neutro in casu Vitam esse impendendam.

Deinde subdunt Messanenses, a te dici, *Che chi dà la vita per ubbidire al Precetto Ecclesiastico di digiunare, o d'ascoltare la Messa, muore pel Digiuno, o pel Sacrifizio dell'Altare*, ac ratione pari dici posse, *che chi si soggetta alla morte per ubbidire al Precetto di difendere come Pia l'esenzion della colpa della Madre di Dio, sparga il sangue in difesa della sua Purissima Concezione*. At isti ajunt, ejusmodi exemplis caussam, quam prae manibus habes, nihil juvari, immo potius profligari. Votum enim faciendi id quod Praecepto Ecclesiastico jam faciendum erat, ut in exemplis hisce evenit, ii quidem admittunt, & laudant; verum licere etiam Vitae sacrificium pro tuendis hisce Votis ii negant, secluso contemtu Religionis & Scandali. Vovisti jejunare, recurrentibus Feriis Quadragesimalibus, audire Sacrum die Festo, abstinere a carnibus Feria Sexta & Sabbato. Quotiescumque occurrat periculum Vitae sive ob aegritudinem, sive ob aliam justam caussam te invito natam, neque agatur de testanda bonitate operis illius contra negantem: tunc Ecclesiasticum Praeceptum, & Votum tuum cessat, atque implendum est tibi alterum Praeceptum servandae Vitae. Quei ergo, inquiunt, Panormitanus Theologus hisce exemplis utitur ad honestandum Votum suum? Sed fac etiam liceat dare Vitam pro tutela Jejunii, aut Missae audiendae, aut abstinendi a carnibus: dissimiles adhuc sunt casus, quia dissimile est Objectum. Ad Fidei Dogmata pertinet credere, Opera bona ac meritoria esse sacrum Jejunium, Sacrificio incruento adstare, a carnibus secundum Ecclesiae Praecepta abstinere. Qui proinde Vitam suam pro tutela hujusmodi Veritatum exponeret, pro Fidei doctrina moreretur. At in nostro casu Panormitanus ipse fatetur, ad Fidem non pertinere Sententiam de *Praeservatione* Virginis. Nos contra nuper ostendimus, *nullum esse Praeceptum* de defendenda Sanguine nostro ista Sententia, immo nefas esse pro tutela Opinionum, hoc est pro re adhuc Incerta, Vitam, cujus domini non sumus, expendere: quo ergo abeunt exempla a Panormitano producta? Et nihilominus haec ille pag. 7. addit: *Si adira il Signor Lampridio, grida, si dibatte nella sua Cattedra, e sta oramai per morire per la gran difficoltà, che sperimen-*

men-

menta in ascoltar questa a lui tanto disgustosa Dottrina. Putabamus, ajunt Messanenses, a Theologo nos erudiri. Ecce declamatorem pro Theologo offendimus, cujus nugae, & straminea argumenta an cuiquam terrorem aut anxietatem incutere possint, jam vidimus. Verum Panormitanus gloriabundus, suique securus (dicere pergunt Messanenses) ait: *Ma farò, voglia o non voglia, che la Confessi. Stimo, che un uomo tanto erudito, quanto egli è il Signor Antonio, sia ben pratico dell' Erudizione, che si contiene nel Breviario, quale FORSE ha ogni giorno alle mani. Apriamolo* &c. Tum adfert exemplum Sancti Joannis Nepomuceni, qui ne Sacramentalem Confessionem revelaret, mortem subeundo illustrem Martyrii Coronam est consequutus.

Nisi hinc discunt sapientes Panormitani (loquor Messanensium verbis) quam insidis patronis commendata sit causa Voti in controversiam adducti, dormiant necesse est. Vera Theologia *Detractionem* damnat, ut omnes norunt. Diversae proinde Theologiae Professor sit, qui nunc in re gravi detrahere non veretur Lampridio honestae famae viro, ac Sacerdoti, dum publico Libello *suspicionem non recitati Breviarii* adversus eum disseminat. Qui non sentit se heic prave agere, nil mirum; si neque animadvertat, se prave sentire in Sanguinario Voto tuendo. Sed quod est ad hanc injuriam, eum nos ad tribunal Dei dimittentes, potius consideremus, quid ille inferat ex Nepomuceni Martyris exemplo. Lampridium is provocat ad dicendum, cur Nepomucenus depraedicari non possit mortuus *pro Sacramentali silentio* (uti revera in Oratione de illo Ecclesia loquitur) sed tantummodo occisus, ut Praecepto obediret. Tum pomposam e Candidato suo Eloquentiam mutuatus, haec adjicit: *Metta fuori tutta la sua reconditissima Erudizione, rilegga tutte le Storie, a cui fece bellissime Prefazioni, se pur le lesse la prima volta* (hoc unum deerat ad sigillum immodicae confidentiae in Theologo isto deprehensae, quasi tot Historias manu exaratas, aut cum Codicibus manuscriptis conlatas, evulgare potuerit Lampridius, ac de eis agere in Praefationibus, & Notas interdum addere sine earum lectione) *citi Dottori, ricorra &c.* Sed quid ineptiis diutius immoramur? Hisce nihil aliud agitur, quam pugnis verberare aerem, quam decipere rudem popellum. Quae nunquam Lampridius negavit, is negata somniat. Quod revera Lampridius dixit, supra vidimus, & in ejus sententiam concedere Panormitanum quoque debere evicimus. Exemplum nunc repetamus Sancti Martyris Nepomuceni. Lex Dei & Naturae est, servandum esse Naturale, nedum Sacramentale sigillum, sive silentium; & quum id

tan-

tanti momenti sit, ut eo non servato in posterum discrimen adduceretur Sacramentalis Confessio: gravissimi Peccati reus propterea foret, qui illud violaret. Et qui contra ne illud violet, mortem tolerandam eligit, atque ad eligendam cogitur, pro certo Religionis principio, sive pro Virtute Intrinseca, & pro Lege Dei sui moriens, ad Coronam certissimam in Caelis evolat: Nihil heic simile cum Voto Sanguinis pro tutela Scotisticae Sententiae; & qui hoc imaginatur, vereor ne etiam possit imaginari.... sed os comprimo. An apud Deum vera sit haec Sententia, incertum est; neque Certam quisquam adhuc demonstravit. Et quanquam Probabiles rationes abundent, cur opinemur gratam ei esse tutelam hujusmodi Opinionis: deficiente tamen luce, quam sola Ecclesiae auctoritas praebere in hujusmodi casu potest, hac in re nulla Certitudine ducimur; liberumque est omnibus contrariae adhaerere Opinioni, atque aliter credere. Reliquum igitur est, ut qui pro Pia sententia mortem subire velit, non pro certa Lege Dei, non pro opere Virtutis ad Fidem spectantis, sed pro Sententia, quae non desinit esse Opinio, moreretur: quod nefas esse omnes fatentur. Si vero Panormitanus Theologus iterum objiciat Praeceptum, omnibus, ut ipse censet, commune, defendendi eandem Sententiam uti *Piam:* rursus respondetur, Praeceptum hoc falso supponi; & quando etiam daretur, intelligendum esse de defensione illius Probabilitatis voce & calamo, non vero Vitae nostrae jactura, uti sanctissime fit pro defendendis Articulis Fidei. Neque enim unquam Ecclesiae in mentem venit, dum nihil aliud agnoscit in ea Sententia nisi Apparentiam Veritatis & Pietatis, obligare quemquam ad dandam vitam pro re tam modica & incerta, qualis est eadem Apparentia. Immo eadem censenda est praecipere in casu tali, ut obtemperemus divino ac naturali Praecepto minime dubio servandae vitae in concursu Praecepti mere Ecclesiastici, si tamen heic ullum Ecclesiae Praeceptum est. Et sane (sit repetenti venia) praecipit Ecclesia, ut interdum jejunemus, abstineamus a carnibus, audiamus Sacrum, peccata confiteamur. Ubi cum hisce Praeceptis concurrat periculum Vitae, tunc illa Praecepta cessant, & implendum est Praeceptum Naturale de ejusdem Vitae conservatione; & qui praefracte mortem eligere vellet, ne ab implendis iis Praeceptis averteretur, dum absit contemtus Religionis & Scandalum, in reatum gravis Peccati incurreret. Tunc enim parvitas materiae unius Praecepti cedit gravitati materiae alterius Praecepti. Ita innumeros Sanctos, innumeras eorum Reliquias Pie credimus honorandas, & Pie ac prudenter re

ipsa honoramus, quibus etiam Apostolica Sedes, Cultum, Festum, ac Indulgentias largitur; nunquam tamen quisquam in animum induxit, pro hujusmodi Pietate Opinativa (neque enim Fidei Dogma est, hunc vel illum Sanctum, frui caelesti gloria; has aut illas Reliquias ad Sanctos illos pertinere) Sanguinem esse fundendum; immo qui funderet, imprudenter ageret, & pro Martyrio Superstitionem in Ecclesiam inveheret: Quare ludit ac illudit Panormitanus Theologus, dum demum decernit, Lampridium, atque universos Fideles obstrictos esse *a spargere il sangue in difesa dell' Immacolata Concezione; perchè ancor egli è obbligato ad ubbidire alla Chiesa, la quale Tutto ciò ci comanda*. Nos quoque demum decernimus (ita Messanenses ajebant) omnium maximam hanc esse Panormitani Theologi illusionem, qui incaute plebi venditat, ab Ecclesia ipsa praecipi Vitae sacrificium pro Pia Sententia, quasi Ecclesiae doctrina credenda non sit: nefas esse pro Opinionibus tutandis velle Vitae suae detrimentum pati; & quasi Panormitanus ipse confessus non fuerit, Sententiam Scotisticam ab Ecclesia commendari nobis duntaxat ut *Piam*, quod idem est ac dicere, sola Veritatis & Pietatis lineamenta in ipsa haberi, ipsamque adhuc intra pomoerium Opinionum concludi. Itaque nos pergemus agnoscere ut *Piam* Sententiam faventem Praeservationi Deiparae, ejusque Festum devote celebrabimus secundum Ecclesiae Romanae mentem: at piaculum reputabimus vovere vitam pro illa, Votumque Sanguinis a nonnullis conceptum irritum ac nullum censebimus: donec Sancta Sedes aliter credendum aut faciendum nos doceat. Ita Messanenses, quorum argumenta atque etiam verba audaciam fortassis spirantia, occultare Reverentiae vestrae religioni mihi duxissem.

Ad me vero quod attinet, ut sincere fatear, in hujusmodi quaestione valde titubantem me sentio; immo ignoscas velim dicenti, nisi meliora prodeant argumenta, defectionem meam a castris vestris brevi successuram. Etenim, ut mihi videtur, duplex Votum concipi potest. Alterum: *Ego voveo tueri usque ad Sanguinem Sententiam de Praeservatione Virginis uti Veram ac Certam*. Alterum: *Ego voveo tueri Sanguine meo Sententiam eamdem uti tantummodo Piam*. Adversus primum Votum praecipue militant Lampridii argumenta, quippe pro somniata *Certitudine* illud concipitur, & fallaci fundamento innititur. *Certitudinem* Piae Sententiae, utpote rem desperatam, ne tu quidem, ut suspicor, attingere, nedum demonstrare ausus es. Ergo primum Votum improbandum est, ipsum inquam Votum, quod Panor-

normitanum Capitulum, & Senatus concipere dicuntur, quum pro *Veritate* ejuſdem Sententiae in eo *Sanguis* voveatur, licet in primo exemplo ejuſdem Voti nulla ſit *Sanguinis* mentio. Supereſt igitur, ut Reverentia veſtra, quae hactenus tantummodo contendit, *Piam* eſſe appellandam Scotiſtarum Sententiam ad normam Alexandrinae Bullae: hortetur Cives ſuos ut alterum deinceps Votum amplectantur, voveantque, ſe Sanguine ſuo, teſtaturos, *Piam eſſe Sententiam de Praeſervatione Virginis*: qua occaſione, ut arbitror, vim vocis hujus unicuique Reverentia veſtra explicabit, ſcilicet eos Sanguine ſuo hoc unum teſtaturos, ſcilicet in ea *Sententia adinveniri dumtaxat Apparentiam Pietatis & Veritatis*. Sed ubi haec ſincere depraedicentur Populo, quis tam ſui oblitus ſit, ut pro re tali, qualis eſt Opinio, tormenta & ſecurim eligere velit, immo hoc nefas eſſe non ſentiat? Interea in eum duntaxat finem vos Votum Sanguinis ſuſcepiſſe videmini, ut orbi Chriſtiano, atque ipſi Romanae Eccleſiae, ſi fieri poteſt, perſuadeatis, *Veram* ac *Certam* eſſe Sententiam veſtram, non vero duntaxat *Piam*, ſive Probabilem: quae credulitas minime excludit, immo includit formidinem Falſi atque Erroris. Hoc autem facientes, dubitant nonnuli, an inſultare velitis eidem Sanctae Sedi, quaſi eadem non videat, quod perſpicacia veſtra tam aperte diſcernit.

Attamen ut apertius dignoſcat Reverentia veſtra, quam parum ſolide omnibus Chriſti Fidelibus, atque ipſi Lampridio obligatio tribui, ſive imponi, mihi credatur dandae Vitae, ne Pia negetur Scotiſtarum Sententia: dico, mihi & ceteris Fidelibus licere in conſpectu Tyranni dicere: *Ego credo ac teneo, glorioſam Virginem Mariam cum Originali peccato fuiſſe conceptam*, neque ob hoc nos fore *Peccati* reos. Si veſtra Reverentia id neget, meque peccaturum contendat, *grave Anathema* incurrit, indictum a Sixto IV. Alexandro VII. & Concilio Tridentino iis, *qui auſi fuerint aſſerere, contrariam Opinionem tenentes, videlicet glorioſam Virginem Mariam cum Originali peccato fuiſſe conceptam, Haereſis crimen, vel Peccatum incurrere mortale*. Ergo in cerebro tantum veſtro natum eſt Praeceptum de numquam negando, vel quum Tyrannus urgeat, *Piam* eſſe Sententiam veſtram: quum Eccleſia diſertis verbis edixerit, licere Fidelibus etiam credere, & conſequenter urgente mortis periculo, profiteri contrarium, ſcilicet Virginem revera contraxiſſe Originale Peccatum. Rurſus ex confeſſione veſtra habemus, non eſſe dandam vitam pro tutandis *Opinionibus*. At quid aliud eſt niſi *Opinio* id, quod *Pie* tan-

tum credimus? Tyranno igitur mortem minante, nisi abnegemus Piam Sententiam, ex una parte videmus, nullum esse Ecclesiae Praeceptum de ea tenenda sive credenda, & licere adhaerere contrariae; ex altera vero vigere Praeceptum divinum & naturale de custodienda Vita. Proinde in isto casu servanda est Vita, & parendum certo Dei mandato, non autem imaginario Ecclesiae Praecepto. Neque dicat Reverentia vestra, si id ego dicerem, peccarem, *Votum* videlicet a me conceptum violando, simulque mentiendo, quum corde credam, Veram ac Certam esse Deiparae Conceptionem ab omni labe immunem. Nam quod est ad *Votum*, uti concipere illud non licuit ad arbitrium vestrum, quia Vitae nostrae domini nos non sumus, & pro Opinionibus Vitam dare nefas est: ita vos ab eo re ipsa solutos agnoscere debetis. Ad *Persuasionem* vero quod attinet de Veritate & Certitudine Sententiae vestrae, nullam vobis illa justam excusationem praebebit. Quum enim de re summi momenti agatur, idest de adducenda in discrimen Hominum Vita, sollicito studio, ac pari sinceritate investigandum prius est, certisne an dubiis fundamentis, atque Imaginatione tantum Credulitas vestra nitatur. Ubinam vero sunt Certa haec documenta? Probabilia quidem adferuntur, sed hoc idem est ac dicere Dubia, & consequenter Certitudo in tenues auras resolvitur; & Prudentia, rectaque Ratio exigit, ut *Persuasio* vestra emendetur. Certitudo autem haec speranda profecto non est e confictis monumentis, non collocanda in *Phantasmatibus nostris*, sed petenda ab omnium Magistra Apostolicâ Sede, a qua ne vestra quidem Reverentia dicat respici uti Certam Piam Sententiam, quum meridiano Sole clarius sit, uti Incertam hactenus ab ipsa haberi. His autem positis, mihi videris, amantissime Pater (sit verbo venia) illusisse Panormitanis tuis, immo universis Christi Fidelibus, inauditam antea obligationem cuicumque imponendo Sanguinis vel sine Voto fundendi pro tuenda Immaculata Conceptione. Si bene rationes inibis, nullo negotio deprehendes, sophistico argumento te in re tanta usum fuisse, atque immerito postea in tui ingenii plausum erupisse, quasi uno folio integrum Lampridii Librum in nihilum redegeris. Avertat Deus a nobis conscientiarum Tyrannos. Si tamen imminerent: tunc nullo negotio omnes ad Lampridium deficerent. Sed num exspectandus Tyrannus, ut quid nobis agendum sit discamus? Haec ad te conscribenda habui, doctissime Vir, non inutilia forsitan nobis unice Veritatem quaerentibus. Interim ne quid de tuo erga me amore depereat, supplex rogo. Vale. Messanae III. Idus Octob. MDCCXLI.

Ha-

Habes, mi Azevede, quod spoponderam. Fertur brevi proditurum alterum Opus Parthenotimi de hoc ipso argumento. An melioribus quam antea ventis ille suam navigationem instituerit, incertum est adhuc. Certum interea mihi videtur, juste neminem posse irasci, quod ista hinc inde diligenti disputatione agitentur. In utilitatem quippe Christianae Reipublicae vergit, aut tolli abusus, si qui sunt, aut innoxia ostendi, quae censurae obnoxia ante videbantur. Quum vero agatur de eximenda purissima Ecclesiae doctrina ab infectione perniciosarum Opinionum; agatur etiam de Vita hominum, cui inter Bona terrae nullum par ostendas: nostra potissimum interest scire, liceatne an non obligare ac fundere Sanguinem pro Opinione, quamvis Pia, qualis adhuc non desinit esse Scotistica Sententia. Vale.

Neapoli IV. Kal. Decembr. MDCCXLI.

Doctissimo Azevedo suo Ferdinandus Valdesius S. P. D.

EPISTOLA NONA.

NONDUM extinctum est, immo vires majores in dies concipit bellum excitatum inter Theologos quosdam Siculos, & Lampridium, de Voto Sanguinario ad ravim usque contendentes. Novi quotidie erumpunt Libelli adversus ejusdem Voti Censorem, atque ante paucos dies delata ad me fuit Epistola Italica Lingua ad ipsum Lampridium scripta, & Panormi edita, Auctore personato viro *Petro Antonio Saguas*. Alterum illius exemplum tibi procuravi, & quam primum potero ad te mittam. Recensere tamen statui antea quae Abbatis Romani hoc de Opusculo sententia fuerit. Adivi ego Amicum illum, & continuo sciscitatus sum, num Epistolam legisset Panormitani Saguas. Utique, inquit, ante aliquot dies legi, ejusque examen suscepi; atque utinam nunquam opus fuisset legere. Ad Literarias namque controversias lubenter accurro, ea spe ductus, Veritatem ex agitatione & collisione Ingeniorum aliquando emersuram. At ubi certamen in postremam maledicentiam, & continuatas paene calumnias dilabitur, tunc ad nauseam stomachus meus commovetur, & misereor Veritatem periclitantem, dum conatus praecipuus ad denigrandam deprimendamque adversariorum personam declinat. An hujusmodi rationem pugnandi elege-

elegerit Saguas, tute, ut arbitror, animadverteris. Ego heic amicum rogare, ne me exoptantem Opusculi Panormitani examen, desereret. Non erat is eo die sui juris ob negotia quaedam sibi commendata; quare in posterum diem convenire rursus decrevimus. Sequenti mane tempestive me ad illum contuli, paratos inveni Libros, atque in haec verba dicere exorsus est Abbas. Sibi sumsit, ut vides, Panormitanus Saguas ostendere *Antonium Lampridium* discordem nimium fuisse a *Lamindo Pritanio*, Auctore Libri *del buon Gusto*, quamquam sub diverso hoc nomine unus homo lateat. Ne unum quidem verbum faciam ego de hujusmodi commento; neque enim Pritanius aliter unquam sensit quam Lampridius de Voto Sanguinario, & in una Panormitani phantasia somnium conceptum fuit de illorum discordia. Eoque lubentius ab his abstineo, quippe ad rem nostram nihil faciunt, neque hic verus Panormitani scopus est, sed quidem omnem movere lapidem, ut Lampridium Voti Censorem inscitiae, malae fidei, ac paene adversus Religionem Catholicam initae conjurationis arguat, atque dilaceret.

Primo is pag. *6.* ita Lampridium alloquitur: *Voleste voi nel Cap.* 24. *entrare a discutere la Quistione, se la Vergine fu esente, o no dal Debito di contrarre il Peccato Originale; e in esso non solo non ci date quelle notizie, ch'erano necessarie per capire il Punto della Quistione; ma in oltre ci mostrate di non aver voi quella Erudizione, che basti a capirlo.* Tum inflatis velis secum Lectorem deducit ad agnoscendum, dari Debitum *Proximum*, & Debitum *Remotum:* quae distinctio necessaria erat ad Quaestionem hanc intelligendam, postea subdens: *Io farei scommessa, che voi Maestro dell'Erudizione, Formatore delle Repubbliche Letterarie, e Moderator degl'Ingegni, non la sapevate?* Et quare? Quia nullam Distinctionis hujus mentionem Lampridius fecit. Ita ille, sed in ipso vestibulo Censurae suae Lectores manifesta fraude decipiens. Nunquam enim Lampridius agitandam ex professo suscepit Quaestionem, fueritne, an non, Deipara immunis a *Debito* contrahendae labis Originalis. En tibi Caput 24. ejus Libri. Is Historice tantummodo, ac paucis verbis tradit, quo tempore in Scholas penetraverit excogitata Immunitas a *Debito*, quum *Communi* calculo antea Theologi Piae Sententiae adhaerentes *Debitum* ipsum Deiparae tribuerent. Hoc satis Lampridio fuit, nihilque opus erat in Quaestionem hanc ultra inquirere. Alteram illusionem accipe. Cur heic e Magistrali Cathedra pompam faciat Theologus Saguas de Distinctione praedicta, frustra inquiras. Superstitionis argueat Lam-

pri-

pridius Cusentinorum Votum de danda Vita pro tutela Immunitatis Marianae a Debito Peccati. Non audet Saguas ejusmodi Votum probare, neque ullum ei patrocinium praebet. Rursus Lampridius post educta tot Patrum loca ad controversiam de Praeservatione Virginis spectantia, ait Cap. 25. arbitrari Scotistas, nihil ea loca officere Sententiae suae, dum in Deipara *Debitum* admittatur. Interpretationem hanc subinde minime impugnans, judicium de ea dimittit Apostolicae Sedi. Quid est ergo quod Saguas hanc invehit Distinctionem, *Debiti Remoti* & *Proximi*? Si forte pro Cusentinis tacite pugnare animus ei est, Lectores iterum fallit; nam Cusentini sine ulla Distinctione imperterrite *Sanguinem & Vitam* obligant, ut propugnent, Deiparam *in Conceptione sua non solum non contraxisse Peccatum Originale, sed ne ipsius quidem Debitum; quum transfundi nequeat infelix hereditas Adami in illam, quae ut Mater futura Verbi aeterni praevisa fuit in signo antecedenti Adamum:* quibus verbis tum *Remotum*, tum *Proximum* Debitum excludunt. Super hanc autem Opinionem, a praestantioribus Theologis improbatam, superstruentes Cusentini Votum suum Sanguinarium, quei a Superstitione excusandi sint, Saguas, ut puto, minime ostendet. Tertio illudit Lectoribus idem Theologus, dum contendit, Lampridio ignotam fuisse Distinctionem Debiti *Proximi* & *Remoti*, ut eum veluti indoctum traducat. Sed, uti vidimus, nullus erat huic Distinctioni locus in controversia. Ad haec quin probe conscius de ea foret Lampridius, nisi qui temere agat, negare nequit; Salmaticenses enim Theologi, scilicet Carmelitae Excalceati, qui accuratissime supra ceteros Quaestionem hanc de *Debito* Virginis pertractarunt, Tract. XIII. de Vitiis & Peccatis Disp. XV. Dub. III. uti *Communem & Veram* Sententiam statuunt: *Exceptionem Deiparae a Debito Culpae originalis, si detur, omnino praejudicaturam ejus Redemtioni*. Addunt etiam: *Haec Conclusio est nobis adeo certa, ut credamus esse de Fide, definitam per Zosimum Papam*. Praeterea Theologi iidem non solum memorant Distinctionem *Debiti Proximi* & *Remoti*, sed etiam solidissimis argumentis ostendunt, non sufficere Debitum *Remotum*, sed omnino admittendum in Virgine *Proximum*, praemature oppugnantes Panormitanum Theologum, qui pag. 10. censet, admisso tantum *Debito Remoto* explicari posse chorum Sanctorum Patrum, a quibus depraedicatur *unus Christus Dominus* expers maculae Originalis. Et male certe erit semper sacrae Theologiae, si quisquam credat, ratiunculis & distinctiunculis, ab uno hominum ingenio, sine ulla Patrum, veterumque Theologorum auctoritate excogitatis, manifesta

nifesta divinorum Librorum, sacraeque Traditionis monumenta posse eludi. Haec apud Salmaticenses legerat Lampridius; eós Cap. 24. & 25. praecipue laudaverat, uti istius *Debiti* assertores: & nihilominus tanta Panormitano Theologo fiducia est, ut praedictam inutilem alioqui Distinctionem ignotam Lampridio affirmet, nihil pensi habens, an Lectores fallat, sibi fidem habituros, dum ignorantiam Lampridio sine ulla justa caussa heic objiciat.

Ad quartam illusionem procedo. Pag. 11. ita Saguas Lampridium interrogat: *Qual necessità avevate per provare, che sia illecito il Voto di difendere sino col Sangue l'Immacolata Concezion della Vergine, d'impugnare l'Esenzione del Debito del Peccato con sedici pagine?* Quaenam necessitas? Equidem haec legens mirari satis nequeo, quei tam absona interrogatio homini docto exciderit. Etenim patet, atque ipse Saguas probe novit, numquam Lampridium in *Exemtionem a Debito* insurrexisse, ut illicitum ostenderet Siculorum Votum; sed tantummodo ut ostenderet, minime ferendum esse hunc alterum graviorem excessum, videlicet Cusentinorum Votum; a Siculis enim adoptata minime videtur eadem *Exemtio*, & contra a Cusentinis haec ita extollitur, ut pro ea Vitam se profusuros polliceantur. Sed progrediamur. Pag. 25. novum accusationis caput instituit Saguas. Usque ad Annum 1615. (scripserat Lampridius Cap. 24.) *omnes FERE, qui a macula Peccati originalis exemtam credidere Sanctissimam Christi Matrem, agnoscebant tamen, & fatebantur, illam nequaquam fuisse immunem a Debito ipsius Peccati.* Quid ad haec Panormitanus? *Lampridio non sa, che prima del 1615. alcun Autore sostenesse una tal Sentenza: dunque nessun Autore prima di tal Anno la sostenne.* Inquit etiam: *Voi qual ragione ci apportate per farci credere, che Debitum peccati originalis Veteres omnes* (& praetermittit illud *Fere*) *in Virgine agnovere?* Oculisne caret Theologus iste? Salmaticenses Theologos sui dicti testes locupletissimos adduxerat Lampridius; & nihilominus Saguas se hoc minime vidisse fingit. Deinde Lampridio insultat, quod neglexerit inquirere, quot Theologi ante Annum 1615. ab ejusmodi Debito Virginem exemerint, atque post enumeratos sexdecim Theologos, qui eamdem tradidere sententiam, Eruditionem in eo Censore desiderat. Sed quid opus erat ad intentionem & caussam Lampridii inquirere, quis ante illum Annum Debitum hoc a Virgine excluserit? Unum satis erat & fuit eidem, statuere, *Communem* ante illum Annum Theologorum fuisse sententiam, ab ejusmodi Debito eximi non potuisse Deiparam. Quam in rem si Lector cupit Theologorum

gorum immanem copiam, Salmaticenses supra laudatos in eadem Quaestione adeat, quos, ut dixi, idem Lampridius disertis verbis testes Conclusionis hujus appellavit pag. 201. Contra hanc Theologorum nubem adferat si quidquam potest Panormitanus Saguas. Heic autem sita est vis Lampridianae argumentationis contra Cusentinos; pauci enim a Saguas memorati, leviter in Quaestionem hanc ingressi, pro nihilo reputandi sunt prae ingenti agmine agnoscentium Debiti necessitatem. Habes heic Salmaticenses: an ita sese res habeat, perspice. Quod etiam mirere, ex sexdecim Auctoribus ab eo in hanc rem productis, excipiendi sunt *de Cusa*, *Catherinus*, *Viguerius*, *Salmeron*, *Turrianus*, *Angles*, *Barrada*, *Magallianes*, & *Justinianus*, uti Salmaticenses iidem jamdiu animadverterunt Tract. XII. Disp. V. §. 3. quippe *Debitum* hoc & ipsi agnoverunt. *Galatinus* quoque Librum de Arcan. Cathol. Verit. hisce verbis concludit: *Oppositam Opinionem Deus permisit, ut videretur, quantam gratiam Matri suae contulerat, eam a Peccato originali, quod naturaliter, nisi praeservata fuisset, contrahere Debebat, immunem atque immaculatam praeservando*. Eidem adjunge *Cornelium Mussum* super Cap. 4. ad Rom. quanquam & hunc suae sententiae Saguas adjunxerit. Perlege etiam Dominici Soto locum in Cap. V. ad Rom. pag. 150. edit. Antuerp. Anni 1550. Ibi ne syllaba quidem de exemtione a Debito. Immo is a Praeservatione admittenda se alienum sat prodit, quum contrariam Sententiam nequeant docti viri *publicitus prodere absque odio & invidia*. Ubinam ergo bona fides? Ineptis propterea accusationibus indulget heic Saguas; quas etiam ineptiores deprehendas, postquam animadverteris, nihil haec prodesse ad dealbandum Cusentinorum Votum, cujus tutelam fortassis arripuit Saguas; eoque minus spectant ad patrocinium Voti Siculi, quod, sive Debitum admittas, sive neges, ex aliis caussis improbandum Lampridius contendit. Attamen temperare sibi nequit Saguas, quin & pag. 87. in scaenam rursus eandem Quaestionem pertrahat, Lampridio sinceritatis defectum obiiciens, quod Catherinum memoret *Haeresis* postulantem Sententiam, quae a Virgine Debitum contrahendi peccatum excludit, & Suarium, Valentiam, Canisium, Becanum, Fabrum, Castropalaum, & Raynaudum tradat reputantes *Proximam errori*, aut *parum Probabilem* eandem Sententiam. Deinde post adducta nonnulla Scriptorum verba, quibus nulla inuritur huic Sententiae censura, rotundis verbis *Impostorem* Lampridium appellat, *quod auctoritates fingat, ut falsum tradat*.

Heu quo devenimus, quando pii viri sibi licitum putant tam opprobriosis nominibus, ac tam facile, onerare Proximum suum, idque sine legitima caussa; immo per patentem calumniam. Primo nullam auctoritatem finxit Lampridius, quia nullius verba adduxit. Haec ille tantum habet pag. 204. Eam (scilicet Opinionem excludentem a Virgine Debitum peccati) *Parum Tutam in Fide Cardinalis Bellarminus denuntiavit* (quod negare ausus non est Saguas) *& Proximam Errori*, *aut Parum Probabilem censuerunt Medina*, *Suarez*, *Vasquez*, *Valentia*, *Faber*, *Canisius*, *Becanus*, *Castropalaus*, *Theophilus*, *Raynaudus &c.* Secundo, quoniam Saguas hoc etiam exigit, auctoritates adferamus. Certe *Medina* eandem exemtionem a Debito damnavit. Vasquez vero Tom. 2. in 3. p. S. Thom. Quaest. 27. Art. 2. Disp. 115. Cap. 3. *Agamus*, ait, *ratione efficaci*, *& Catherinum Erroris convincamus*, *quod dixerit*, *B. Virginem neque in Adamo peccasse*, *neque Necessitatem contrahendi originale peccatum subiisse*. Porro *Suarez* Tom. 4. in 3. p. Disp. 2. Quaest. 1. pun. 2. haec habet: *RECTE Cajetanus in Opusc. de Concep. B. Virginis Cap. 3. affirmat*, *omnino esse Certum*, *quod B. Virgo contraxerit hoc Debitum incurrendi peccatum &c. neque posse hoc ipsum negari ABSQUE HAERESI*, *cum alioqui sequeretur &c.* Praetereo alia illius verba legenda in Tom. II. in 3. Quaest. 27. Art. 2. Disp. 3. Sect. 2. Quare vides, quam moderate scripserit Lampridius, qui quamquam posset censuram *Haeresis* derivare a Suario, mitiorem tamen ei, uti & Vasquio, sententiam tribuit: tam longe is abest ab Imposturis. At, inquit Saguas, alia Suarii verba sunt in 1. 2. Disp. 9. de Peccat. Sect. 4. num. 4. *Talis Opinio non potest Censura notari &c.* Verum Suarez ipse eandem Opinionem postea impugnat: quod satis est, ut ostendatur, ei *Parum Probabilem* visam fuisse. *Censurae* nomine intelligimus notare Opinionem uti Haereticam, Erroneam, Falsam; non vero uti *parum Probabilem*. Theologorum nullus sibi vitio vertit, quod sententia sua parum Probabilis dicatur. Praeterquamquod haec in Opusculo post mortem ejus edito leguntur, quibus fortasse non tanta est adjungenda fides, atque editis eo vivente. Certe Suarius in exordio Opusculi ejusdem fatetur, *numquam se eam Sententiam de Debito Virginis admittendo*, *putasse adeo Veram*, *ac hodie judico*. Denique in eodem Opusculo addit, *quemlibet Prudentem Theologum* (cum venia Patris Saguas) *& Dominae nostrae valde affectum*, *debere non inclinare ad illud extremum* (hoc est ad exemtionem a Debito) *quoniam ad honorem Virginis nihil refert*, *neque ejus*

Imma-

Immaculatae Conceptionis veritatem juvat, praebetque occasionem adversariis dicendi, non posse nos Immaculatam Conceptionem defendere, nisi declinando ad Opiniones vel Censura dignas, vel diminuentes Christi Redemtionem, vel saltem apparentiam talem habentes. Theophilus vero *Raynaudus* in Diptyc. Mar. Par. 2. pun. 2. n. 64. inter *ementitos Honores, quos Virgini circa materiam propositam affinxere nonnulli*, enumerat immunitatem a *Debito* peccandi, atque hoc *Furfur*, & *inane Virginis decus* appellat: quod postremum etiam *Faber* sensit. Quum vero singuli isti Auctores *Debitum* saltem Virgini tribuant, aut etiam contrariae Opinionis patronos impugnent (quod fateri coactus est Saguas) nonne licuit Lampridio scribere, eos reputasse *parum Probabilem* Opinionem eandem? Et ubinam Imposturae? Superest, ut aliquid & de *Catherino* dicamus. Is secundum Lampridium *Haeresis* postulavit excludentes *Debitum*. Saguas contra adfert locum, in quo is Virginem a Debito exemit. Pro Lampridio Theophilus Raynaudus responsum dabit. Nam is in Diptych. Marian. loco supra laudato haec verba Catherini refert ex ejus Lib. IV. contra Cajetanum §. *circa Tractatum. Quod Cajetanus declarat, quod esset Haereticus, si quis diceret, B. Virginem sic fuisse immunem ab originali peccato, ejusque reatibus, ut non solum non habuerit illud, sed nec Habere Debuerit secundum suae naturae conditionem, Verissimum est. Sed Nemo Catholicorum hoc defendit. Haec est enim positio nostra, quod B. Virgo, licet ut Adae filia Debuerit illud peccatum, & maculam, & iram Dei, & servitutem Diaboli & peccati contrahere: tamen praeveniente gratia Dei ex meritis Christi, ab eo peccato & reatibus ejus praeservata fuit.* Animadverte, quaeso, quid sua aetate Catherinus testaretur scribens: *Sed Nemo Catholicorum hoc defendit*, scilicet nemo docet, Immunem fuisse Beatissimam Virginem a Debito culpae originalis. Subdit deinde Raynaudus: *Manifeste heic Catherinus admittit in Virgine Debitum peccati originalis, & contrariam assertionem agnoscit Haereticam, nullique Catholico probatam. Nec contrarium sensit, & Debitum contrahendi peccatum originis removit a Virgine Lib. de Peccato orig. Cap. ultimo, ut passim refertur. Quin potius ibi §. Vide, diserte agnoscit in Virgine hoc Debitum: tametsi ait, quoad incursum actualem exemtam esse a pacto.* Ubinam ergo, bone Deus, Imposturae? Denique si Panormitano fides, *Gregorius de Valentia* Tom. 2. Disp. 6. q. 11. punct. 2. haec habet: *Cum haec utraque solutio bona sit, secunda mihi videtur esse melior. Quamquam juxta priorem solutionem quoque intelligi possit, B. Virginem fuisse Redemtam, hoc*

ipso quod a lege etiam exemta esset, quam alioqui in Adam praevaricata fuisset. Quid ibi Valentia velit, nihil mea nunc interest inquirere. Illud noris, in eodem ipso loco Valentiam in haec verba loqui: *Sive peccatum originis Virgo contraxerit, sive non, tamen hoc ex FIDE CERTISSIMUM, atque adeo extra controversiam est, illam incurrisse Necessitatem sive Debitum contrahendi peccatum originale quoniam fuit Adae filia, ut ceteri*. Hanc autem revera suam mentem fuisse, ex ejus Tom. 4. Disp. 2. q. 1. punct. 2. edisces, ubi ex professo de Sanctificatione B. Virginis disserit. Quod antequam aggrediatur, quaedam Certa praemittit, scribens inter alia: *Tertio est Certum, neque a Debito incurrendi peccatum originale fuisse B. Virginem liberatam; quandoquidem id Debitum annexum est carni humanae ordinaria via ex Adamo propagatae. Itaque RECTE Cajetanus in Opusculo de Concep. B. Virginis Cap. 3. affirmat, omnino esse Certum, quod B. Virgo contraxerit hoc Debitum incurrendi peccatum &c. neque posse hoc ipsum negari absque HAERESI, cum alioqui sequeretur, B. Virginem minime fuisse redemtam per Christum*. Ex his igitur habes, quantopere fallatur, aliosque fallat Panormitanus Saguas, immo & non levis flagitii sit apud Deum reus, dum Lampridium tam immerito *Impostoris* nomine sugillat, & *fingentem auctoritates* exhibet, idque publicis typis praestat, ut ei longe lateque infamiam conflet. Monendi praeterea sunt discipuli, quos idem Theologus imbuit Opinione de Immunitate Debiti, ut ab eo petant, cur *Salmaticenses Theologos* Quaestionis hujus omnium fortassis accuratissimos tractatores, suorumque dictorum vades a Lampridio adductos ne uno quidem verbo dignatus fuerit. Si hos legerent, continuo animadverterent, quae illi Tract. XIII. Disp. 15. Dub. 6. §. 2. num. 227. habent, ego vero heic exhibenda censeo. *Ex his*, ajunt, *manifeste deprehendes, Falso dixisse Jacobum Granados, praedictam Opinionem negantem Debitum Deiparae, attentis omnibus esse Probabiliorem, quam opposita; sicut etiam insulse, & sine fundamento a quibusdam junioribus spargi coeptum est, quod jam talis Opinio sit Communis. Quo pacto enim Probabilior, aut Communis dici potuit Opinio omni antiquitate destituta, Triginta Sanctorum Patrum stylo reprobata, aliorumque Centum Quadraginta Auctorum, cum antiquorum, tum juniorum calculo explosa, & inter Haereticas, vel Erroneas, aut gravi alia censura dignas, Duodecim, quos nunc dedimus, censoria virga rejecta: licet a paucis neotericis in tutela sit, qui nec rem plene examinarunt (immo plures eorum nullo praemisso examine) neque ad ita asserendum vero & firmo alicujus Patris testimo-*

testimonio, aut legitima ratione nituntur, ut ex solutione eorum, quae pro se afferunt, statim patebit? Num major censenda erit pro conciliando Probabilitate, vel Communi assensu, decem vel duodecim Theologorum, seu Concionatorum auctoritas (si tot praedictae Opinioni usque modo subscribunt) quam centum & quadraginta (omissis adbuc Patribus) neque minoris notae, neque inferioris classis, qui illam impugnant, & nostram sententiam tuentur? Denique si Saguas velitationibus hisce putat, se posse Cusentinorum Votum, (quod tamen nominare non audet) eripere Censurae: is fateatur necesse est, se nihili facere non solum tot ac tam insignes Theologos praecedentium Saeculorum, sed etiam tot Sanctos Patres, quos explicare Scotistae nesciunt, nisi admisso in Virgine Debito peccandi. Pergamus nunc.

Pag. 13. moleste fert Saguas, *Scotisticam* appellari a Lampridio Sententiam faventem Immaculatae Conceptioni, quod haec omnium fere Fidelium Sententia sit. Neque perspicere vult, id brevitatis caussa factum, atque ut eam *Thomisticae* opponeret. Ceterum plurimis in locis, atque ideo semper, illam uti *Piam*, *Probabilemque* Lampridius agnoscit, eique *favere Romanos Pontifices* fatetur: quod potissimum vide pag. 53. & sequ. Lampridium deinde Saguas incusat, quod in dubium revocaverit, sitne Objectum Festi de Conceptione *Sanctificatio, an Praeservatio, quando dalla Chiesa si ordina sotto Precetto il celebrarsi da Tutti la Festa e l'Ufizio secondo la Pia Sentenza.* Quam aliena sit à veritate suppositio Praecepti hujus, satis arbitror, me antea in aliis colloquiis demonstrasse, neque heic repetenda reor. Subinde in Lampridio Saguas criminatur *l'esporre con tanta gagliardia Tutti gli argomenti dell'Opinione contraria, da noi per altro saputi: e schierare con tanta ordinanza e Scritture, e Santi Padri, e dir, che i Dottori favorevoli alla Pia Sentenza non aliam conciliandi tolerabili aliqua ratione loca Scripturarum, Patrum, ac veterum Theologorum cum Sententia sua, nisi statuendo in Virgine Debitum Peccati Originalis &c. e poi soggiungnere: an autem sit haec mens Literarum sacrarum, & an sufficiat interpretatio ista ad rite explicanda tot loca Patrum, & veterum Theologorum, erit Apostolicae Sedis nos infallibili judicio edocere: il che è lasciar gli argomenti senza risposta.* Quisquis haec legit, in animum suum certe inducat, Lampridium composito agmine in Sententiam Piam insurrexisse, argumentaque adversus illam militantia insoluta reliquisse. Sed haec nihil aliud sunt, nisi exaggerationes merae, eaeque virulentae, aptissimae quidem ad subvertendum eorum judicium, qui Opusculum Lampridii nunquam lege-

legerunt, ſed injuſtae, uti judicabunt qui legerunt. Etenim ubinam, immo & tanta vi, *Omnia* Opinionis adverſae *Argumenta* ille in medium protulit? Ubinam tanto ordine divinas *Scripturas* in aciem eduxit, Piae Sententiae adverſantes? Loca erant indicanda, neque ſine tabulis inſtruenda erat atrox ejuſmodi accuſatio. Contra Lampridius Cap. 8. pag. 53. *Scotiſticam*, inquit, *Sententiam laudavi, iterum laudo, non uti Certam, ſed uti Probabilem ac Piam. Non enim deſunt graves conjecturae & congruentiae ad eam perſuadendam; & quamvis explicite non habeatur in Scripturis ſacris, neque in Sanctorum Patrum ſcriptis, implicite tamen contineri poſſe in iis videtur. Neque contrariam explicite habent divini Libri. Quod ſi Patrum ſententiae Immunitatem hanc a Deipara excludere videntur, curant ejuſmodi patroni, ut illorum dicta explicent, ſibique minime contraria oſtendant. Denique Piae huic Sententiae favent Romani Pontifices.* Similiter Cap. 16. pag. 122. ait: *Docente nos in primis Eccleſia Romana, ſcimus, Probabiles adeſſe rationes, propter quas Sententia haec non videtur hactenus adverſari Dogmatis Fidei, immo videtur conſonare cum ipſis, ita ut jure Pia appellanda ſit.* Ita Cap. 25. pag. 203. poſtquam dixit, a Thomiſticae Sententiae patronis opponi ex Apoſtolo: *Omnes in Adam peccaſſe*; Lampridius ſubdit: *At quum NON IMMERITO reſponderetur, non ita rigide accipiendas ſemper eſſe univerſales quaſdam Sacrae Scripturae propoſitiones, ut eximere ab eis quaedam particularia non liceat, ſi id ſuadeant rationes ab ipſa Scriptura legitime deductae &c.* Itaque Lectori imponitur, dum a Lampridio producta in medium divinorum Librorum loca dicuntur ad oppugnandam Scotiſticam Sententiam.

Cum veritate quidem conſentit, ab eo in aciem, atque ordinatim, educta fuiſſe complurium Sanctorum Patrum, ac veterum Theologorum loca Cap. 24. At quare? Num ad Piae Sententia perniciem? Apertiſſimum eſt Lampridii conſilium. Is, ut Opinionem eximentium Virginem a *Debito* contrahendi peccati originalis, nimis temere invectam in Scholas oſtenderet, Patrum arma adverſus illam exeruit. At quandoquidem eadem loca militare etiam videbantur in Piam Sententiam, rationem addidit, per quam illius patroni ſeſe ab iis expediunt, admiſſa nempe *Neceſſitate*, ſeu *Debito contrahendi peccatum*. Ergo perperam venditatur, *ſine reſponſione relinqui argumenta* Piae Sententiae contraria. Neque certe contra ſummorum Pontificum Bullas militat dicere; judicaturam aliquando, ſi velit, infallibili judicio de hujuſmodi interpretatione Sedem Apoſtolicam: immo ſecundum eorum mentem eſt, poſtquam de celebri iſta Quaeſtione in ſuis Bullis

ſummi

summi Pontifices judicium sibi hactenus reservarunt. Ceterum uti nunquam Eruditi prohibiti sunt in *Debitum* illud negantes arma convertere, ita neque Sanctorum Patrum armamentario in eosdem uti. Et quando omissum minime fuit, Lectorem monere de ratione adhibita a Piae Sententiae professoribus, ne illam inde laesam ostendant: quid ultra faciendum fuit? Progreditur Saguas in alias furentis animi exaggerationes pag. 19. Lampridium accusans, quasi is scripserit, a confictis in Hispania Historicis quibusdam; atque a spuriis Laminis Granatensibus *abbia l'origine l'universal Consentimento alla Pia Sentenza*. Proinde ait, a Lampridio censura impeti *numerum innumerabilem Doctorum*, eademque involvi (si Superis placet) ipsosmet Pontifices Gregorium XV. & Alexandrum VII. Sed quam sit interdum Veritatis deploranda conditio, quando in manus hominum defertur ira & odio exaestuantium, nunquam melius quam hinc ediscere poteris. Ubinam, quaeso, Lampridius in tam enormem, falsamque propositionem erupit? Lege Caput X. Libri ab eo compositi, ac desine mirari, si potes, quanta vertigine animi & oculorum haec pertractentur a Siculo Saguas. Agnoscit ibi Lampridius, non a fraudibus iis emersisse dignitatem Piae Sententiae, & favorem, quem ei impertiunt Romani Pontifices, atque innumeri doctissimi viri. Hoc unum ille contendit, ex Historiis, ac Laminis Granatensibus sub finem Saeculi XVII. confictis *persuasum multis, Dubitationem omnem de Veritate Sententiae Scotisticae sublatam fuisse*, factumque esse, *ut tam firmo assensu eidem adhaeserint Nonnulli, atque inter eos non pauci doctrina Theologica exculti*. Accipe nunc, quam disertis verbis mentem suam ibi Lampridius explicet: *Fraudes*, inquit, *figmenta, falsaeque interpretationes, quae sese in istam intrusere controversiam, Rationibusque Legitimis, quas Theologi melioris notae pro Immunitate Virginis attulere, & quas non solum Probabiles ac Pias agnovit, sed etiam intuitu pacis impugnandas vetuit Apostolica Sedes, sese addiderunt: in caussa fuere, cur Certitudinem, ignotam adhuc Romanae Ecclesiae, omnibusque rite Eruditis, Nonnulli sibi persuaserint se intueri in eadem Sententia*. Unde nata Probabilitas Piae Sententiae, diserte his indicat Lampridius. Extra se ergo nimium vagabatur Saguas, quum Lampridio tanta confidentia affinxit adeo temerarium, ejusque menti & confessioni contrarium effatum. Certe durum est concoquere debere, neque alte conqueri de abominanda hac pugnandi ratione; & praecipue quod is irridendo addere non vereatur: *Questo è l'argomento d'una Verità, che è base di tutto il vostro Libro*. Eritne unus, qui Lampridii Librum

brum

brum legerit, atque ibi invenerit ſcriptum, tantummodo poſt effoſſas Laminas Granatenſes *comincio a creſcere il numero de' Seguaci della Pia Sentenza?* Id unum Lampridius arripuit oſtendendum, ſcilicet poſt ea tempora invaluiſſe in Segovienſi, Abulenſi, & Toloſana Eccleſiis, *Traditionem publici Cultus Immaculatae Conceptionis* ab *Apoſtolorum* diſcipulis, aut a primis Eccleſiae Saeculis ad nos veniſſe. Inde natum *Votum Sanguinarium*, cujus prima origo creditur Anno 1618. in Segovienſi Eccleſia, unde poſtea penetravit in Siciliam Anno 1624. Nam quid ſibi non permiſſum licitumque putarent homines pii, qui tot figmenta incaute ſumentes pro minime dubiis Antiquitatis venerandae monumentis, ad tantam *Certitudinem* evectam fuiſſe Piam Sententiam ſunt arbitrati, ut pro ejus tutela Sanguinem vovere juſtum ac meritorium in poſterum foret? Hanc Veritatem, hanc Certitudinem eorum Vota ſonant, atque in primis Ducis Oſſunae Votum, quod Lampridius ſub finem Capitis XI. dedit. Nunquam ergo ſomniavit Lampridius, ex iis fraudibus exordium coepiſſe fundamenta Piae Sententiae, quam *Rationibus Legitimis* longe antea invectam Piamque & Probabilem, & a pleriſque Fidelium, atque ab ipſis ſummis Pontificibus laudatam confeſſus eſt. Inde ſolum erupit *Certitudo*, ſive *Perſuaſio* tantae *Certitudinis*, pro qua tutanda licitum *Nonnulli* cenſuerunt Sanguini ac vitae ſuae non parcere: quod antea nemo fuerat auſus. Inde etiam invaleſcere coepit exemtio Deiparae a *Debito* peccati originalis: quam Opinionem concors Theologorum Schola antea improbarat. Videndus in hanc rem eſt P. Joannes Perlinus Complutenſis Academiae Profeſſor in Apologia Scholaſtica pro magnae Matris ab Originali Debito Immunitate. Quamobrem judicabit tandem doctorum hominum Reſpublica, Lampridiuſne, an Saguas, mendacia diſſeminet, & Catholicorum mentes impoſturis in tranſverſum agat. Veniam heic popoſcit quieſcendi Romanus Abbas, atque in diem tertium convenire decrevimus, ut quae examinanda ſupererant reciperemus. Proinde amantiſſime Azevede, mihi erit alterius Epiſtolae occaſio, quam huic adnexam accipies. Vale.

Dile-

Dilectissimo Azevedo Ferdinandus Valdesius P. S.

EPISTOLA DECIMA.



URSUS convenimus Romanus Abbas, & ego, reliquum Epistolae a Saguas conscriptae ad trutinam revocaturi. Abbas tamen, antequam in examen invaderemus, ait: Ad unum fortasse certamen putas te hodie venisse; at noveris rem nobis in posterum futuram cum geminis commilitonibus; nam ante duos dies ad me delatus fuit novus *Parthenotimi* Liber adversus Lampridium. Tanta mihi erat ejus legendi aviditas, ut non ante cubili & somno me tradiderim, quin oculos ad umbilicum illius perduxerim. Ego heic. Quanquam prior in Lamindum Pritanium, sive Lampridium, copias Parthenotimus moverit, attamen ab eodem Lampridio deinde exagitatus, aequius quam ceteri in arenam iterum descendere potuit. Verum dic, rogo, num ille felicioribus quam antea armis pugnam instauraverit. Tum Romanus Abbas: Non est, ut nosti in quemquam praecipitanda sententia. Ad Lydium lapidem oportet exigere illius rationes & argumenta; facilisque deinde erit ad sententiam gressus. Sed quando tam Parthenotimus, quam Saguas, eamdem interdum accusationem instruunt in Lampridium, utrique & nos responsum dabimus. Pag. 38. Saguas, & Parthenotimus num. 247. ad Logicae Regulas advocant eumdem Lampridium, quod pag. 10. sui Libri ex Academiarum formulis spondentibus defensionem Immunitatis Deiparae, sed nulla Sanguinis quoque profundendi obligatione apposita, inferre voluerit, eas idcirco ab eo additamento abstinuisse quod germanae Pietatis metas transgredi sibi videretur, illam Sanguine quoque velle testari. Claudo pede procedere argumentationem hanc ostendunt, exemplo non uno adducto: quasi a controversiis eliminanda forent argumenta a Probabilitate deducta, & Lampridius pag. 141. Cap. XIX. sincere fassus non fuisset, se *justae Conjecturae* loco habere hujusmodi argumentationem. At quaerentibus nobis, an Sanguinarium Votum honeste liciteque concipi possit, occurrit statim immensum illud agmen Religiosorum aut Saecularium hominum, inter quos innumeri etiam ex celeberrimo piissimoque Instituto ipsius Parthenotimi, qui quamvis Piam Sententiam profiteantur,

aut etiam sese obligent juramento, vel Voto ad illam tuendam calamo ac voce; a Vita tamen pro illius tutela obliganda abstinent. Non ii certe in cultu & amore Immaculatae Conceptionis quidquam Siculis concedunt; & nihilominus non eo usque procedendum censent, ut pro ea Sententia Sanguinem suum vovere velint. Num doctiores, num ferventiores in Pietate erga Deiparam dicas paucos Siculos, & alios quosdam qui alibi Votum illud suscipiunt? Immerito hoc dicas. Non alia ergo verisimilior caussa potest excogitari, quam quod ii animadvertant, Piam Sententiam, pendente judicio Ecclesiae, carere adhuc firma illa Certitudine, quae necessaria est ad Vitam nostram rite ac laudabiliter impendendam pro tutela Veritatum ad Sanctam Religionem spectantium, & quod eam Sententiam Piam quidem & Probabilem habeant, nondum vero ab omni formidine falsi liberatam. An justa appellari possit hujusmodi Conjectura, atque an influxum habeat ad controversiam hanc dirimendam, non Parthenotimi, non Saguas, non meum judicium, sed hominum sine studio partium ista expendentium, attendas velim.

Pag. 45. Panormitanus Saguas divisionem refricat Certitudinis in *Moralem*, *Physicam*, & *Metaphysicam*, & dimissis postremis duabus, quas tribuerat Cardenas Piae Sententiae, in prima insistit, cujus exemplum profert, nempe *Julium Caesarem* Romanorum Imperatorem olim in vivis fuisse. Moralem ergo Certitudinem in eadem Pia Sententia deprehendi contendit, ex quo communis Fidelium Persuasio, Doctores celeberrimi, celebrioresque Academiae ipsi adhaerent, eique favet auctoritas Apostolicae Sedis. Verum huic Theologo respondeas velim, restare ei adhuc probandum, tot Academias, tot doctos viros ideo tutari Scotisticam Sententiam, ut de illius Veritate nulla amplius eis supersit dubitatio. Quod eam reputent Piam ac Probabilem, immo Thomistica Probabiliorem, libenter damus. Quod certam, non concedimus; adoptio enim Sententiarum in Scholis, ex majori Probabilitate plerumque, non vero a Certitudine procedit. Natalis Alexander Sorbonicus Doctor in Hist. Eccl. Saec. II. Diss. *16*. §. 21. haec ait: *Sententiam de Immaculata Deiparae Virginis Conceptione, non solum ut Probabilem & Piam, sed ut propriam Facultatis nostrae doctrinam propugnabimus, si de ea dicendi scribendive detur occasio. At contrariam Opinionem Falsam, Impiam, & Erroneam, Ecclesia prohibente, & sacra Facultate, quae suum Ecclesiae judicium subjicit & accommodat, probante, non dicemus.* Eumdem vide in Hist. Eccl. Saec. XV. Diss. VIII. n. 11. Quid reliquae Academiae, ceterique doctissimi

mi homines ſentiant, erit Panormitani Saguas oſtendere. At is pergit dicere, illam haberi *Certitudinem Moralem*, quae prudentem errandi Timorem excludit; nihili enim ſit Timor Imprudens huc irrepens. *E quale Articolo di Fede, o quale Evidenza abbiamo noi, che Giulio Ceſare fu nel Mondo? Dunque dobbiamo dubitarne prudentemente?* Ita ille, neque erubeſcit haec ſcribere. Utinam Piae Sententiae ea foret Certitudo Moralis, quae Julii Caeſaris exiſtentiae: nihil amplius de Controverſia hac ſupereſſet diſputatio. Coaevos Scriptores, innumera Monumenta habemus, quae Imperatoris illius vitam & facta evincunt, & neminem dabis negantem, quin is olim vixerit. At quod eſt ad Factum Conceptionis Virgineae, neque divinae Scripturae, neque Sancti Patres priorum ſex Saeculorum, qui rem noviſſe potuerunt, quidquam de hoc habent; immo id potius negaſſe videntur: quod etiam expreſſe factum videmus ab antiquis Theologis. Quis ergo niſi praecipitis judicii Scriptor aequare audeat Piam Sententiam exſiſtentiae Julii Caeſaris? Quid niſi affectibus obcaecatus negare, quin Prudens Timor ſuperſit, ne Morali Certitudine careat Virginis Sanctiſſimae Praeſervatio? Quod plus eſt, Romana ipſa Eccleſia, Mater ac Magiſtra noſtra, Certitudinem hanc minime deprehendit, dum Piam tantummodo agnoſcit, ac Probabilem, ſibique eodem tempore judicium de Veritate ejuſdem Sententiae reſervat, & contrariae ſuum locum relinquit. Annon ergo juſtus & prudens Timor ſuperſit? Nihil autem opus eſt terere tempus in perpendendis Logicalibus argutiis, in quas exſpatiatur ingenioſus Saguas, ſe demonſtrare poſſe arbitratus, apud Academias, doctoſque viros *Certam* eſſe Scotiſticam Sententiam. Quum nulla Academia, nulluſque Catholicorum Doctorum excogitari poſſit, qui hac in re, uti ratio ſuadet, ſuum judicium non accommodet judicio Sedis Apoſtolicae in iis, quae eadem hactenus decrevit, decreturaque in poſterum ſit: fruſtra ingenium ſuum torquet idem Saguas in obtrudenda nobis Certitudine ejuſdem Sententiae. Frequens ipſa formula Voventium, ſe videlicet polliceri tutelam Piae Sententiae *juxta ſummorum Pontificum Decreta edita, vel edenda*, quae illorum ſit mens morigera ſummis Pontificibus, ſat prodit. At pag. 58. Parthenotimus inſiſtit adhuc, ex Alexandri VII. Bulla deduci, non ſolum *Piam* ac *Probabilem*, ſed *Moraliter Certam* evaſiſſe Scotiſtarum Sententiam, quum ibi dicantur *ad eam acceſſiſſe celebriores Academiae, & jam fere omnes Catholici eam complectantur:* ad quod eadem ſemper recurrit reſponſio, nempe eaſdem Academias nihil aliud ſentire, niſi quod Romani Pontifices, atque ipſe Alexander VII. ſen-

fere, scilicet agnovisse eos quidem, & agnoscere Piam Sententiam Probabilem, & si mavis, altera Probabiliorem, sed nunquam Moraliter Certam. Nam si postremum hoc visum tandem fuisset Romanae Ecclesiae; cur a duobus & ultra Saeculis controversiam hanc adhuc indecisam reliquisset? Cur nunquam contrariam Opinionem aliqua censura perculit, eam aut Falsam, aut Erroneam, aut Scandalosam &c. declarando? Restat ergo, frustra niti Saguas, ut nos ad Moralem hanc Certitudinem Piae Sententiae tribuendam adducat. Quum apertissima heic sint tot Romanorum Pontificum, & Concilii Tridentini Decreta: nostrum est, ab iis erudiri, non vero ab iis, qui sibi ac factioni suae adulantes, ad rectum hac de re judicium ferendum quodammodo impotes se produnt.

Is tamen animum minime despondet, sed *Festum Conceptionis* adsumens, in eo spem victoriae certae collocat. At nos in aliis colloquiis, quum de Libro Patris de Luca ageremus, ea animadvertimus, quibus spero satisfactum iri rationibus Scotistarum ad eam anchoram confugientium. Invitus tamen in Quaestionem hanc a vociferante Saguas iterum revocor. Meminit ille Bullae Sixti IV. in qua Festum & Officium *Immaculatae Conceptionis* probata fuerunt. Meminerat & Lampridius. In dubium revocat Decretum Sacrae Inquisitionis interdicentis sub Innocentio X. appellari *Festum Immaculatae Conceptionis*, ea ratione usus, quod P. Esparza sub Alexandro VII. scripserit de Conceptione, atque usus expresse fuerit termino *Immaculatae*. Addit: *Decise Alessandro la nullità di un tal Decreto colla nuova impressione del Titolo d' Immacolata nell' Anno* 1655. Denique statuit Alexandrum VII. declarasse objectum Festi de Conceptione esse *Deiparae Praeservationem*. Egregie profecto ad confundendas Lectorum mentes. Nunquam negavit Lampridius, quin liceat, semperque licuerit sectatoribus Piae Sententiae *Immaculatam* appellare Virginis *Conceptionem*. Neque ullus Romanorum Pontificum, neque Sacra Congregatio id unquam prohibuit. Quid ergo vetitum? Id unum, quod alibi demonstravimus. Scilicet postquam Sanctus Pius V. abrogatis Missa & Officio a Nogarola compositis, & a Sixto IV. in usum tantummodo adhaerentium Piae Sententiae probatis, Missam & Officium de *Conceptione* praescripsit Ecclesiae universae, ea ratione concinnata, ut utrique factioni sine suae Opinionis detrimento celebrari possent: exorti subinde sunt, qui contenderent sub *Conceptionis* nomine in celebratione Festi subintelligi *Sanctificationem*, & contra alii, qui *Festum Immaculatae Conceptionis* appellandum censerent. Anno igitur

1622.

1622. Gregorius XV. ut est in Bullario Romano Constit. 29. ejusdem Pontificis, decretum hoc emisit: *Cum S. R. E. de Beatissimae Virginis Conceptione Festum solemniter & Officium celebret, omnibus &c. praecipit, ut in Sacrosancto Missae Sacrificio, ac divino Officio celebrandis, tam publice, quam privatim non alio quam Conceptionis nomine uti debeant. Contravenientes autem Sanctitas sua voluit & declaravit subjacere debere, & subjecit censuris &c.* Quod mirere, Panormitani ambo, & praesertim Parthenotimus Cap. XI. num. 85. Lampridio insultant, quod partem hanc Constitutionis Gregorianae omiserit, eam quippe Sententiae Piae faventem arbitrantur. Neque vident, per eam reipsa jugulari argumentum e Conceptionis Festo derivatum. Si sub *Conceptionis* nomine celebrandam jussissent Romani Pontifices *Praeservationem* dumtaxat: quis non statim intelligat, nihil obstitisse, quominus *Festum Immaculatae Conceptionis* illud esset appellandum? Immo sine dubitatione haec ei appellatio tribuenda fuisset. Verum ii tam severe praecipientes, ut non alio quam *Conceptionis* nomine illud Festum donetur, satis nos docuerunt, suae mentis esse, ut tam qui Piae Sententiae adhaerent, quam qui contrariae, sub generico, sive latiori vocabulo *Conceptionis* Festum illud celebrantes, Virginem Sanctissimam honorent, caelestibus gratiis perfusam, sive *Praeservata*, sive *Sanctificata* fuerit. Gregorius ipse XV. in eadem Constitutione post vetitas omnes disputationes colloquia & scripta adversantia Piae Sententiae, diserte loquitur inquiens: *Per hoc tamen Sanctitas Sua non intendit reprobare hanc Opinionem* (scilicet Thomisticam) *nec ei ullum prorsus praejudicium inferre* &c. In subsequenti vero Constitutione *Eximii* &c. veniam facit Fratribus Ordinis Praedicatorum, *ut de cetero in quibuscumque privatis eorum colloquiis, seu conferentiis, inter se dumtaxat, & non inter alios, aut cum aliis, de materia ejusdem Conceptionis B. Mariae differere & tractare libere, & licite possint & valeant.* Neque heic mihi elabatur volo a Parthenotimo petere: qua conscientia is in Indice novi Libri sui ad vocem *Opinionis* haec scripserit: *Opinionis nomine numquam Alexander VII. in sua Constitutione usus est ad significandam Piam Sententiam; ac proinde minus castigate loquitur Lampridius, qui FERE SEMPER eam vocat Opinionem, & ab hac Pietatem appellat Opinativam*: atque is Lectorem remittit ad Diss. II. Cap. 11. n. 252. Libri sui. At rogandi sunt Lectores, ut perspiciant, an non sit plane statuendum contrarium, quum Lampridius *Fere Semper Scotisticam Sententiam* commemoret, eamque uti *Piam Sententiam* non uno in loco appellet. Jurene vero, an injuria,

juria, is eandem *Sententiam* dixerit nondum egressam e finibus *Opinionis*, ex ejusdem Lampridii rationibus colligendum est, & in eum ipsum finem haec nostra progreditur oratio. Ceterum an in disputationibus placitisque dubiis ea sit vis vocabulo *Sententiae*, ut *Opinionis* naturam exuat; & quae *Opinio* dicitur, dici etiam non possit *Sententia*: nihil est quod inquiramus; usus enim Scholarum hac in re patentissimus est. Neque certe quidquam deperiit dignitati Piae Sententiae, quod in praelaudata Constitutione XXIX. Gregorius XV. eandem *Opinionis* nomine donarit, scribens: *Sub eisdem Censuris & poenis mandans, quod negantium Opinionem, videlicet quod non fuerit concepta cum peccato originali, in praedictis publicis actibus asserentes, aliam Opinionem non impugnent &c.*

Ad Alexandrum VII. quod attinet, jam in aliis colloquiis certissimum ostendimus, ab eo laudari *Pietatem sentientium animam Beatissimae Virginis in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse &c. a macula Peccati Originalis praeservatam immunem, atque in hoc sensu ejus Conceptionis Festivitatem solemni ritu colentium & celebrantium:* qui cultus *numquam immutatus* fuerat; simulque eos improbari, *qui Ecclesiam Romanam huic Sententiae & cultui juxta illam Beatae Virgini exhibito favere negant, pios Christi Fideles a sua pacifica quasi possessione deturbare conando:* Quibus verbis (en ut centies hoc idem repetere cogor) laudantur, probantur, quicumque idem Festum celebrant secundum Piam Sententiam. At nihil habet Pontifex, quo improbet celebrantes illud sub significatione *Sanctificationis*, propterea illos quoque in sua quasi possessione relinquens; neque Fideles omnes ad id Festum celebrandum adigit secundum intentionem Scotisticae Sententiae: quod sane contra mentem illius Pontificis nunc Panormitani Theologi factum supponunt ac venditant. Verum Parthenotimus Diss. I. Cap. 14. n. 107. Certitudinem Piae Sententiae erui posse censet ex ipso nomine Festi *Conceptionis*. Nam sub nomine *Conceptionis* intelligi nihil aliud potest, si ei credimus, nisi instans primum, quo Virgo Beatissima concepta fuit; tunc enim praeservata ab originali macula dicitur ab Alexandro VII. Aliter sentiendo, appellandum fuisset Festum *Sanctificationis*, non *Conceptionis*. Neque is animadvertit, uti toties innuimus, ad utramque Sententiam accommodari genericum nomen *Conceptionis*, quum in ea Conceptione honorem Virginis statuant, tam qui eam tunc *Praeservatam*, quam qui *Sanctificatam* credunt; & non minus commode dicatur primum instans, quam secundum Conceptionis. Fortassis etiam ad primum instans

stans

ſtans Conceptionis referre quiſquam poſſet Opinionem de culpa contracta, ſimulque Sanctificatione. Nam uti Suarez Qu. 27. Art. 2. Diſp. 3. ſect. 4. ut alios praeteream, agnoſcit, *Beatam Virginem in propria perſona fuiſſe Peccato obnoxiam in Primo Inſtanti ſuae Conceptionis, & nihilominus in eodem potuiſſe carere peccato, & praeveniri Gratia Dei*: ita fortaſſe non incongruum foret cogitare, in eodem *primo inſtanti* Beatam Virginem contraxiſſe labem, & ſanctificatam fuiſſe. Quod ex abundanti dictum volui, nam Eccleſia nihil heic ſtatuit; atque exploratum eſt; nunquam Alexandrum VII. interdixiſſe Thomiſtis celebrare Feſtum *Conceptionis*, ſubintellecta Opinione *Sanctificationis*, ſubſequutae, ut ipſi cenſent, in ſecundo inſtanti. Neque is immutatum voluit Decretum Gregorii XV. de celebrandis Miſſa & Officio *non alio quam Conceptionis nomine*; immo idem renovavit. Cur autem non ſecus ille, quam Clemens XI. (uti Lampridius ex Cardinali Gotto deduxit) *Immaculatae Conceptionis Feſtum* appellari noluerunt, niſi ut Fideles diſcerent, ejus Feſti Objectum non reſtringi ad unam Piam Sententiam, ſed extendi etiam ad contrariae Sententiae, ſive Opinionis aſſeclas? Componamus ergo nos ad veram Pontificum mentem, atque evaneſcent continuo argumenta e Feſto Conceptionis per adverſantes petita. Quod ſi in Horis Canonicis *Sancta* appellatur Conceptio, hoc ei nomen merito convenit; nam ſecundum hos Beatiſſima Virgo *Praeſervata*, ſecundum alios *Sanctificata* in Conceptione fuit.

Praetereo quae Panormitanus Saguas pag. 64. & ſeq. addit, inferre volens ex eo quod Eccleſia licitum ac laudabilem agnoſcit Cultum Deiparae ſecundum Piam Sententiam, Certam quoque evaſiſſe Sententiam eamdem. Praetereo quod is habet adverſus Lampridium, ſcribentem Cap. IX. pag. 60. ſi aliquando Eccleſia Thomiſticam Sententiam praeferret (quod poſſibile nemo neget, & Parthenotimus ipſe *Phyſice poſſibile* fatetur Diſſ. I. Cap. IX. num. 62.) ita rem eſſe compoſitam, *ut adhuc illud Feſtum una cum ſuo Officio ac Indulgentiis conſervandum foret*. Quippe haec in aliis colloquiis diluimus, & rurſus de primo agemus, ubi cum Parthenotimo uno manus conſeremus. Nam quod ſpectat ad alterum: uti jam monuimus, tunc ſub *Sanctificationis* ſignificatione Miſſam & Officium omnes celebraturi eſſent: quod nunc ſoli Thomiſtae Opinionis ſectatores faciunt. Cetera etiam, quae Saguas adjicit in Sanguinarii Voti tutelam, attingenda heic minime ſunt, ſed reſervanda novo certamini, ad quod nos Parthenotimus invitat, de his agens uberiore doctrina; ipſius enim

nim scrinia Saguas expilasse videtur. Persequamur igitur, quae pauca apud eumdem restant examine digna. Pag. *96.* negligentiae is arguit Lampridium, quod Joannem Baconum in 2. Sent. Dist. 30. adduxerit, adversantem Scotisticae Sententiae, quam *Haeresim adulatoriam*, & *nimis devotam* appellat, ac multis oppugnat; quum idem Baconus in 4. sent. Dist. 2. q. 3. art. 3. suam hanc Opinionem retractaverit. Minime certe animadvertit Lampridius secum pugnantem Baconum; sed non propterea certum est, Baconum recessisse a priore sententia, atque in postrema constitisse. Nam ut is erat ad *Quodlibeta* efformanda mire compositus, modo unam tuebatur Opinionem, eamdemque mox aliis argumentis improbabat. Is profecto in 4. Sent. atque in eadem (animadverte attente) ipsissima Dist. 2. q. 3. art. 1. & 2. a Saguas memorata, conclusiones has statuit, scilicet: *Quod Solus Christus excipitur a culpa originali de facto. Secundo, Quod Solus Christus, quia non fuit per generationem carnalem procreatus, excipitur non solum a culpa, sed a causa & Necessitate contrahendi culpam originalem.* Haec ille cum Angelico Doctore consentiens, qui 1. 2. Qu. 81. Art. 3. scribit: *Secundum Fidem Catholicam firmiter est credendum, quod omnes Homines, praeter Solum Christum, ex Adam derivati, Peccatum Originale ex Adam contrahunt.* Quapropter ejusmodi conclusiones Baconi dubitationem alicui ingerere possunt, isne, an alius quisquam post ejus mortem, Deiparam quoque a culpa originali de facto exemerit, lacinia ejus scriptis adjecta. Certe is etiam Lib. 3. Quodlib. qu. 13. scriptum reliquit: *Quarta particula est, quod dicere, quod B. Virgo fuit privilegiata, ne de facto contraheret Originale, Temeraria est, & contra Canonem Bibliae.* Neque omittendum, quod ille decernit q. 4. art. 1. videlicet: *Posito quod Beata Virgo contraxerit peccatum originale*, nihilominus *est ejus Conceptio Festivitate celebranda*: ut intelligas, jam tum sensisse Theologos, ex Conceptionis Festo deduci non posse Certitudinem Scotisticae Sententiae.

Topicum quoque locum de invidia quantis possent viribus conflanda Lampridio, non omiserunt Saguas pag. 83. & Parthenotimus Diss. I. Cap. 11. num. 84. & sequ. Generosam gentem tuam Hispanicam, mi Valdesi, ab eo contemtam, immo proscissam contendunt, quod ad tutelam Scotisticae Sententiae apud vos prodierint Historiae Dextri, Liutprandi, atque aliorum, & Laminae Granatenses. Uti *Bonam & credulam gentem, non adeo felicem in melioris criticae, solidaeque Eruditionis cultura &c.* traduci ajunt; & quidnam non effutiunt, ut odia concitent nobilissimae vestrae gentis in adversarium Lampri-

dium,

dium, quum eo usque ejusmodi accusatorum mala fides processerit, ut sine ullo discrimine Hispanis cunctis idem Lampridius probrum inussisse dicatur? Relege quaeso haec ipsius verba Cap. X. pag. *69.* unde venenum est haustum. *Notum est*, inquit Lampridius, *quantum regionum illarum Populi, quibus & Lusitanos jungo, amore Gloriae ferveant, ac potissimum ad hanc inhiare in Pietatis rebus, & recta Fide Catholica in sinu suo conservanda.* Hactenus vides, non in contemtum, sed in laudem Hispanicae gentis haec verti. *Sed simul notum est, Felicissimam illam gentem, quae acutissimi ingenii viros parit, totque insignes Theologos, duobus praecipue praeteritis Saeculis dedit, non adeo felicem semper fuisse in melioris Criticae, solidaeque Eruditionis cultura.* Post tot veras laudes, modestius non poterat innui defectus, non stabilis, sed fortuitus, neque universae Literatae genti in Hispania tributus, uti mox videbis. Pergit Lampridius: *Itaque illuc Interdum non difficilis aditus ipsi imposturae fuit, dum Pietatis speciem praeseferret. Neque vero ibi desiderati UMQUAM fuere gravissimi Viri, subacto judicio, & Eruditione praeclari.* Qui ita loquitur, num de universa Hispaniarum gente obloquitur? Contra vero qui dissimulatis hisce tam apertis in Hispanorum laudem Lampridii verbis, ea tantum corradunt, quae Hispaniae decus ferire videntur: num satis eos consuluisse conscientiae suae arbitraris? Addit continuato sermone Lampridius: *Sed non Semper eis licuit nimium praecipiti minus doctorum torrenti obsistere: ubi res erat de augenda aut minuenda gloria Nationis. Satius propterea illi duxerunt sibi sapere, & publica odia vitare, aut etiam silere sunt jussi.* Tum enarrare pergit, quanto plausu & gaudio confictae illae Historiae fuerint exceptae, quanquam *adversus eas non unus in Hispania ipsa insurrexerit.* Ista vero confirmat auctoritate Clarissimi inter Hispanos tuos viri, scilicet *Nicolai Antonii*, cui celebratissimum alterum, piissimumque Scriptorem Hispanum addit, *Cardinalem* scilicet *de Aguirre*. Atque ut amplius elucescat, nunquam desideratos egregios in Hispania viros, severiori Criticae, & Eruditioni solidae operam dantes, quod antea affirmatum a Lampridio vidisti: sincere is subdit, adulterinos eos foetus publicis censuris oppugnatos fuisse a *Johanne Perez*, atque, *a multis e Societate Jesu doctissimis viris*, inter quos numerat *Petrum Ribadeneyra*, *Johannem Mariana*, *Ferdinandum de Salazar*, *Cornelium a Lapide*, *Melchiorem Inchofer*, ac potissimum a *Marchione de Mondexar* eadem figmenta conscissa fuisse meminit. Quod vero apud Hispanos tunc non defuerint homines docti quidem, sed *severioris Criticae* imperiti, dixit

quidem Lampridius, ſed praeeunte nuper laudato Cardinali de Aguirre, qui Tom. II. Diſſ. 3. de Concil. Hiſpan. ſcribit: *Hieronymum Roman de la Higuera*, alioſque Auctores *ea confinxiſſe*, *miſeranda corruptione Hiſtoriae Hiſpanicae*, *ac deluſione imperitarum plebium*, *ſemidoctorum hominum*, *immo & multorum ex doctis alioqui*, *ſed minus in Critica aut Eruditione ſolida & antiqua verſatis*. Iſta commemorans Lampridius, tantorum virorum, & quidem Hiſpanorum auctoritate fretus, culpanduſne a quoquam probo erit? Is autem addit, in Luſitana Academia ſpurios eoſdem Libros adhuc laudari, iſtamque veritatem ex Tomo I. illius Academiae confirmat. Igitur non injuria ſcripſit, adhuc ibi Literatos viros reperiri, quibus ſuadendum eſt ſeverioris Criticae ſtudium.

At *piiſſimos Hiſpaniae Reges* illuſos Lampridius ait. Et cur non? Quae is habet Cap. X. pag. 73. & Cap. XI. vide, ubi etiam *dolendum*, ait, *inclytam gentem Hiſpanicam*, *tam prudentem*, *tam doctam*, *ſiviſſe diu*, *ac ſinere ſe ludificari hiſce fabulis*. Paria ante dixerant Nicolaus-Antonius, & piiſſimus Cardinalis de Aguirre. Quid vero in Hiſpania actum fuerit, ubi ſpuriae Laminae Granatenſes emerſerunt, apud Lampridium ipſum legas. Si tantum potuere Piiſſimorum Regum officia, ut ab Anno 1595. uſque ad tempora Innocentii XI. protracta fuerit earum damnatio: num negari poterit, quin eiſdem Regibus fucum diu fecerint, eorumque patrocinio abuſi fuerint ejuſmodi figmentorum patroni? Atque haec longiori quam optaſſem ſermone ſum perſequutus, ut intelligas, nunquam defuiſſe Lampridium obſequio & exiſtimationi a cunctis debitae erga Hiſpanicam veſtram gentem, viroſque ibi Literarum cultores; non enim paucorum vitia in omnes refundere ei umquam in animum venit, immo contrarium mature profeſſus fuit. Confer nunc cum hiſce, quae partim concinnavit, partim diſſimulavit Saguas, ut exoſum faceret Lampridium Hiſpanis veſtris. Quod de paucis Lampridius ſcribit, calumnioſe alter ad univerſam Hiſpanicam Nationem transfert, quam tamen nunquam idem Lampridius *Mendacem*, nunquam *ſubtilitatibus paſtam*, *fabellarum Patronam*, *impoſturarum opificem*, appellavit. Memoranda erant accuſatori Saguas loca, ubi haec Lampridius Hiſpanicae genti univerſae affinxerit. Niſi id probet, qua poena apud Deum & homines multandus ipſe ſit, juſti rerum aeſtimatores edicent. *Bonam & Credulam gentem* profecto Lampridius pag. 80. ait plauſiſſe *Concilio Apoſtolorum*, in quo Conceptionis ſine macula mentio occurrebat; res quippe notiſſima eſt, atque ab iiſdem Hiſpanis depraedicatur. Sed quaenam

haec

haec *gens?* non alia, quam quae uti nuper vidimus, a Cardinali de Aguirre descripta fuit; neque alia esse potest, quando Lampridius ipse testatur, *meliores* inter Hispanos credulitati huic obstitisse, multosque in ea figmenta calamum arripuisse. Nicolaus autem Antonius apud eumdem Cardinalem de Aguirre, quamquam de gentis vestrae honore sollicitus, libere tamen scripsit, innumeros fidem incaute habuisse fraudibus iis, uti ejus verba antea a Lampridio adducta dubitare nos non sinunt. Ajebat praeterea eximius ille vir, uti scribit idem Purpuratus, exasperato stylo in ejusmodi fabulatores insurgendum esse. *Tantam enim stragem Historiae Hispanicae, praesertim sacrae, ab iis Pseudo-Chronicis illatam fuisse, ut oporteat ea palam traducere, & exsecrari nominatim auctores illorum, veluti perniciosos bono communi ac Veritati. Cujus rei exempla attulit, etiam ex Sanctis Patribus desumta, quibus persuasus fui ad idem sentiendum.* Infra addit idem Cardinalis: *Interest Reipublicae Literariae, ac tuendae Veritati Historicae, praesertim sacrae sive Ecclesiasticae, necessarium est, ut fraudes, fictiones, & commenta similia cum suis artificibus, sive architectis, innotescant, & de cetero cum risu aut exsecratione repellantur.* Si haec dicere licuit eximiis summisque viris in Hispania natis atque educatis de rebus suis: num se iis adjungere pari censura, crimen erit Lampridio? At inquit Saguas, Lampridii verba sunt Cap. XI. pag. 75. *Neque enim nova sunt eorum detestanda exempla, qui mentiri pro gloria suae Patriae, immo & pro Pietate non erubuerunt, fortassis etiam licere putarunt.* Quid quaeso heic carpendum Saguas offendit? Num ad solos Hispanos pertinent haec? Immo ad omnia tempora, & ad cunctas gentes referri, ac referenda esse, agoscit quicumque Historiam Literariam, sacram, & profanam non leviter callet. Si haec nescit, aut non videt Saguas, ingens eorum est numerus, qui haec norunt, simulque detestantur. Irascuntur etiam Saguas iterum, & Parthenotimus, quod imposturas & fraudes a tutoribus Piae Sententiae structas Lampridius commemoret, dimittat vero insalutatas, quas contrariae Opinioni faventes moliti fuere, & Spondanus ad Annum Ch. 1508. ex Surio commemoravit. Sed ubinam bona fides in hominibus ista scribentibus? Diserte Lampridius Cap. XI. pag. 76. in haec verba loquutus est: *Porro eadem ratione arguendus erit, quicumque traditur adulterasse loca Patrum in Contrariae Sententiae patrocinium, aut Revelationes confinxisse Conceptioni Immaculatae adversantes. Haec omnia exsecrantur probi viri, Veritatis unius, non gloriae propriae amantes; & praesertim exsecratur Apostolica Sedes.* Addit Saguas: ***Le imposture,***

le frodi, gl' inganni inventati da talun difensore della Pia Sentenza, han presso di voi indebolita, resa sospetta, e degna di derisione la Pia Sentenza. Sed rursus ajo: ubinam heic bona fides? Neque veretur caecus iste Censor ignominiam in se contrahere apud omnes, qui Lampridii Librum legerint, & nusquam invenere tanti criminis vestigium? Centies ille uti laudabilem, Probabilemque fassus est Piam Sententiam, eamque nullo in loco despexit. Immo post memorata commenta illa, de quibus hactenus egimus, Cap. XI. pag. 75. protestatus est, *se nihil mussitare adversus doctrinam Illibatae Conceptioni Virginis faventem, quae non Imposturis nititur, sed Rationibus ab ipsa Sancta Sede probatis, immo se pro illa dimicare. Nam si titulis confictis atque mendaciis quisquam sibi sumat eamdem tueri, nae ille Populum seducit, atque id unum tamdem lucrari potest, ut ab ea credenda vel ipsos antea credentes imprudentia sua, ac mala fide avertat. Gnaviter ergo, quantum lubet, pro Virginalis Privilegii Opinione Piorum ingenia pugnent. Bonam caussam protegunt, quum stant pro gloria, quamquam Opinativa, illius, cui fecit magna qui Potens est*. Eadem quoque professus fuerat idem Lampridius Cap. X. pag. 69. Attamen adeo enormem accusationem a Panormitano Saguas audire cogimur. Fierine ergo potest, ut ad Veritatem in disputatione hac attingendam aptum se prodat homo, qui ira & odio undique fervens religioni sibi minime ducit tam foede ipsam pervertere atque insectari? Sed jam vela contrahamus. Ita Romanus Abbas, ac deinde ad publica negotia conversa est oratio nostra.

Quid, amantissime Azevede, ego quoque adjecerim ad ea, quae disseruit Romanus iste amicus in caussa, quae praesertim ad gentem nostram pertinet, nihil est quod ad te perscribam. Dicam tamen, impediri nullo tempore potuisse, quin unus aut alter interdum in qualibet amplissima Natione imposturas ac spuria monumenta procuderet atque evulgaret, populusque incautus eisdem figmentis plauderet, ac praecipue si pro Pietate militare credebantur. Huic infortunio obnoxia fuit unaquaeque Natio, & quaelibet Civitas, neque Italia ab hujusmodi peste exemtam se unquam jactitavit. Attamen ubi constet, abundasse etiam cordatos doctosque viros, eosque adversus easdem fraudes arma movisse, tuto in loco est cujuscumque Nationis honor. Hoc idem Lampridius de Hispanis agnoscit, sincereque fatetur. Quare tibi, ceterisque Eruditis nostratibus auctor sum, ut non ex venenatis accusationibus Panormitani Saguas hujusmodi confictorum monumentorum memoriam petas, sed ex ipso Lampridii Libro; neque enim

enim Italicorum quemquam hactenus novi, qui imminutam ab eo arbitretur Hispanicae universae gentis gloriam ob fraudes illas omnium exsecrationi expositas, quando is simul prodit, graviori etiam detestatione exceptas eas jamdiu fuisse ab ipsis Hispanis. Vale.

Neapoli V. Id. Januar. MDCCXLII.

Eruditissimo viro, Amico summe colendo D. Gregorio Azevedo Ferdinandus Valdesius S. P.

EPISTOLA UNDECIMA.



AUCI abierant dies, mi Azevede, ex quo dimiserat Romanus Abbas examen controversiae de Voto Sanguinario, quum novum ab eo colloquium impetravi. Itaque in ejus domo consedimus, sumtoque in manibus altero *Candidi Parthenotimi* Libro, cui titulus *de Pietate* in Deiparam amplificanda *Dissertatio duplex*, illius examen aggressi sumus. Is Liber Anno proxime praeterito Panormitanis typis excusus prodiit. In prima Dissertatione defendit hic Auctor Votum conceptum pro tuenda *Immaculata Deiparae Conceptione citra mortis periculum*. In altera certat pro Voto ejusdem tutelae *etiam cum Vitae periculo*. Non is insolentissima pugnandi ratione, neque continuatis irrisionibus atque conviciis, est usus, quam ab aliis illius commilitonibus, uti vidisti, usurpatam probus quisque, ni fallor, est abominatus; sed uti vir doctus & pius temperanti plerumque stylo rem suam agit contra adversantem Lampridium. Et quamquam aestuare interdum videatur, & ad injustas criminationes rapi se sinat, condonandum est homini, maligno minime consilio adversarium obruere conanti, sed ad suam caussam protegendam non satis semper considerate quaecumque occurrunt tela adhibenti. Ceterum quod ad primam illius Dissertationem pertinet, in qua protegitur Votum in Academiis familiare de tuenda *voce & calamo* Immaculata Virginis Conceptione, pauca nobis dicenda viderentur, postquam Lampridius ejusmodi Votum non semel laudavit, & verae Pietati conforme confessus est. Neque enim is unquam in animum induxit turbare hunc usum, eoque minus litem intentare tuentibus Piam Sententiam, quam Probabilem semper agnoscit, atque etiam altera Probabiliorem posse reputari concedit. Unus ei sco-

pus

pus *Votum* improbare *Sanguinarium*, a Panormitanis multis usurpatum, atque a Parthenotimo nondum, ut sibi idem Lampridius persuadet, honestatum: quod sane interest Christianae Reipublicae perspectum habere, ne in Pietatis regnum superstitio irrepat, ubi vera sint, quae ipse Lampridius disseruit. At quandoquidem nonnulla Parthenotimus in eandem primam Dissertationem intulit, quae ad trutinam revocanda sunt, age in eadem invadamus, progressuri postea ad id, quod praecipuum est in controversia praesenti.

Dixerat Lampridius Cap. I. pag. 9. de Voto agens, quod plurimi Religiosi viri, atque Academiae concipiunt, de tuenda sine Sanguine Sententia eximente Deiparam a labe originali: *Prudenter agere, qui voce & scriptis propugnaturos se vovent ejusmodi Sententiam; Prudentius agere, qui eandem Sententiam tuentur, sed Voto omisso. Prudentissime denique agere Academias, si pacis caussa, tutelae ejusdem Sententiae Votum adjungunt.* Hisce verbis tacite improbari ipsum Votum arbitratur Parthenotimus, aut saltem haec inter se pugnare; quum enim Votum futurum sit *de meliori Bono*, & Prudentia major depraedicatur in tuentibus sine Voto Piam Sententiam, consequens etiam videtur, Prudenter suscipi non posse Votum illud. Quod certum est, numquam in animum Lampridii incurrit improbare illud Votum, quod cum Prudentia susceptum ait, & cavillatoribus tantum id in mentem venire potest, qui facile nodos in scyrpo quaerunt. Igitur ideo *Prudentius* propugnari Sententiam Piam ab iis, qui a Voto abstinent, Lampridius scripsit, quia Voluntas quidem libera est in homine, non vero Intellectus. Quum vero agatur heic non de certa per Fidem, sed quidem de Probabili duntaxat Opinione; & fieri possit, ut in perpendendis rationibus, Immaculatae Conceptioni faventibus, dubitationes insurgant, sitne concors cum divinis Libris, ac Traditione Patrum, eadem quamquam Pia & Probabilis Sententia: liberum tunc non est homini imperare Intellectui suo, ut tueatur tanquam verum, quod sibi offeratur tanquam diversam faciem habens. Proinde qui consideratione ac timore isto ducuntur, *Prudentius* agunt, si pro Pia Sententia pugnent, sed a Voto abstineant. At istorum Prudentia nihil officit aliorum Prudentiae, qui persuasum habentes, nihil sibi occurrere posse, unde Piae Sententiae Dignitas imminui apud se possit, Votum intrepide de tutanda Immaculata Conceptione emittunt. Eadem res bona uni potest esse Majus bonum, alteri vero minime; ad normam nempe Prudentiae, quae circumstantias perpendit, & quid praeferendum aut postponendum sit, nos docet.

cet. Exigeret fortasse Parthenotimus, ut pro *Prudentius* dixisset Lampridius *Prudenter quoque*, neque comparativo usus fuisset. Sed hoc est tricari, idque ex ipso exemplo, quod ille adhibet, constabit. Praestat sine dubitatione Matrimonio Votum Virginitatis, aut Continentiae. Crederetne ille mihi, si dicerem, Melius ac Prudentius interdum agi, eligendo Nuptias, quam Continentiam & Virginitatem? Si mihi non credit, saltem credat Apostolo scribenti, in quibusdam circumstantiis, *Melius esse nubere, quam uri*. An propterea definit esse Bonum Majus, Matrimonium, quam Virginitas? Hoc ita verum est, ut non defuerint, qui ipsum Matrimonium posse esse nonnumquam materiam Voti censuerunt. Suarez Tom. II. de Relig. Lib. 2. Cap. 9. num. 9. eorum opinionem referens, ait: *Dicunt hi Auctores in eo casu, quo persona est adeo fragilis, ut ad vitandum carnis lapsum, judicio Prudentum, Melius illi sit nubere, quam uri. Ratio est primo, quod tale Votum de nubendo in tali persona simpliciter est de Meliori bono, cum Paulus dicat* 1. *Cor.* 7. *Melius esse nubere, quam uri. Secundo declaratur, quia Consilia Dei licet generatim dentur, tamen in particulari applicanda sunt, expensis circumstantiis personae, loci &c.* Haec Suarez, qui ab hujusmodi Voto in quibusdam circumstantiis minime abhorret. Quare Parthenotimo nulla heic erat justa caussa censurae.

Sed alteram audi, qua in primis delectantur, sibique plaudunt tam Parthenotimus pag. 124. num. 129. & pag. 178. num. 197. quam Saguas pag. 71. qui & eamdem crambem recoquit pag. 72. Si Parthenotimum audimus, Lampridii verba sunt Cap. V. pag. 35. *Sancta & Sanctissima semper fuit, est, & erit..... Beatissima parens Salvatoris nostri, sive fuerit, sive non fuerit concepta sine originali peccato.* Insistens deinde Parthenotimus in adverbio *Semper*, rem nulli antea notam nos docet, nempe illud accipi *pro omni tempore*, uti Jurisconsulti scribunt. At si peccatum Dei futura Genitrix in primo instanti incurrisset, tunc *Sancta* non fuisset. En ergo *duas propositiones, quas Logici contradictorias appellant: omni tempore fuit Sancta, aliquo tempore Sancta non fuit Deipara.* Idem repetitum videas ab altero Theologo, in magistralem fastum semper composito, nisi quod is integrum Lampridii locum sincere refert; Parthenotimus vero in duobus locis truncatum, quasi ad germanum Lampridii sensum intelligendum omissis verbis nihil opus esset. Sed quis non stupeat, aut rideat ejusmodi cavillationum genus? En Lampridii verba: *Sancta & Sanctissima semper fuit, est, & erit supra omnes mulieres, supra omnes*

mnes

mnes Sanctos & Angelos Beatissima parens Salvatoris nostri, sive fuerit, sive non fuerit concepta sine originali peccato. Si bona fide egisset Parthenotimus, nihil horum omittendum fuerat. Non ergo Lampridius, quem uti mente captum Panormitani pugiles incautis propinare vellent, tantummodo dixit: *Sancta & Sanctissima semper fuit &c. Beatissima Virgo.* Dixit *Sancta & Sanctissima supra omnes mulieres supra omnes Sanctos.* Cur ii disjunctum volunt, aut dissimulant, quod Lampridius conjunxit? Negent ii, si possunt, quin Mariae Sanctitas praecellat omnium Dei Servorum Sanctitatem. Hoc verba Lampridii sonant, haec illius aperta mens. Alioqui poterant etiam cavillari contendendo, adverbium *Semper omne Tempus complecti*, & Lampridium censuisse Deiparam, vel antequam fuit concepta, *Sanctam* fuisse.

Pag. 32. Cap. 6. num. 41. docet Parthenotimus, Piae Sententiae favisse *Sanctum Bernardum*, & Cap. 7. *Sanctum* quoque *Thomam*, quamquam uterque pro contraria Opinione steterit. Et quare? Quia animadvertentes nunc, si in vivis essent, Festum de Conceptione celebrari per universam Ecclesiam, eumque cultum deferri Deiparae *secundum Piam Sententiam*, uti Apostolica Sedes praecepit: procul dubio, secundum principia ab iis posita de Festo *Nativitatis* Deiparae, & de *auctoritate Sanctae Sedis*, mutata Opinione uti Certam amplecterentur Piam Sententiam. Sed non est heic immorandum. Satis jam expendimus Librum Patris de Luca, atque in postremo etiam colloquio, satis evicisse me puto, super falsum suppositum aedificatam fuisse hujusmodi argumentationem. Neque enim cum veritate consentit, Romanos unquam Pontifices, & ne ipsum quidem Alexandrum VII. universae Ecclesiae praecepisse, ut Festum & cultum Deiparae celebrent sub una significatione *Praeservationis*. Laudarunt quidem celebrantes Festum secundum eandem Sententiam, eisque Indulgentias elargiti sunt; sed liberum reliquerunt aliis secus sentientibus Festum illud celebrare sub significatione subintellecta *Sanctificationis*. Propterea nulla esset ratio, cur Sancti Bernardus & Thomas, a sua Sententia forent discessuri. Parthenotimus vero, qui pro aliorum more ex hoc Festo potiorem ducit spem deducendae ad Certitudinem Piae Sententiae, Cap. IX. num. 63. militaris hujus machinae vim pluribus versat, & quasi nihil dixisset, eandem rursus fuso sermone objicit Lampridio Cap. XIV. num. 105. & sequ. ubique ingeminans *Praeceptum* Ecclesiae de Cultu ab omnibus impendendo Beatae Mariae *secundum Piam Sententiam*. Verum si pius iste vir, praejudiciis positis, Alexandrinam Bullam attentius legerit, & cur Gregorius XV. & Clemens

XI.

XI. interdixerint appellare *Immaculatae Conceptionis Festum:* ipsum in sententiam Lampridii de hoc Festo concessurum esse confido. Alibi etiam vidimus, stare adhuc Cardinalis Bellarmini responsum de *Festo Conceptionis*, quod Lampridio eripere se posse post alios arbitratus quoque est Parthenotimus Diss. I. Cap. *9*. num. *63*. & Cap. X. num. *69*. Pergit Siculus Theologus ibidem num. *65*. edocere, titulum *Immaculatae* nunquam interdictum a Romano Pontifice, aut a sacra Congregatione, additum *Conceptioni* Virgineae ab adhaerentibus Piae Sententiae. De hoc nulla est disputatio inter Parthenotimum, & Lampridium, qui postremus aliter sensisse a Parthenotimo perperam supponitur. Unum hoc uti certum statuendum est, *non alio nomine quam Conceptionis* appellandum esse Festum Conceptionis, ut Gregorius XV. mandavit, a cujus mente nullus Successorum Pontificum recessit. Immo decretum hoc idem Alexander VII. confirmavit. Quod si Parthenotimus Cap. IX. num. *62*. fassus est *Physice Possibile* Apostolicae Sedis Decretum pro Thomistica Sententia, & postea Cap. X. num. *72*. *Moraliter Possibile* hoc negat, adductis in istam rem quorumdam Theologorum effatis: erit ejusdem Sanctae Sedis animadvertere, an compedes auctoritati suae injicere possint quorumdam uni factioni addictorum vota sive consilia. Nam quod est ad Lampridium, ei pro Thomistica Opinione venire in aciem animus non fuit; ipse vero nemini unquam concedet in obedientia & veneratione erga Apostolicam Sedem, si quando ad celebrem istam controversiam dirimendam eadem procederet, illamque revera dirimeret. Neque is moratur Academiarum, Populorumque consensum in Piam Sententiam, a Parthenotimo laudatum num. *109*. Semper enim, ut toties diximus, quaerendum superest, num tot docti viri Certam eam putent, an tantummodo Probabilem, praeeunte Apostolica Sede, quae sibi judicium de controversia hac reservavit, sinitque, ut contrariae Opinioni quicumque vult sese adjungat, & sub consideratione *Sanctificationis* Festum ab iis celebretur. Accedit, quod complures ex iis Academiis unam Piam Sententiam elegere tuendam, ut lites & jurgia in posterum nulla essent. Quamnam vero sententiam in corde foveant Theologi illi, rescire non possumus. Celebris ipsa Parisiensis Facultas multos alit, quibus minime probatur ipsius Facultatis hac de re Decretum.

Dixerat Lampridius, *minime derogari Sanctitati Virginis ab iis, qui contrariae sententiae de illius Conceptione adhaerent; nam Ecclesia eos ut Pios, & Orthodoxos, amat & honorat.* Sed pergit Parthenoti-

mus Diff. I. Cap. 16. num. 130. contendere, *eos aliqua ex parte Deiparae Sanctitati detrahere;* haberi autem pro Orthodoxis, amari, & honorari, *non quia hanc Opinionem sustinent, sed quia omnes Fidei Articulos per Ecclesiam Catholicam propositos libenter admittunt.* Lepidum profecto est, non eos amari atque honorari, *quia hanc Opinionem sustinent;* id enim nemo unquam somniavit. Sed ex quo illi Opinionem hanc sustinent, & nihilominus ab Ecclesia amantur, atque honoribus augentur, quid quaeso consequitur? Nonne ad Articulos Fidei spectat Deiparae Sanctitas? Huic Sanctitati derogare, crimen Catholicus quilibet fateatur; neque Ecclesia tolerat, nedum amat, atque honorat, eidem derogantes. Quum ergo ex Parthenotimi confessione Ecclesia amorem & honorem nequaquam neget contrariae Opinionis sectatoribus: necessario deducendum est ex hoc Ecclesiae judicio, nihil eos derogare Sanctitati & Honori Deiparae. Si derogarent, eos illa detestaretur atque puniret. At nos, inquiet Parthenotimus, Piae Sententiae patroni eos derogare arbitramur. Utique credo. Sed suntne ii regula Veritatis ac Bonitatis, an Ecclesia? Ceterum dicere, per eos Honori Deiparae derogari, atque hoc palam quoque venditare, videant illi, an hoc sit aperte arguere ac laedere eos amantem & honorantem Ecclesiam, atque ejus mandata despicere. *Peccat* enim quisquis Honori Sanctissimae Virginis derogat. Ecclesia vero Anathema promulgavit in quemcumque affirmantem, *peccare* asseclas contrariae Opinionis. Interea, donec pendeat Apostolicae Sedis judicium, fueritne annon Praeservata Maria, incertum remanet, volueritne feceritve, an non, hoc Deus: cujus viae & cogitationes, uti toties diximus, non sunt humano more metiendae, sed e Sacris Literis, ac Traditione Patrum hauriendae, & firma Fide credendae, quoties Ecclesia ex iis fontibus illustas nobis proponit. Quodcumque vero divinae Scripturae, ac Traditioni per Ecclesiae vocem, factum a Deo innotuerit, id sine dubitatione Honorificum Virgini Matri credendum erit, non quod in quorumdam Phantasia pro suae factionis amore agitatur.

Pauca haec ex Dissertatione I. Parthenotimi excerpsi; neque enim opus est cetera persequi, quum nihil ille attulerit, unde viris doctis, studio partium liberis, persuadeatur, hactenus Piam Sententiam e gradu Probabilitatis ad gradum Certitudinis assurrexisse. Hoc unum contendit Lampridius, non moleste interea ferens, immo laudans quemcumque eidem Piae Sententiae addictum, & secundum illum cultum praebentem Immaculatae Conceptioni, dum corde, vo-

ce,

ae, & calamo hoc ei obsequium praestet ac voveat. Verum quod est ad Votum tutandi proprio Sanguine eamdem Sententiam, is adhuc id minime ferendum in Ecclesia Dei censet, neque Parthenotimus quidquam secundis curis ad illud honestandum attulit. Ut hoc perspiciamus, ad alteram illius Dissertationem progrediendum est. Primo multa is habet num. 134. & sequentibus de *Praecepto Vitae conservandae*, multaque congerit exempla, quibus licet animam ponere pro Bono spirituali, aut corporali Proximi. Nulla dubitatio est de iis, qui Vitam suam periculo exponunt, ut peste infectis inserviant. Disputationi quidem obnosium est, an liceat mortem oppetere pro Amico: quod alibi perpendimus. Dubium quoque est, an liceat homini lacessito ab hoste permittere, ut ab eo occidatur, quum integrum sibi sit illum perimere. Disputatur etiam, an qui jurejurando se obligavit ad reditum in carcerem, ad fidem servandam adigatur, quamquam sciat se injuste morte multandum. Ita contrariis sententiis quaeritur, an Carthusiano liceat potius extremum vitae periculum subire, quam carnibus vesci, a quibus abstinere voverat. Post ejusmodi exempla num. 146. haec Soti verba Parthenotimus adfert: *Altero modo id contingit, per accidens scilicet, quando quis propriam Vitam non servat, quam servare potest; & hoc non reputatur homicidium, nisi quatenus ipsam servare tenetur. Et quamvis homo non sit suae Vitae dominus, sed custos, non tenetur eam omni possibili modo servare. Potest quippe eam non solum pro Virtute, verum & pro bonis temporalibus exponere.* Verba haec numquam fore e memoria obliteranda ait Parthenotimus, nam Sanguinarii Voti asseclae nolunt certe sibi manus inferre, sed inlatam ab aliis tolerare, ne a Piae Sententiae tutela recedant. Lampridius vero tradit, hunc esse unum ex iis casibus, in quibus ex Soti sententia homo *Vitam servare tenetur*. At Parthenotimus num. 146. inter convicia numerat, quod idem Lampridius pag. 32. habet, inquiens, *Imprudentem, aut Fanaticum, aut Dementem eum esse, qui non renuit mori pro Pietate in Deiparam sine originali labe conceptam.* Pium hunc Theologum lubenter ego, si adesset, rogarem, ut accuratius adversantium referat verba. Accipe germanum Lampridii textum. *Quod Pium sit aliquod Opus, non continuo sequitur, prudenter aut licite pro illo Vitam posse impendi &c. Nimirum necesse est, ut Bonum, pro quo subeunda mors est, non solum pretio superet Bonum Vitae nostrae, sed etiam sit aeque ac illud Certum. Si enim incertum ac dubium Bonum sit, quocum commutanda est Vita, quis rogo non Imprudentem, aut Fanaticum, aut Dementem eum appellet, qui Bonum tam*

pretiosum & Certum, & cujus possessio manu tenetur, deponere sponte velit, ut Bonum consequatur, de quo dubitatio est an exsistat, & fieri potest ut numquam exsistat? Ubinam in his verbis tutela *Piae Sententiae?* Generatim loquitur Lampridius, multosque casus complectitur, in quibus Imprudentia, aut Fanaticismus, aut Dementia posset deprehendi; & nemo, ut arbitror, neget, quin justa sit eo in loco Lampridii sententia. Proinde conscientiae suae non satis consuluisse mihi videtur Parthenotimus, qui ut invidiam Lampridio conflaret, unice haec ab eo contra Votum Sanguinarium pronuntiata fuisse, supponere incautis Lectoribus non dubitavit. Subdit postea haec Lampridii verba desumta ex ejus Cap. VII. pag. 46. *Mori pro Pietate enormis est regula, & fallacissima doctrina, quae aut stoliditatis, aut Superstitionis, aut Fanaticismi dedecus ac reatum, aut saltem Imprudentiae culpam derivare potest &c.* Theologum hunc adeo pium exoratum rursus vellem, ut majori fide ac diligentia aliena referat verba. Lampridii verba sunt: *aut stoliditatis, aut Superstitionis, aut Fanaticismi, aut saltem Imprudentiae culpam SAEPE in nos derivare posset.* Non ait Lampridius *Semper*, uti mutilatus a Parthenotimo textus insinuare vult. Ait *Saepe*, idque exemplis confirmat, quae attingere, nedum negare, ausus non est Siculus Theologus. Sed his postpositis, quae ad rem faciebant, Votum de non comedendis carnibus a Carthusianis emissum (quod tamen non Votum, sed Consuetudinem alii appellant) iterum producens, illud inquit a nemine hactenus *Fallacissimae doctrinae, Stoliditatis, aut Superstitionis, aut Fanaticismi* damnatum. Sed extra chorum non abeat Parthenotimus. Si nemo Votum illud hisce coloribus denigravit, ne Lampridius quidem id fecit. Attamen si Carthusianus, aut quisquam alius Votum idem susciperet, atque in evidenti mortis periculo versaretur, nisi comederet carnes, quas tantummodo in promtu haberet ad effugiendam mortem: tutius, ut puto, auctores ei forent Theologi, ne mori potius eligeret, quam vesci carnibus. Praeceptum Ecclesiae est abstinendi a carnibus certis diebus; & nihilominus aegritudine superveniente, tunc cessare Praeceptum omnes sentiunt. Quanto magis cessabit Votum, si certa mors Voventem maneat, nisi carnes comedat alio quocumque deficiente cibo? Imprudentia ac Temeritas in hisce casibus foret praefracte mori velle. Certum quippe est, a Deo praecipi Vitae nostrae tutelam, & juste praesumitur Deus tunc in his casibus gratam non habere Vitae nostrae jacturam, quum Pium quidem sit opus ob amorem Dei castigare corpus abstinendo a carnibus, sed non ejus momenti ac pretii

opus,

opus, ut praeferendum sit conservationi Vitae nobis ab ipso Deo injunctae. Quae Cap. IV. n. 148. & seq. habet Parthenotimus de iis, qui olim sine ulla necessitate sese Martyrio offerebant, heic refricare nihil opus est. Quod enim scripsit Lampridius pag. 33. scilicet eos tantummodo *commendatos, qui mortem non improvide quaesitam, & quam alia ratione evitaverant nisi peccando in Deum*, forti invictoque animo pro Deo tolerabant: hoc antea tradideraut Clemens Alexandrinus, Origenes, Athanasius, Nazianzenus, aliique Patres. Si eorum sententias a P. Theophilo Raynaudo congestas in Lib. de Martyrio per Pestem Par. 2. Cap. 5. n. 9. Parthenotimus nondum legit, integrum ei erit legere quum libebit.

Sed jam in arcem disputationis hujus invadamus. Licere putat Parthenotimus Vitam impendere pro tutela Immaculatae Conceptionis. Negat Lampridius. Primo ille statuit Diff. 2. Cap. 5. num. 167. concipientes Votum Sanguinarium vovere Sanguinem & Vitam non pro tuenda *Veritate* assertionis de Praeservatione Deiparae, sed pro *Veritatis Pietate*, hoc est quia Pium est credere, Virginem Sanctissimam originalis maculae immunem fuisse. Deinde Cap. 6. pergit docere, juste ac licite Vitam nostram dari posse non solum pro tutela Dogmatum Fidei, sed etiam pro quacumque Virtute, atque opere Virtutis, dum referatur in Deum, & finem habeat Christum. Tum num. 182. Syllogismum hunc instruit. *Communi Doctorum calculo, duce & auctore Angelico Praeceptore, receptum est, quod honestum sit mori pro quocumque Bono faciendo, seu pro actu Virtutis. Atqui tueri Immaculatam Deiparae Conceptionem calamo & rationibus, cum vera Pietate consonat* (uti Lampridius ipse confessus est) *vera Pietas, & vera Virtus est. Ergo mori ob tutelam Immaculatae Conceptionis Deiparae honestum est. Ergo Votum ejusmodi tutelae est honestum.* Lege ac relege: ad hoc unum propugnaculum se recepit tota Parthenotimi spes atque industria, ut Votum Sanguinarium censurae eripiat. Proinde is num. 192. nos docet, non ideo esse Pium tueri Sententiam Immaculatae Conceptionis, *quia Affectus Pietatis praecise respiciat Opinionem; sed quia illa Sententia propugnans Mariae Sanctitatem in primo instanti est eidem perbonorifica. Similiter Votum usque ad Sanguinem non fertur in Sententiam, seu in Opinionem de Immaculata Conceptione, ut Opinio est; sed, quia defert honorem Sanctissimae Dei parenti, est Pietas, est Cultus, est Virtus; & pro Virtute licitum est, laudabile est mortem oppetere.* Sed ut contractas in unum accipias Parthenotimi de re ista rationes, lege quae is habet Cap. XI. n. 222.

Eli-

Elicitur actus Intellectus, quo putetur immunis Deipara a labe originali; & huic concinit alter ejusdem facultatis actus, quo judicatur, Deiparae honorificum esse in illa hanc immunitatem agnoscere & profiteri. Elicit etiam Voluntas actum, quo Intellectui imperat, ut sentiat, Deiparam fuisse sine noxa Originali conceptam. Et quia Voluntas ad id Imperandum movetur ab Honore, qui Deiparae accederet ex illo judicio, Imperium illud ad Virtutem Pietatis spectare debet. Deinde eadem Voluntas vovet, seu Deo promittit, ut in posterum semper ita de Immaculata SS. Dei Genitricis Conceptione sentiat. Essent heic tot subtilia imaginationis Parthenomitanae meditamenta ad examen revocanda, atque extricanda; sed haec aliorum judicio dimissa volo. Deinde is addit: *prior actus Intellectus, quo judicatur immunis a noxa originali Deipara, ex probatis in priore Dissertatione Saltem est Moraliter Certus:* quod *Saltem* interpositum videtur, ut Certus etiam de Fide credi is actus possit, quamquam Parthenotimus non uno in loco se fateatur ab ea credulitate alienum. Is autem Lampridio permittit, *quod sit solum Probabilior*; attamen hoc etiam posito, *Pietas & Virtus est tueri* Virginis Immunitatem, quando idem *Lampridius non renuit Sententiam de Immaculata Deiparae Conceptione appellare Piam; & Pia esse nequit, nisi ab hoc actu Voluntatis. Ejusmodi enim Votum primo & potissimum respicit actum Pium Voluntatis imperantem: quamquam duos alios Intellectus actus remote respiciat, videlicet actum, quo putetur, in laudem, obsequium, & honorem B. M. V. cedere, quod ita sentiamus, & priorem actum, quo ita sentimus.* Alibi vero indignatur Parthenotimus, quod a Lampridio in ea Sententia fuisse credatur, *licitum esse pro tuenda Opinione mortem subire*: id enim ipse improbat, semper contendens, & potissimum Cap. XI. num. 229. Sanguinarium Votum concipi *pro actu Voluntatis*, in quo sita est *Pietas, & Virtus, pro qua mori licitum est, neutiquam pro actu Intellectus, qui non sit Fidei divinae.* Habes, ut puto, expressam Parthenotimi mentem, simulque rationem, ob quam non solum a quacumque censura liberum ab eo credatur Votum Sanguinarium, sed etiam honestum, laudabile, Deoque gratissimum sit appellandum. An solida sint ejus meditamenta, nunc nobis perpendendum restat.

Primo, non est mihi animus te conjicere in disputationes Metaphysicas de vi Intellectus in Voluntatem, & rursus de Voluntatis vi in Intellectum. Scholis haec dimissa volo. Illud tantummodo statuendum est nobis, Voluntatem nostram, aut velit, aut nolit, agat, aut non agat, pendere ab Intellectu indicante quid agendum, aut

agen-

agendum non sit. Si fallitur Intellectus, quod ex multis caussis contingere potest, & potissimum si perversi Affectus hominis judicium perturbant, Voluntas quoque ad perversas electiones & actiones rapi solet. Intellectus autem noster non in humanis tantum rebus, sed & in divinis, plurima noscit judicio Certo ob earum evidentiam atque ob rationes ineluctabiles ex principiis minime dubiis Veritatis aut Bonitatis deductas; alia vero noscit judicio tantum Probabili, quia rationes duntaxat Probabiles, modo graviores, modo leviores occurrunt, quae eidem Intellectui repraesentant in illa re Apparentiam Veritatis aut Bonitatis, modo majorem, modo minorem. Hominum autem vita non Certissimis tantummodo regitur rerum notionibus atque ideis, sed etiam Probabilibus; saepe enim desiderantur primae; & nisi alterae in subsidium adhiberentur, in summam inertiam, incredibilemque confusionem mortalium conditio prolaberetur. Quare ubi non desit Prudentia, in iis etiam actionibus, quae Probabilitate constant, recte judicare, recte agere possumus atque solemus. Dixi in divinis quoque rebus, & ad Religionem spectantibus, utrumque accidere. Sunt in sanctissima Religione Principia & Dogmata complura Certissima, de quibus dubitare non licet, & praesertim quae in Symbolo ac professione Fidei continentur. Praeter haec multa habemus in Ecclesiastica Historia, minime quidem referenda in censum Veritatum caelestium, Certa tamen ex earum Evidentia. Rursus innumera alia occurrunt, quae sive ad credulitatem, sive ad actionem referantur, veri similibus sive Probabilibus tantum rationibus nituntur, & ad amplum Opinionis, simulque ad amplissimum Pietatis Regnum pertinent. *Pietas* autem, uti Virtus est, & concipitur uti aliquid a *Religione* diversum (liceat mihi eam ita definire, sive describere) est Affectus Christiani hominis tendens in Deum, ut ad Patrem, amorem suum filialem, atque obsequium erga illum ostendere & comprobare cupiens cultu atque operibus, quae ei grata sciuntur, aut creduntur. Quum vero Sanctorum honor tendat etiam in Deum, utpote qui eos amat & glorificat: hinc est quod veneratio & invocatio Sanctorum, & praesertim Deiparae Beatissimae, prae ceteris Sanctis Deo carae, sine dubitatione intra ejusdem *Pietatis* fines concluditur. Porro *Pietas vera* appellatur, tam quae in Voluntatem nostram influit ex motivis & rationibus a Revelatione Dei per Ecclesiam nobis propositis, & *Pietas Intrinseca* a nobis appellatur; quam quae eidem Voluntati proponitur ab Intellectu, inclinante in Veritatem non ex Fide Certam, sed Probabilibus tantum argumentis Prudenter innixam, quam nos

Opi-

Opinativam dicimus, quia in Opinione fundata eft. Idque ea, ut diximus, de cauffa, quod mortalibus impervia eft Veritas Certa innumeris in rebus, & fatis eft ad recte agendum Apparentia Veritatis, ex vi rationum Probabilium in iis rebus & actionibus perfpecta, & cum Prudentiae legibus confona. Proinde exempli cauffa, etfi minime ex Revelatione Dei, neque ex Certitudine Evidentiae habeamus, has illafve Reliquias pertinere ad Sanctos, quibus tribuuntur, quum tamen Prudens Probabilitas Intellectui noftro hac de re adfit, *vera Pietate* iidem coluntur, & invocantur, eorumque Lipfanis honor merito habetur. Fieri quidem poteft, ut in his Intellectus fallatur, neque enim is formidinem omnem erroris excludere hinc poteft; fed certe non fallitur Affectus ille tendens in Deum, in quo Pietatem fitam effe praediximus, quandoquidem rem Deo gratam tunc etiam Fidelis praeftare fe putat, bonamque hanc Voluntatem Deus habet acceptam. Praeterea etfi Error occurrere heic poffit, nullum inde detrimentum redundare poteft neque in Pium Errantem, neque in Ecclefiam, neque in Rempublicam. Quamobrem quamvis ex iis, quae Lampridius, & nos antea differuimus, Certa nequaquam appareat Pia Sententia de Immaculata Virginis Conceptione, dum Ecclefiae judicium pendet: attamen quum Probabilem ipfam una cum univerfis paene Fidelibus Lampridius, & nos quoque fateamur, immo contraria Probabiliorem Ecclefia agnofcere & depraedicare videatur: certum eft, *Verae Pietatis* opus peragi in illius patrocinio, & proinde *Votum* de hujufmodi Sententia voce & calamo tuenda laudabiliter, ac prudenter emitti, quum id Deo gratum, ac Deiparae honorificum merito credatur, & nullum, etiamfi Error intercederet, in Voventem, aut in Ecclefiam detrimentum effluere poffit.

Hactenus cum Parthenotimo concordes proceffimus. At hifce pofitis ita ille argumentatur. *Vera Pietas*, & vera *Virtus* eft ex confeffione Lampridii, tueri voce & calamo Immaculatam Virginis Conceptionem. Atqui ex Theologorum confenfu habemus, honeftum, licitum, & meritorium effe, pro Virtute Sanguinem vovere, Vitamque impendere. Ergo Votum de tuenda Pia Sententia vel cum Vitae facrificio, honeftum, licitum, & meritorium erit. Ita ille. Sed optandum erat, ut vir pius & doctus liberiori ingenio atque accuratius in hanc rem contraria argumenta expendiffet. Faciam ego, & aequivocationes, falfaque fuppofita in Parthenotimi argumentationem incurrentia, ni fallor, a noftra Quaeftione removebo. Prima aequivocatio eft, Voventes mortis periculo fefe exponere pro *Pietate*, non vero

pro

pro tuenda *Veritate*, quam inesse in Pia Sententia credunt, sive sibi persuadent. Singulos ita voventes interroga. Nullus erit, qui non respondeat, se ideo polliceri Vitae suae jacturam, ut Sanguine suo testetur, *Veram* esse Sententiam de Immaculata Virginis Conceptione. Hoc ipsum ex ejusmodi Votorum Formulis, a Parthenotimo Diss. II. Cap. 5. n. 157. productis manifeste elucet. Capitulum Panormitanae Metropolitanae Ecclesiae Anno 1698. hisce verbis vovit: *Profitemur, & affirmamus, Beatissimam Virginem Mariam Dei Genitricem absque originalis peccati macula in primo instanti conceptam. Et hanc VERITATEM non modo numquam impugnaturos, sed &c. propugnaturos juxta Decreta Summorum Pontificum jam edita, aut edenda, ac etiam si opus fuerit, usque ad Sanguinis & Animae effusionem (Dei gratia cooperante) defensuros spondemus, vovemus, & juramus.* Academiae Granatensis Votum accipe Anno 1618. emissum: *Voveo me perpetuo defensurum Illibatae Deiparae Virginis Conceptionem ab originalis peccati labe divinitus praeservatam &c. Et pro hac piissima VERITATE Sanguinem, si oportuerit, profundere, & mortem subire non recusabo.* Equites de Calatrava Anno 1652. vovebant, se *semper defensuros ac propugnaturos, gloriosissimam Virginem Mariam Dominam nostram absque ulla originalis peccati macula fuisse conceptam &c. In qua CERTISSIMA VERITATE TUENDA ob honorem tantae Virginis, Deo favente, usque ad Mortem decertabimus.* Equites etiam S. Jacobi: *Votum nuncuparunt D. O. M. &c. tenendi ac defendendi hanc VERITATEM animo, & ore, vita, & morte &c.* Qualis ergo sit Voventium mens, habes. Scilicet Sanguinis sui effusione palam facere ac testari, Piam Sententiam Veram Certamque evasisse. Quum vero Certitudinem ab hac Sententia, alioqui Probabili, abesse ipsa Romanorum Pontificum Decreta testentur: inde necessario consequitur, *Vitam profundi pro tutela Opinionis*: quod ipsemet Parthenotimus illicitum non uno in loco fatetur, atque nos minime ferendum contendimus. Itaque illuditur Christiano orbi, quum dicuntur Voti Sanguinarii asseclae mortem eligere, non pro *Veritate*, sed pro *Pietate* Sententiae suae.

Verum Parthenotimus in naufragio ad alteram se recipit tabulam contendens Diss. II. Cap. 9. num. 212. etiamsi ponamus, nondum e finibus Opinionis excessisse Piam Sententiam, *id tamen nihil officere, quominus sit vera Pietas, sit certe Pietas, sive respiciat actum Opinativum, sive respiciat actum Certum.* Consequens igitur est secundum illum, honeste Vitam impendi posse pro tutela Piae Sententiae, quan-

quam ipsa adhuc in Opinione versetur; nam, ut is ait num. 224. *Votum praecipue respicit actum Voluntatis imperantem: qui quidem actus est honestus, & certe honestus, quando etiam Certus non esset prior actus Intellectus, quo Vovens sibi suadet, fuisse Deiparam sine noxa Originali conceptam: quandoquidem ex doctrina Angelici Praeceptoris, Virtutes appetitivae non excludunt totaliter Falsum*. Ita ille, Conclusionem repetens, quam & Lampridius admisit, ubi agatur de Pia Sententia voce tantum & calamo defendenda. Tunc enim etiamsi fallatur Intellectus, Deus tamen gratum habet Affectum filialem Christiani putantis, ad honorem Virginis eamdem spectare Sententiam. At aliud est, exponere etiam velle vitam suam pro Pietate, quae nitatur actu tantum Opinativo, sive ut Parthenotimus ajebat pag. 18. prioris sui Opusculi, *pro Pietate, quae certo inest actui Opinativo*. Voluntas enim imperare nequit, aut non debet Intellectui, ut Certum credat, quod ipse Incertum ac Probabile duntaxat apprehendit. Et quando etiam hoc imperet, uti aliquando accidit in ferventibus animi perturbationibus, tunc venit culpanda Voluntas, quam ex institutione naturae Intellectus regere debet, non vero ab ipsa regi, ac violenter perverti. Deinde quis unquam ferat hominem mori eligentem pro Pietate, quae ab una Opinione pendeat? Idem tunc esset vitam impendere pro *Pietate*, atque pro *Opinione*: quod postremum ipse Parthenotimus reprehendendum fatetur. Adeo verum est hoc, ut idemmet pius Theologus in priore Opusculo n. 43. scripserit: *Qui vovet Virginis Immunitatem tueri, necesse est, ut persuadeat sibi, quod Re ipsa Virgo immunis fuerit a macula*: hoc est persuadeat sibi, Sententiam hanc non Probabilem tantummodo esse, sed Certam: aliter enim agendo Imprudenter ac Temere vitam suam prodigeret. Quei ergo nunc nobis obtruditur, licere pro Pietate mori, quanquam haec *respiciat actum Opinativum*? Suo autem loco ostendam, *Persuasione* Certitudinis honestari non posse Votum Sanguinarium. Deinde unum da mihi sani capitis, qui Sanguinem suum vovere velit pro Sententia Probabili, neque a formidine erroris exemta; quum enim haec Apparentiam Veritatis solum, non vero ipsam Veritatem re ipsa exhibeat, dementis foret Certissimum & grande Bonum perdere velle pro umbra duntaxat Veritatis. Et reapse, ut vidimus, nemo ejusmodi Votum emittit, qui non credat, hoc est sibi persuadeat, agi heic non de Sententia incerta & errori obnoxia, sed quidem de Sententia, quae *Veritatem* reipsa complecti creditur. Certam vero Veritatem a Scotistica Sententia abesse, jam diximus. Atque heic repetendum

est,

est, quod Lampridius antea Cap. VII. pag. 46. dixerat scribens: *Mori pro Pietate enormis est regula, & fallacissima doctrina, quae aut stoliditatis, aut Superstitionis, aut Fanaticismi dedecus ac reatum, aut saltem Imprudentiae culpam SAEPE in nos derivare possit.* Error est, sine ulla distinctione regulam generalem constituere asserendo, honestum *Semper* esse atque laudabile Vitae nostrae sacrificium pro tutela *Pietatis*. Si Pietas ad dandam Vitam impellitur ob tuenda Certissima Dogmata, Praecepta, & Consilia a Revelatione Dei profecta, nisi obstet materiae parvitas in exercitatione ejusdem Consilii seu Praecepti: tunc rectissime, & sine dubitatione datur, & danda est Vita pro tutela Veritatis, quae certissime inest aut in Dogmate speculativo, aut in Virtutis opere, deducta ex inconcussis principiis Religionis Catholicae. At quoties *Pietas* ab Objecto tantum Probabili ac Opinativo movetur, tunc Sanguinis profusio pro ejusdem Opinativi Objecti incerta Veritate, aut stolidum, aut Superstitiosum, aut Fanaticum, aut saltem Imprudentiae facinus est. Statue tibi ante oculos tot Reliquias, tot Miracula, atque Historias Sanctorum, tot etiam Scholarum Opiniones: prudenti *Pietate* ad adjungendam fidem objectis hisce Probabilibus movemur. At quis pro Objectis ejusmodi, sive pro *Pietate* respiciente *Actum Opinativum* de istis, vitam laudabiliter voveri, ac prudenter dari posse, nos umquam docuit, aut in posterum doceat? Exempla haec attulerat Lampridius. Munus Parthenotimi erat ostendere, pro his quoque licere mortem oppetere; nam & qui pro iis vitam darent, eadem ratione facinus hoc justificare possent dicendo: Nos non pro *Veritate* illius sacri Corporis, aut Miraculi mortem eligimus, sed pro *Pietate*, quae respicit actum Opinativum. Ast ille ab hisce exemplis atque ab hoc certamine abstinuit, suoque silentio sat indicavit, stare Lampridii sententiam. Ad haec Lampridius tradiderat Cap. XIII. pag. 95. aliam esse *Pietatem Intrinsecam*, aliam *Opinativam*; pro illa Vitam Merito, pro altera Immerito, atque Imprudenter dari. Verum Theologus Siculus *Pietatem* hanc *Opinativam* Diss. II. Cap. X. aliisque in locis explodit, quod eam in suorum Theologorum Libris hactenus non offenderit; immo eo progreditur num. 219. ut hanc *vocum novitatem* rem *plenam periculi* appellare non vereatur. Sed mirum est, viro tam pio & docto haec excidisse, quando is philosophari de rebus humanis ac divinis tandiu didicit, atque vidit, quid ea voce significaverit Lampridius; nempe *Pietatem*, *quae actu Opinativo* duntaxat nititur, ad differentiam *Intrinsecae Pietatis*, quae Revelatis a Deo nititur. Pietas, cu-

jus objectum est Opinio, eadem est atque *Pietas Opinativa*. Hanc autem sufficere, ut Christianus homo honeste ac prudenter Vitae suae jacturam subire velit, nondum ille, ut reor, evicit; & contra Lampridius ex nuper commemoratis exemplis evicisse se putat, nefas esse pro Pietate innixa *actu* duntaxat *Opinativo* usque ad Sanguinis & Vitae effusionem pugnare. Recole heic, quae supra nobis edisserebat Parthenotimus, inquiens n. 192. non ideo esse Pium tueri Sententiam Immaculatae Conceptionis, *quia Affectus Pietatis respiciat Opinionem, sed quia Sententia propugnans Mariae Sanctitatem in primo instanti, est eidem perbonorifica*. At hoc ipsum est *Opinari* & tueri *Opinionem*; neque enim a Scientia, neque ab Evidentia, neque a divina Fide habemus, *Honorem* hunc revera deberi Deiparae, & Ecclesia liberum nobis relinquit contrarium credere, & *Sanctificationem* potius eidem tribuere. Rursus ait Parthenotimus ibidem: *Votum usque ad Sanguinem non fertur in Sententiam, seu in Opinionem de Immaculata Conceptione, ut Opinio est; sed quia defert Honorem Sanctissimae Dei Parenti, est Pietas, est Cultus, est Virtus*. Egregia profecto verborum involucra ad confundendam minus peritorum mentem. At animadverte: hoc ipsum *deferre Honorem* Virgini, nihil aliud est nisi *Opinio*; neque enim ulla Certitudine ducimur ad id credendum, sed quidem a nostra imaginatione, sive ab Opinione Probabili, reputante id evenisse, quod fortasse secundum Dei voluntatem aliter accidisse potuit. Ergo semper eo recidit oratio, Voti Sanguinarii auctores vitam daturos fore pro tutela *Opinionis*. Quum vero Parthenotimus nobiscum afferat, non licere pro *Opinionibus* mortem oppetere: is etiam damnet Votum Sanguinarium oportet.

Hactenus loquutus fuerat Romanus Abbas; quum vero conticuisset: At sodes, ajebam ego, tu quidem vagatus hucusque mihi visus es; nullum namque responsum dedisti ad argumentum Parthenotimi primo loco propositum, quod peremtorium, ut fatear, putavi. Videlicet, *Virtutem* esse tueri voce & calamo Immaculatam Conceptionem; & quum pro *Virtute* mori honestum ac laudabile sit, consequens est etiam, rite pro ea tutela Sanguinarium Votum emitti, & si occasio ferat, etiam impleri. Ad haec ille: Minime hoc e mente mea fugit, sed crastino diei negotium hoc reservatum volo. Ego vero domum regressus omnia literis consignavi, atque ad te, mi Azevede, perferenda curavi. Vale.

Neapoli XIV. Kal. Febr. MDCCXLII.

Egre-

Egregio Amico, & Domino semper colendo Gregorio Azevedo Ferdinandus Valdesius S. P.

EPISTOLA DUODECIMA.

UBI illuxit, quanquam sub placidissimo hoc Caelo praeter consuetum rigidus aer videretur, ad Romani Abbatis aedes me contuli, illumque rogavi, ut sincere ediceret, an Parthenotimi Syllogismus in praecedenti colloquio propositus rimas ex aliqua parte contraheret; mihi enim fortissimus, & nullo ariete concutiendus videbatur. Repetamus, tunc ille ait, Parthenotimi argumentatum. *Communi Doctorum calculo honestum est mori pro quocumque Bono faciendo, seu pro actu Virtutis. Atqui* (Lampridio ipso fatente) *tueri, Immaculatam Conceptionem voce & calamo cum vera Pietate concordat, ac propterea Vera Pietas, & vera Virtus est. Ergo mori pro tutela Immaculatae Conceptionis honestum est, & per consequens honestum est etiam Votum ejusdem tutelae.* Majorem distinguo: Honestum est mori pro quocunque Bono faciendo, seu pro actu Virtutis, *si fiat cum debitis circumstantiis, & non contra Prudentiam, quae forma est Virtutum Moralium*, uti Cajetanus scripsit in 2. 2. quaest. 124. art. 5. Concedo. Aliter nego. Vide Cap. IV. Lampridii, ubi exempla attulit, ex quibus constat, non semper licere pro Bono faciendo mortem oppetere. Minorem vero concedo, dum agatur de tuenda Pia Sententia rationibus, voce, & calamo: nam hoc Prudenter agitur. Ergo Mori etiam pro eadem Sententia honestum est: Nego consequentiam, quia non amplius agitur de tuenda voce & calamo Immunitate Virginis, sed Sanguine; tunc autem *contra Prudentiam* homo operatur. At quei fieri potest, ego tunc reposui, ut actus *verae Pietatis* sit Immaculatam Conceptionem *voce & calamo* tueri, & non sit etiam *morte nostra* eamdem ei tutelam impendere? Quia, inquit Romanus, quae *Virtus* erat antea, consistente Pietate in rationum usu, desinit esse *Virtus*, quoties Sanguine eam Sententiam tuendam suscipis. Aequivocatio heic latet, quam, ut spero, facile intelliges, ac sincere fateberis. Inter Defectum & Excessum (optime jam nosti) mediae procedunt Virtutes Morales. Si ultra hosce terminos & extremitates dilabun-

labuntur, desinunt esse Virtutes, & Vitia evadunt. Ita *Fortitudo* in *Temeritatem* declinare potest; *Liberalitas* in *Prodigalitatem; Humilitas* in nimiam sui *Dejectionem*. Certum pariter est, indigere Virtutes cunctas connexione & directione *Prudentiae*, quae circumstantiis rite expensis praescribit agenda atque fugienda, ita ut hac sublata aut contemta, non Virtus, sed Vitium in humanis actibus occurat. *Nulla Moralis Virtus potest esse sine Prudentia*, ad quam spectat eligere quae sunt ad finem; & quum inter vitiosa extrema sit Virtus, hoc *medium determinatur secundum rectam rationem Prudentiae*, uti Sanctus Thomas, Aristoteles, ac innumeri alii docent. Nulla autem dubitatio est, quin & *Pietas*, uti Moralis Virtus, si Prudentiam ducem aut comitem habere noluit, rapi in vitiosos excessus, atque in ipsam transilire possit *Superstitionem*. Idque necessarium in ipsius *Intrinsecae*, nedum *Opinativae* Pietatis exercitatione. Dogma Fidei est, placere Deo cultum & honorem Sanctorum, Imaginum piarum venerationem, sacrarum aedium decorem. Si quis ad hoc opus conferret universas fortunas suas, ita ut Parentes & Filios ad mendicandum panem cogeret: vitiosa ejus foret Pietas, quia Prudentiae suffragio destituta, & oblita Praeceptum Dei & Naturae de alendis Liberis ac Parentibus egenis. Imprudentem hujusmodi Pietatem Vitii arguit ipse Legislator noster Christus Matthaei Cap. XV. Rursus Orationi insistere in Templo, sanctum esse opus ex Fidei doctrina novimus. Si qua tamen Materfamilias pervicaciter integrum ferme diem ibidem orando agat, quum interea Filiorum & Filiarum, sine custodia & vicariis relictorum, pessum eat: ejus Pietas vitio laborat, atque est damnanda, quia a Prudentiae regulis deviat, dum divinum Praeceptum de Filiis educandis, statui suo impositum, contemnit, & Consilium Praecepto anteponit. Itidem a doctrina Fidei laudatur, nobisque commendatur moderata Corporis castigatio, *quatenus non carnem, sed vitia carnis occidat*, uti Gregorius Magnus docuit Lib. 30. Cap. 14. Moralium. Sed ubi intemperans mortificatio, neglecto aut spreto consilio Prudentum, pervicaciter incurabiles plagas, ac mortem pariat: in excessum ea Virtus ruens, Virtus esse desinit, & in Vitium & Peccatum convertitur ob ipsum Prudentiae defectum, & ob laesum Praeceptum Dei de Vitae custodia. Ab aliis exemplis, quae multa adferri possent, abstineo.

Age vero iterum fateamur, tueri Piam de Conceptione Deiparae Sententiam cum *vera Pietate* consentire, dum rationibus, voce, & calamo res peragatur. In eam, quamquam *Opinionis* fines nondum super-

ſupergreſſam, legitima Probabilitatis motiva, in eam Academiarum complurium calculus, in eam Apoſtolicae Sedis favor concurrunt; nihil autem ex parte Religionis, aut ejuſdem Sanctae Sedis obſtat illius patronis; immo laudem a Romanis Pontificibus, a doctis innumeris, & a Lampridio quoque, illius tutela reportat. Itaque Prudentiam comitem habens hujuſmodi *Pietas*, quamvis Opinativa, verae Pietatis munere fungitur, uti & Votum de ea Sententia voce & calamo tuenda. Formidinem certe Falſi atque Erroris neutiquam excludit Probabilitas iſtius Sententiae, quum adhuc pendeat, atque in ancipiti ſit judicium Eccleſiae: attamen in ea talis Apparentia Veritatis eſt, ut quandiu Veritas, aut Falſitas ignota ſint, Prudenter eidem Sententiae patrocinium dicari poſſit, ac Votum concipi de illius tutela. Verum ubi velis non argumentis tantum, ac voce, & ſcriptis tueri Praeſervationem Virginis a labe Originali, ſed etiam Sanguinem & Vitam pro ea tuenda vovere, & profundere: tunc (attentas aures praebe) non amplius vera Pietas, non Virtus eſt, ut in aliis colloquis antea monui, ſed Vitium atque Peccatum, quod mihi videtur *Superſtitionis*, tibi vero *Imprudentiae*, aut *Temeritatis*, aut alio aliquo nomine, certe Vitium indicante, deſignare liceat. Et quare? Quia tunc verificatur, quod Sanctus Iſidorus Lib. II. Sentent. Cap. 35. ſcribit inquiens: *Saepe Virtutes in Vitia tranſire, dum ſuum modum excedunt*. Et profecto deſideratur *Prudentia* in hujuſmodi Voto, quia Praeceptum Dei atque Naturae violatur, quo conſervare certum ac pretioſum Vitae noſtrae pignus jubemur; neque enim domini, ſed cuſtodes Vitae conſtituti ſumus a Deo, eamque ob imaginationes noſtras, quamvis Pias, aut ad arbitrium noſtrum projicere nefas eſt. Jam vidiſti, contendere Parthenotimum, quamquam demus Piam Sententiam nondum ex Opinionis finibus exceſſiſſe, recte tamen impendi Vitam poſſe pro *Pietate certa*, quae ineſt *actui Opinativo* adhuc incerto. At Pietas iſta, ſive hic filialis Affectus in Deiparam, ex quo Mortem vovet pro tutela iſtius actus Opinativi, in Vitium continuo degenerat; quippe contra Prudentiae monita Certiſſimum Bonum vult perdere, ut Incertum aſſequatur. Gravius etiam Prudentiae documenta laeſa agnoſcas, dum conſideres, non dicam unius, ſed ne millium quidem hominum Sanguine fieri poſſe, ut quod Certum non erat, Certum evadat. Dicat quaeſo pius iſte Theologus, an quidquam Certitudinis poſſit in Piam Sententiam derivari ex effuſo Sanguine ob ejus tutelam. Nunquam is, ni fallor, iſtud affirmabit. Tantummodo is, ut arbitror, dicet, ſe nullo validiori experimento quam iſto teſtaturum

ſuum

suum filialem Affectum, sive Pietatem suam erga Deiparam. Sed simul dicat oportet, se Imprudenter testaturum, dum Bonum tam pretiosum, quale Vita est, profundit, & ejus profusione nihil consequitur, unde Certa evadat Sententia, quam tuetur. Scilicet tunc ingens detrimentum, quo nullum majus inter Bona temporalia mihi ostendas, in Voventem redundat; & contra Piae Sententiae nullus obvenit fructus. Aliquem propone tibi, qui regnantem nunc Christianissimum Francorum Regem Ludovicum XV. recta linea descendentem opinetur, aut e Ferreolo, qui Anno Christi 400. Praefecti Praetorio Galliarum munere fungebatur, aut a Sancto Arnulfo, aut a Meroveo Rege, aut a Carolo Magno, aut a Welfone Altorfii Comite, aut ab alia vetustissima stirpe. Dum voce & scriptis Probabiliorem ex hisce Opinionibus tueatur, rem ipsi Regi gratam, aut saltem non ingratam peraget. Sin ita pertinaciter in ea Opinione hic persisteret, ut mortem pro illa tutanda se subiturum diceret, & revera subiret, caussatus se id facere ad testandum erga Regem singularem suum amorem: hominem hunc vel ipse Rex Imprudentiae, immo Dementiae argueret. Exempli hujus vim certe Parthenotimus evitare se posse censeret dicendo, nunquam in Opinionem quamcumque de Genealogia Francorum Regum concurrere posse tot motiva Credibilitatis, quot in Piam Sententiam confluunt. At quandoquidem Parthenotimus contendit, etiamsi Pia Sententia adhuc in Opinione versetur, licitum esse Vitae sacrificium: in hoc supposito fateri opus est, tam pro Sententia ista, quam pro illa, *Imprudenter* Sanguinem fundi; in utroque enim casu verum est, per Sanguinis effusionem Opinativum actum in Certitudinem minime posse converti, & Sanguinem sine ullo emolumento Sententiae, ac tantummodo cum gravissimo morientis detrimento profundi. Quousque igitur Pius iste vir non evincat, Piam Sententiam eo progressam, ut Certitudinem adquisierit praeponendam Certitudini Vitae nostrae, nunquam pro Bono hoc Incerto Prudenter commutabimus Bonum Certissimum Vitae nostrae, & piaculum erit commutare. Antea vero me ostendisse satis mihi persuadeo, neque ex Festo, neque ex aliis Sedis Apostolicae favoribus Certitudinem hanc erui posse, quum ipsi Summi Pontifices rem hactenus indecisam fateantur, & contrariam Opinionem sine ulla damnatione vigere sinant.

Luculentius autem intelliges, in Sanguinario Voto Imprudentiam deprehendi, ubi animadvertas habere nos *Praeceptum* naturale ac divinum de Vitae nostrae conservatione, & Suicidii, hoc est Peccati gravis reum esse, quicunque illam sine justa caussa, pervicaci consi-

lio,

lio, atque Imprudenter prodigit. Hoc autem in casu nostro accidere, si nondum visum est piissimo Parthenotimo, aliis sine praeoccupatione aliqua de hac re judicantibus patuit. Primo nullum exsistit Praeceptum aut divinum, aut Ecclesiasticum, de credenda & tuenda Immaculata Virginis Conceptione. Eam tueri Pius tatummodo Affectus est, persuadentium sibi, Sententiam hanc ad honorem Deiparae pertinere. Neque dicas, Praeceptum haberi de defendenda Sanctitate Deiparae, de ejus Honore vindicando. Praeceptum hoc tantummodo respicit veram certamque illius Sanctitatem, atque Honorem a Fidei doctrina indicatum, cui derogare Peccatum revera atque Haeresis foret. At quando agitur de Honore incerto, atque a pia tantum imaginatione nostra excogitato, neque hactenus ab Ecclesia praescripto: tunc nullum occurrit Praeceptum. Et profecto neminem Ecclesia adigit ad Piae Sententiae professionem; ejus quidem Cultum, ac tutelam laudat, non praecipit. Hoc posito, Votum Sanguinarium perpende. Nullum exstat Praeceptum de asserenda Praeservatione Virginis; contra exstat de Vitae nostrae conservatione. Cuinam in concursu isto parendum est? Nonne Deo praecipienti, cujus mandata transgredi nefas est? Itaque Temere agat, neque a Peccato excusandus erit, quicunque pervicaci animositate Opinionem, sive imaginationem suam Praecepto Dei anteponere velit. Atque heic iterum vides, *Pietatem veram*, quam agnovimus in tuentibus voce & calamo Deiparae Immunitatem, in manifestum Extremum, sive Vitium deflectere. Quousque Fidelis Christi credit, colit, tuetur rationibus Piam Sententiam, & tot Sanctorum Reliquias, Miracula, Historias, aliasque Pias & Probabiles Opiniones: nullum is Praeceptum Dei aut Ecclesiae violat. Contra in casu nostro, nullum Peccatum est in desistendo a tutela Immaculatae Conceptionis; immo contrariae Sententiae adhaerendo non peccatur ex Decreto Apostolicae Sedis. Et ex adverso, ubi Vitam pervicaciter dare velis pro hujusmodi tutela, certissimum Dei Praeceptum transgrederis, prodigendo Bonum, cujus te non dominum, sed custodem Deus ipse fecit. Ergo non solum Imprudenter ac Temere tunc Vita prodigeretur, sed etiam Peccati reus eam prodigens foret. Atque heic locum habet doctrina Angelici Doctoris 2. 2. quaest. 121. art. 1. quam Parthenotimus memorat num. 210. *Pietas*, inquit, *est habitualis dispositio animae, quae prompte mobilis est a Spiritu Sancto ad habendum filialem affectum ad Deum, ut Patrem, eumque colendum & amandum ea ratione, qua ipse vult a nobis coli*. Ostendendum igitur restat, an Filialis Affectus voventium Sanguine suo tute-

 lam

Iam Praeservationis, Deum ac Virginem colat, *ea ratione qua Deus ipse vult a nobis coli*. Ecclesia quidem, & Evangelium certos nos faciunt, recta ratione, ac Prudenter coli Deum, mortem subeundo pro Veritatibus Fidei, quas negare sine omnium gravissimo Peccato non possumus. At mortem oppetere velle pro tutela Opinionum, nunquam fuit aut erit ratio, *qua Deus vult a nobis coli*, quando is jubet, ne temere vitam nostram projiciamus. In eo casu, rursus ajo, Filialis Affectus noster, sive pietas, in Vitium declinat, quia contra Prudentiam peccat. Neque licet dicere: ego nunc *pro Pietate*, *pro Virtute* morior, quum *Pietas* appellanda amplius non sit, contra Dei Praeceptum abjicere velle vitam, ut certum faciamus, quod Incertum est, neque ullam e Sanguinis nostri effusione Certitudinem consequi unquam poterit.

Congerit autem Parthenotimus Diss. II. Cap. IX. multos Theologos concordes in asserendo, *Virtutes appetitivas non totaliter excludere falsam Opinionem de eo, circa quod agitur. Et potest aliquis secundum justitiam agere, habens falsam Opinionem de eo circa quod agit*. De hujus doctrinae rectitudine & veritate nulla nobis est controversia. Hanc & ego deosculor, & de hoc ipso alias egimus; sed nullus dubito, quin doctus & pius iste vir, majori attentione adhibita, agnoscat, frustra illam in Quaestionem nostram pertrahi. Quotiescumque homo agit secundum Dogma aliquod Fidei, sive secundum Praeceptum, aut grave Consilium Dei, is recte agit, quanquam in applicatione hujus Dogmatis, Praecepti, sive Consilii falli possit, aut fallatur, quum a certo Religionis principio illius animus ad agendum moveatur, & in illa actione nullum aliud Dei praeceptum violetur, nullaque inde fluant incommoda in doctrinam Fidei, neque in Ecclesiam, neque in Rempublicam. Proinde, uti Suarez docuit de Fide Disp. 3. Sect. 15. num. 1. atque alii tradunt, Recte ac Prudenter Fidelis Hostiam ad adorationem oblatam adorandam credit, & adorare debet, quamvis certa sibi non sit illius Hostiae consecratio. Praeceptum quippe habemus & Dogma de adorando Christo Domino, quem Prudentissime praesentem in illa Hostia credimus. Danda etiam vita foret, si ad hujusmodi Dogma negandum nos cogere quisquam vellet. Verum Imprudentiae hominem argueres, quotiescumque is mortem eligeret, pervicaciter hoc unum asserendo, scilicet Hostiam illam esse consecratam. Eadem ratione recte ac meritorie agit, stipem pro amore Dei dans ficto Pauperi, quia Certissimum Consilium, & quandoque Praeceptum de Eleemosina tunc ille sequitur, &

Vir-

Virtus Intrinseca, atque ad Fidem spectans, est Misericordia in Pauperes. Bonae huic Voluntati, tam firmo principio innixae, nihil obest, nihil meriti detrahit, si forte fallatur in agnoscenda Pauperis persona. Similiter Judices juste fures, homicidas, & sceleftos damnant, quia ex institutione & debito muneris sui ad id obligantur; & dum Prudentiae legibus, quas complures Sapientes praescripserunt, faciant satis, in tuto eorum conscientia est, quanquam contingere possit, ut aliquando fallantur in executione ex ignota malitia testium, aut ex alia sibi incognita caussa. Exempla haec Parthenotimus pro se laudat, ut dixi, Diss. II. Cap. IX. In iis, uti dixi, Prudenter agit Virtus, quum congruis modis in operando utatur; sed ipsa desinit esse Virtus, ubi utatur incongruis, atque a Prudentia improbatis. Verissimum ergo est, *Virtutes Appetitivas non excludere Falsum;* sed simul verum est, Prudenter eas agere debere, ne in Vitium ruant: quo defectu sive Vitio sine dubitatione laborat illa Pietas, quae mortem oppetere vult, ut Certum ostendat id, quod Falsum esse potest, & Certum ostendi per Vitae jacturam nunquam poterit, quum interea certum Dei Praeceptum transgrediatur. Sed pergit Parthenotimus Cap. X. Diss. II. urgere exemplum obsequii & Pietatis, quam exercere Liberi debent erga Patrem, quanquam Probabili duntaxat, non Certo judicio credant, virum illum esse Parentem suum. At hi ipsi a Praecepto Dei ac Naturae obligantur ad amandum & colendum Patrem; & quum legitima praesumtio, aut rationes solidae Probabilitatis, aut Certitudinis Moralis, concurrant ad persuadendum, hunc esse verum Patrem suum: Prudentissime eum colunt, immo ad colendum obligantur; ita ut Imprudenter, temere, & non sine Peccati gravis reatu a colendo abstinerent, hanc unam excusationem obtendentes, minime esse Certum, se ab eo generatos. Nunc autem animadvertendum est, tum in memoratis exemplis, tum in *objurgatione Vitiorum*, quam uti laudabilem Parthenotimus memorat num. 296. *quamvis objurganti non constet certo & evidenter de Vitio*, atque in similibus aliis, quae excogitari possunt, ideo honeste recteque hominem ad actionem moveri, quia praecedit Praeceptum Dei aut Consilium Evangelicum, certo indicans, Virtutis opus esse illud, quod agitur; per accidens vero contingere posse, ut in praxi & applicatione hujus Praecepti, sive Consilii, is nolens fallatur. Prudenter enim homo ille operatur, meritumque sibi apud Deum parat ita agendo, quia obtemperat Praecepto certissimo Dei, aut ejus Consilia sequitur. Prudenter, inquam, agit in exequendo Praeceptum sive Consilium, quia

 Pro-

Probabilibus rationibus ductus Verum existimat Objectum sibi propositum, quod tamen potest esse Falsum; in humanis autem actionibus Certitudinem Bonitatis aut Veritatis assequi neque facile, neque semper possumus, & ad Prudenter agendum in praxi sufficit Probabilitas. In his autem dum Prudenter agatur, etsi per accidens fallatur homo, nullum incommodum redundat in operantem, aut in Rempublicam, aut in Ecclesiam. Rogarem nunc Parthenotimum, si adesset, quippe eum vel cum a Vero abludit, Veritatis cupidissimum censeo, ut serio animadvertat, nihil simile, immo contrarium deprehendi in Voto Sanguinario. Nihil in memoratis exemplis de Vita hominum agitur, uti in casu nostro. Duo autem in Sanguinarium Votum concurrunt. Alterum est Praeceptum Dei & Naturae de servanda neque prodigenda Vita nostra. De hoc Praecepto nulla dubitatio est. Alterum est tutela Piae Sententiae, quam ex supposito, per ipsum Parthenotimum nobis permisso, Certitudine carentem statuimus, & Probabilibus tantum rationibus nixam, quae formidinem Falsi nequaquam tollat. Justumne unquam, & Prudentiae legibus consonum esse poterit, Praeceptum divinum certissimum abjicere atque violare, ut Probabilem tantummodo Sententiam, fallaciae per consequens obnoxiam, tuearis? Vitae nostrae tutelam praecipit Deus; non praecipit tutelam rerum, quae in Opinione adhuc versantur. Recte ac Prudenter agunt Fideles in exemplis nuper allatis, quia ex Praecepto aut Consilio Dei operantur; in nostro autem casu non ex Praecepto aut Consilio Dei agitur, immo contra manifestum Dei Praeceptum homo operatur, ac proinde Imprudenter ac Temere. Neutiquam tibi Deus imputabit in Peccatum quod non credas, aut non tuearis Piam Sententiam; nam ex decreto Romanae Ecclesiae nemo peccat adhaerendo contrariae Opinioni, & nullo Praecepto adigimur ad illius tutelam. Imputabit quidem, quod tu Praeceptum tibi notissimum transgrediaris, de quo dubitare non licet, ut Probabilia secteris, de quibus, uti diximus, non immerito dubitamus, & quae ne Sanguine quidem tuo efficere Certa poteris.

Sed Parthenotimus Diss. II. Cap. XII. num. 233. duo adfert celeberrima exempla Sanctorum, qui mortem subiere non pro Fide, sed pro Virtutis opere, nempe Sancti Joannis Baptistae, & Sancti Thomae Cantuariensis. Joannes *non ex Certitudine Fidei* certum habebat *Adulterium Herodis*, *sed a publica Fama*, *quae facere nequit nisi summum judicium moraliter Certum*. Et nihilominus is pro reprehensione Herodis, sive pro Justitia aut Caritate occisus, Martyr in Ecclesia

ha-

habetur. Sanctus vero Thomas pro nulla re, *quae certa esset Certitudine Fidei*, interemtus fuit, *sed quia licitum, honestumque est fortiter mortem tolerare pro tutela Immunitatis Ecclesiasticae: quidquid revera sit, an solum Probabile, an Probabilius, an moraliter Certum sit, Ecclesiarum Vacantium fructus, non Regi, sed Ecclesiae deberi &c. Actus Virtutis est tueri Immunitatem Ecclesiasticam, & pro hujus tutela mortis discrimini Vitam exponere & licitum est, & laudabile*. Quae ego ad postremum caput respondissem, ingeniose praeoccupavit Parthenotimus ipse, dum sibi objicit, Sanctum Thomam ex vi sui muneris obligatum fuisse ad custodiendas leges Ecclesiasticas; quum contra *nemo Fidelium teneatur tueri Immaculatam fuisse in suo Conceptu Deiparam*. Et profecto palmare est istud discrimen. Duo Praecepta in casum Sancti Thomae concurrunt, alterum de tuenda Immunitate Ecclesiastica, ad quam ex Lege ministerii sui, ex gravissimis Ecclesiae Legibus, & ex juramento obligantur Episcopi; alterum de Vitae custodia. In concursu praevalere primum debet, quia Constantiam in non consentiendo violatoribus Immunitatis Ecclesiasticae ipsa Ecclesia recipit uti veram Virtutem, neque Opinativam, sed Intrinsecam; atque insuper docet, in casibus a Prudentia praescriptis praeponendam eam esse Vitae, & Martyrii lauream per istud adquiri; aut saltem laudabile esse eam praeponere: id quod constat tum ex Thomae Cantuariensis exemplo, tum ex aliis, quae congessit Eminentiss. Cardinalis Lambertinus Lib. III. Cap. 19. de Serv. Dei Beatif. Pretium enim Intrinsecae Virtutis pretium superat Vitae nostrae. Simili ratione Joannes Baptista, missus a Deo, ut poenitentiam praedicaret, & pararet viam Domino, quia ex sui muneris obligatione Regem iniquum de scandalo monuit & arguit, Martyrii palmam est consequutus. Manifestum omnibus erat scelus & scandalum Herodis, neque is factum redargutus negavit; manifesta in Anglorum Rege fuit Immunitatis & Libertatis Ecclesiasticae violatio. Utrobique Praeceptum gravius occurrit, quam Praeceptum de Vita tuenda; ac propterea utrobique jugulum honeste, & cum ingenti merito apud Deum, sicariis oblatum fuit. Toto autem caelo ab hisce exemplis Sanguinarium Votum differt. Heic nullum Praeceptum de tuenda Pia Sententia; heic nulla Certitudo, Honorem Virginis ab hac Sententia pendere; potuit enim Deus aliter decrevisse; ipsaque Ecclesia Anathemate ferit dicentem, eos peccare, qui contrariam fovent Sententiam. Neque illa unquam probavit mortem eligentes pro tutela hujusmodi Sententiae, sive Pietatis Opinativae. Contra solum in hoc Voto superest

pereſt Praeceptum naturale ac divinum de noſtra Vita non prodigenda. Hoc viget, hoc obſervandum eſt; & qui illud ex arbitrio ſuo violat, Suicidii Peccatum excuſare non poteſt. Scribit quidem Parthenotimus num. 95. Votum & Juramentum de tuenda Pia Sententia eſſe licitum, honeſtum, & Pium; & non eo tantum nomine, quia *Omne Votum*, *Omne Juramentum*, *quandoquidem ad Religionem attinet*, *non poteſt non eſſe Pium; ſed illo etiam*, *quod verſatur circa Honorem Cultumque Dei*. Sed miror excidiſſe viro tam docto: *Omne Votum*, *ac Juramentum non poſſe non eſſe Pium*. Quaenam quaeſo Theologia ſine ulla diſtinctione & modificatione hoc tradit? Certe Votum Sanguinarium ab iſta univerſali Regula eſt excipiendum, uti & alia, de quibus Theologi loquuntur, Imprudenter nempe conceptis.

At ille pergit dicere in eadem Diſſ. II. Cap. XII. num. 241. diſputari inter Theologos, *An Canonicae Leges obligent cum periculo vitae*; & nihilominus, ſublata etiam iſta obligatione, laudabiliter operari, *qui mortem oppetat ad ſervandum Conſilium*. Suarium praeterea adducit haec ſcribentem Lib. VI. Cap. 11. num. 14. de Defenſ. Fidei: *Non enim ſolum homo operatur Juſtitiam*, *quando obedit Praecepto*, *ſed etiam quando operatur propter Chriſtum*, *& Dei gloriam*, *licet tunc non obligetur*. *Ergo qui patitur*, *ne hanc Juſtitiam ut ſic dicam*, *ideſt non neceſſariam hanc ex Praecepto*, *Deo autem gratam*, *& proximis utilem*, *ommittat: revera propter Juſtitiam patitur*. *Ergo ſi interficiatur propter eamdem cauſam*, *vere occiditur propter cauſam Religionis*. Ad Canonicas Leges quod attinet, dari poſſunt caſus, in quibus eae circumſtantiae occurrant, ut non ſolum Prudenter poſſit, ſed neceſſario debeat impendi Catholici Praeſulis Vita. Ejuſmodi fuit Sancti Thomae Cantuarienſis. Praeter Canones, & juramentum ab eo praeſtitum de tuenda Libertate & Immunitate Eccleſiae, particulari Praecepto Alexandri III. ſummi Pontificis, *& in virtute obedientiae*, juſſus ille fuerat non conſentire Regi jura Eccleſiae uſurpanti, uti conſtat ex ejuſdem Pontificis Epiſtola, a Cardinali Baronio ad Annum 1163. producta. Nihil ergo Prudentiae deſideratum eſt in Sancto Thoma, tolerante ea occaſione mortem. Et quando Eccleſia ejus acta, & glorioſum exitum ſolenni Decreto probavit: de hoc nobis diſputandum nihil amplius ſupereſt. Alii autem permulti caſus contingere poſſunt, in quibus merito excuſantur Epiſcopi a tuenda Sanguine ſuo Immunitate Eccleſiaſtica; immo Temeritatis interdum ii forent arguendi, ſi pervicaciter vitam dare vellent, quando circumſtantiae concurrant, in quibus Prudentia monet, parcendum eſſe vitae.

tae. Ipsa haec ergo observatio Parthenotimum potius perducere debuit ad agnoscendum, quanta Votum Sanguinarium deformitate laboret. Tanti pretii est hominum Vita, ut quamvis Praecepta Ecclesiastica aliquid faciendum jubeant, attamen cum periculo Vitae saepe non obligent; & qui non obligatus voluntarie mortem oppetere vellet, contemtis Prudentiae documentis, arguendus, non laudandus foret. Praecepto & Lege Ecclesiastica (parce quaeso repetenti) jubemur audire Sacrum festis diebus, jejunare, & carnibus abstinere certis aliis diebus. Ubi periculum vitae occurrat aut ab inimicis, aut a latronibus, aut ob gravem aegritudinem, aut ob alterius cibi defectum: tunc Ecclesia docet, pluris esse faciendam nostrae Vitae conservationem, quam Praeceptum suum; & qui pervicaci consilio secus operari vellet (secluso semper contemtu Religionis, & Scandalo) Imprudentiae ac Temeritatis culpam minime effugeret. Redi nunc ad Votum Sanguinarium. Ex concessione Parthenotimi ipsius, nulla divina aut Ecclesiastica Lex praecipit tutelam Piae Sententiae; non agitur heic de re Certa, neque de Pietate Intrinseca, cujusmodi est audire Sacrum, & Jejunare: & nihilo secius in mortem irruere quidam volunt pro hujusmodi Sententia, sive ut ajunt Pietate, quum fateri cogantur, nihil opus esse eamdem tueri, & contra Deus & Ecclesia nos doceant, opus esse Vitam nostram conservare atque tueri. *Prudentiam* indicet heic mihi Parthenotimus, si potest. *Temeritatem*, & *Peccatum* heic omnes deprehendent, qui sine praejudiciis, sine studio partium de hac re judicabunt. Frustra etiam is adhibet num. 290. exemplum Filii tuentis cum periculo vitae suae vitam Patris: quod certe licitum est. Nam praeterquam quod uti Filius ex divino Praecepto obligatur ad obediendum ac honorem deferendum Patri, quanquam non sit ab omni formidine erroris libera illius Paternitas: ita Prudenter illius vitam tueri potest ac debet. Adde tamen, tunc Filium defendere Bonum Certum Patris, sive hominis illius, quicunque sit, Vitam. Voti vero Sanguinarii professores neque jubentur a Deo credere ac tueri Piam Sententiam; neque tuerentur Sanguine suo Honorem Certum Deiparae; immo ita operando, Imprudentissime tuerentur, uti toties diximus, quum ineptus, ac improprius, & per consequens Imprudens modus tuendae Immunitatis Marianae sit Sanguinis humani effusio.

Ceterum frustra doctus iste vir praesidium sibi ex optima Suarii doctrina conquirit. Agit eximius ille Theologus in loco supra memorato de Anglicanis Legibus *vetantibus actus exteriores BONOS, &*

ex

ex FIDE & RELIGIONE CATHOLICA profectos, *ut sunt Sacra facere*, *seu Missas privatas dicere*, *absolvere Poenitentes*, *Catholicos exhortari &c.* Qui ob iniquarum hujusmodi Legum transgressionem occumberet, merito Martyr esset habendus. Addit insuper. *Licet talia opera Lege humana prohibita*, *possint aliquando omitti sine transgressione Praecepti divini*, *vel quia sunt tantum de Consilio &c. vel quia si cadunt sub affirmativum Praeceptum Dei*, *vel Ecclesiae*, *vel illud non obligat pro tali tempore*, *vel cum tot periculis &c. Nihilominus si quis propter zelum Fidei illos actus exerceat eo modo*, *quo sibi licent*, *& judicat ad Dei gloriam*, *& utilitatem animarum expedire: si propterea occidatur*, *erit vere Martyr*. *Non enim solum homo operatur Justitiam* cum reliquis a Parthenotimo supra memoratis. Loquitur, uti vides, Suarius de faciente *Actus Bonos*, & *ex Fide & Religione Catholica profectos*, pro quibus mortem honeste sine dubitatione subit. Quid haec, rogo, ad Quaestionem nostram, quum ipse Parthenotimus ubique fateatur, Piam Sententiam nequaquam pertinere ad Fidem, & pag. 92. num. 51. prioris Opusculi agnoverit ipsam non spectare ad *Religionem*, inquiens: *Non enim Religionem spectant Catholicam*, *quae de Immaculata Virginis Conceptione inter Catholicos disceptantur*. Hoc est *ad nullum certum Dogma*, *cum detur OMNIBUS facultas hinc inde disceptandi*, uti is explicat num. 172. alterius sui Libri. Ingenti hoc discrimine posito, Suarius invitus heic in scaenam educitur. Ast idem Suarius, Parthenotimo monente eod. num. 241. scribit Lib. IV. de Legib. Cap. 30. num. 10. *Observandum est*, *aliud esse obligari ad observationem Legis humanae*, *non obstante mortis periculo; aliud vero posse licite eam observare*, *eodem periculo non obstante*. *Plus enim ad prius requiritur*, *quam ad posterius*. *Licet enim ad utrumque necessaria sit aliqua ratio valde gravis & justa; quia non potest homo pro quacumque levi occasione vitam prodigere: nihilominus multo major causa requiritur*, *ut ad hoc possit obligari per Legem*, *vel Praeceptum Superioris humani*, *quam ut id possit homo sua spontanea voluntate honeste facere; quia non omnia honesta possunt nobis praecipi*, *quando sunt valde ardua*, *nisi ex speciali necessitate*, *sine qua nos possumus illa libere facere*. Sed & ista extra chorum. Potest interdum Magistratus Civilis Leges condere, ad Bonum commune Reipublicae spectantes, quae obligent etiam cum periculo vitae; conservatio enim, atque utilitas Reipublicae inter Leges naturae & societatis humanae refertur, & praeponitur conservationi vitae privatorum. Aliae autem sunt Leges, ad quarum observantiam Cives tenentur, sed censentur Legislatores

tores

tores non eos obligasse, quoties concurrat periculum vitae. Attamen in casu etiam, quo Lex non obliget ad hujusmodi periculum, honeste *propter utilitatem publicam potest aliquis aggredi opus cum magno periculo vitae, etiamsi non sit tanta necessitas Boni communis, in quo posset obligari.* Tempore belli, pestis, ac seditionum, haec potissimum contingere possunt. Qui pro salute aut utilitate Patriae, sive Reipublicae, sponte arduum quid, non temere, sed prudenter aggreditur, quamvis mortem incurrat, honeste ac licite incurrit, quia pro Virtute, non Opinativa, sed Intrinseca, qualis est Rempublicam suam tueri, & publicam utilitatem promovere, objecto certo sibi proposito, is periculum vitae subit. In casu autem nostro aliter sese res habet. An ad publicam Religionis utilitatem spectet tutela Piae Sententiae, res est adhuc disputationi obnoxia, quia nondum certum est, an eadem Sententia Veritate nitatur. Sed hoc etiam supposito, nonne vides, Sanguinarium Votum nihil ad publicam Religionis utilitatem conferre posse, quando etiamsi mortem oppetas pro Immaculata Virginis Conceptione, Opinativa tua Pietas, tuaque mors nihil Piae Sententiae prodest; nulla enim inde in eam influere potest Certitudo, eademque Sententia restat qualis erat? Tantummodo ex Rationibus ab Ecclesia probatis, non vero e spontanea nostri Sanguinis effusione, resultare potest illius Certitudo. Ut quid ergo perire vis, & Praeceptum Dei ac Naturae contemnis, quando nihil utilitatis in Religionem, neque in Sententiam ex morte tua consequitur, & in dispendium duntaxat Reipublicae ipsa mors tua convertitur?

Ad hasce regulas exige nunc Votum Sanguinarium. Ex Theologorum consensu Votum esse debet de meliori Bono; Votum nullum est, aut etiam Peccatum est, si sit de re peccaminosa. Quisquis pacato animo haec perpendat, nequit quin perspiciat, nihil Boni, uti toties diximus, sequi ex morte tolerata pro assertione Veritatis & Certitudinis perperam excogitatae in Pia Sententia; nihil enim Certitudinis ei ex hominum morte accedere potest. Contra nemo neget, quin Bonum grande sit Vita hominis. Ergo in hoc casu temere agis, Bonum nempe melius & majus prodigendo, ut minus, sive nullum Bonum consequaris. Rursus peccat, qui Imprudenter & pertinaciter Vitam projicere vult, quia Praeceptum Dei & Naturae violat. Temere autem atque Imprudenter eum operari ostendimus, qui sine ullo Dei aut Ecclesiae Praecepto de tuenda incerta Immunitate Virginis, Praeceptum Dei certum transgreditur de custodia Vitae. Ergo Sanguinarium Votum, utpote de re peccaminosa conceptum, nullum

 est,

est, immo in pervicaciter vovente Peccatum est. His dictis, disputationi suae finem fecit Romanus Abbas, quam tibi, mi Azevede perspectam volui. Perge tu interea me amare, ut facis; de meo erga te amore certus. Vale.

Neapoli X. Kal. Febr. MDCCXLII.

Dilectissimo Azevedo suo Ferdinandus Valdesius S. P. D.

EPISTOLA DECIMATERTIA.

Elapsis a proxime praeterita disputatione quinque diebus, iterum convenimus Romanus Abbas, & ego. Haec autem is dicere exorsus est. Una superest doctissimo Parthenotimo anchora ad eripiendum naufragio Votum Sanguinarium, *Persuasio* scilicet de Certitudine Piae Sententiae. Atque is profecto in priore Libro pag. 78. dixerat: *Qui vovet Virginis Immunitatem tueri, necesse est, ut persuadeat sibi, quod re ipsa Virgo immunis fuerit a macula*. Tum in altero Libro Diss. II. Cap. 6. num. 187. *Ponamus*, inquit, *quod plerique Cives Panormitani sibi firmiter suaserint, B. Virginem fuisse maculae originalis expertem; si a Tyranno interrogarentur, quaenam sit ipsorum mens circa Conceptionem B. M. Virginis: possentne contra mentem dicere, B. M. Virginem in peccato originali fuisse conceptam? Nequaquam. Vetarent id lex naturalis & divina; atque adeo ne mentirentur, deberent jugulum offerre carnifici*. Sed nullus erit in posterum certamini huic finis, si argumenta jam refutata iterum prodeunt, nulla refutationis facta mentione. Cap. XIV. Lampridius hujusmodi *Persuasionem* jam ex tritis Theologiae principiis fallacem esse posse, atque interdum damnandam ostenderat. Scilicet fieri quidem posse, ut Christanus rudis credens Invincibili Ignorantia aliquid ad Dogma Fidei pertinere, quod non pertineat, immo quod contra ipsam Fidem militet, non solum licite posse, sed ex Praecepto debere vitam dare pro falso illo Dogmate; quia donec perdurat Invincibilis ea Persuasio atque ignorantia, mortem perferens invincibiliter putat, se peccaturum, & Fidem negaturum, si Dogma illud neget. Haec autem doctrina vim habet in discrimine vitae, quoties neque locus, neque tempus adest consulendi viros, ad quod rudis ille homo tenetur, ut edicat, an

pro

pro ſuppoſito illo Dogmate, opus ſit, aut liceat mortem oppetere. Edoctus de Veritate fac ut nihilominus pertinaciter is mori velit: tunc illum a graviſſimo Peccato nemo excuſare poterit. Idem de caſu noſtro dicas. Antequam Chriſtianus Votum Sanguinarium concipiat, & poſtquam etiam conceperit, obligatur a Caritatis & Prudentiae Legibus ad ſedule inquirendum, an *Perſuaſio* haec ſufficiat ad honeſtandum periculum ac detrimentum Vitae, ideſt certi & eximii inter temporalia Boni, quod ſub poena gravis Peccati cuſtodiendum nobis Deus dedit. Is facile reſcire poterit, & docti ignorare non poſſunt, ejuſmodi *Perſuaſionem* a Fallacia, ſive a formidine Falſi, liberam hactenus non eſſe, eamque a Probabilibus tantum rationibus ſuaderi, quum contra Opinio non ſit Vita hominum, & certis ac evidentibus rationibus nitatur Praeceptum de eadem Vita ſervanda. Neque ullus *Invincibili Ignorantiae* eſt heic locus, ex quo lis adhuc ſub Judice pendet, & Eccleſia contrariam Opinionem liberam ſinit, ac praecipit, ne eam *Erroris* & *Peccati* inſimulemus; & laudat quidem uti Piam & Probabilem, ſed Certam nequaquam agnoſcit Scotiſtarum Sententiam. Inconſultam ergo in hoc caſu, Imprudentem, ac temere agentem dicas Pietatem, immo Pietatem, quae in Vitium degenerat, dum imperat Intellectui, ut Certum credat, quod nondum revera Certum eſt, & poſita fallaci hac *Perſuaſione* Vitae jacturam ſponte ac pervicaciter eligit, hoc eſt eligit frangere Praeceptum Dei, de cujus Certitudine & vi nulla eſt dubitatio, ut Sententiam tueatur Certitudine, uti diximus, carentem. Superfluum autem puto alia addere de froenis *Perſuaſioni* noſtrae adhibendis, ſine quibus in multa incommoda errores & abuſus abripi poſſet Chriſti Fidelis. Quod ſi Parthenotimus num. 147. haec Eminentiſs. Cardinalis Lambertini, nunc Sanctiſſimi Romani Pontificis BENEDICTI XIV. verba ex ejus Lib. III. Cap. 17. de Beatif. Serv. Dei adducit: *Qui renuit aliquid facere putans INVINCIBILITER id eſſe Peccatum, licet revera Peccatum non ſit, ſi ob hanc cauſſam moriatur, meritum ſane conſequitur, ſed Martyr nequaquam eſt.* Quibus haec addit Parthenotimus: *Et non conſequitur ille meritum, qui moriatur Pietatis exercendae cauſa in Deiparam?* Quis diſcrimen non videt in illo *Invincibiliter*? Redi ad ea, quae nuper diximus, neque pluribus eſt opus.

Ad hoc ipſum argumentum referendum eſt, quod Lampridius Cap. VI. attulerat ex Alphonſo de Caſtro, & Gabriele Vaſquezio, contendentibus, *Haereticum* eſſe cenſendum hominem *tam pertinaciter adhaerentem alterutri Opinioni de Virginis Conceptione, ut illam puta-*

ret esse Fidem Catholicam, & quamquam admonitus, pro illa esset Mortem subire paratus. Quid ad haec pius Scriptor Siculus? Diss. II. Cap. 15. num. 273. is Suarium adducit Tom. II. in 3. Part. quaest. 27. art. 2. Disp. 3. sect. 6. *cui sententia haec non placet. Quia is non errat in iis, quae Deus revelavit, nec Ecclesia dicit esse revelatum a Deo, aut esse de Fide, hoc esse Incertum. Sed solum docet ita esse ex ipsa rerum evidentia, praecipitque ita doceri ad scandala atque schismata vitanda. Esset ille Temerarius, & Inobediens, non tamen Haereticus.* Pariter ex sententia Bordoni in Manuali Consult. sect. 6. num. 89. hic *non esset Haereticus, sed Mendax, & Inobediens.* Fatetur autem Parthenotimus, se non habere Piam Sententiam pro re spectante ad Fidem divinam. Idem professuros Voti Sanguinarii asseclas reor. Et nihilominus ii pro Sententia ista sunt *mortem subire parati*, hoc est ad actum venire, quo nullus major ostendatur ad testandas Veritates Fidei; atque hoc pollicentur, quanquam, dante Parthenotimo, statuamus in Opinione, & actu Opinativo versari Immunitatem Deiparae. Nonne & in istos cadat saltem *Temeritatis* Censura, quando contra mentem Ecclesiae effusione Vitae suae Certum probare volunt, quod adhuc illa pro Certo non agnoscit? Si non prodest in priori casu dicere: Pium est, immo ad Fidem hoc spectare puto: nonne pari ratione damnandi, qui mortem eligunt, Persuasione ducti, Certitudinem inesse in Pia Sententia, quam tamen abesse Ecclesia ipsa hactenus sat prodidit? Fieri forte potest, ut Siculi voventes, fidem adjunxerint, aut adjungant temerariis Gabrielis Saavedrae Conclusionibus, a Lampridio Cap. XII. confutatis, qui asserere ausus fuit, *ex eo quod Pia Sententia sit Proxime definibilis ab Ecclesia, Necessario inferri, tum illam jam esse Revelatam a Deo, tum esse de Fide priori modo, quo illam explicuimus.* Rursus, *si Pia Sententia est jam Revelata non est improbabile asserere, quod etiamsi non sit ab Ecclesia definita, formaliter loquendo esse Fidei Objectum.* Si hoc voventes credunt, eos praelaudati Theologi jam damnarunt. Sin Moraliter Certam tantummodo reputant Piam Sententiam: fallax, uti vidimus, sive a periculo Erroris nondum exemta eorum Persuasio est; ac damnandi sunt, quod *Temere* sint *mortem subire parati* pro Sententia, quam non ipsi, sed duntaxat Ecclesia Certam praestare potest. Attulerat insuper Lampridius Cap. XVI. pag. 129. Theophili Raynaudi Conclusionem ex Par. II. Cap. 3. num. 18. de Martyrio per Pestem. *Statuendum est: Vitam Temere, nec absque SCELERE, atque adeo sine Martyrii fructibus, abjiciendam pro assertione alicujus Propositionis,*

nis, cujus VERITAS non sit in Ecclesia Prorsus rata, ita ut non sit exploratum, quod ejus assensus a FIDE exigatur. Quam feliciter Parthenotimus telum hoc effugiat, aut eludat, animadverte. Ex praecedenti num. 12. is haec Raynaudi verba producit: *Si autem affirmant (Martinus de Magistris, & Angestus) nefas esse pro vili honestate non violanda, aut honeste captanda, mortem oppetere, & mortem pro ea honestatis indemnitate, vel honesti studio oppetitam, Martyrii decore vacare, non sunt audiendi*. Quamobrem Parthenotimus Raynaudum *inter defensores suae Opinionis recenset*. Sed bone Deus, quam facile nobis, nostrisque Opinionibus assentamur! quam facile in favorem nostrum omnia interpretamur, quum enixe aliquid cupimus! Pugnantem contra se ipsum Parthenotimus exhibet Raynaudum; at ille nihil contra se, sed unice contra Parthenotimum pugnat. Aliud est, aliquid ad honestatem & Virtutem spectans in se considerare; aliud in exercitatione. Primum, quantumvis exile, vel cum periculo vitae sustinendum est. Recitare Salutationem Angelicam, sive *Ave Maria*, Templum ingredi orandi caussa, candelas accendere ad Sanctorum Reliquias, honestum est, & Virtutis sive Pietatis opus, ad Fidei doctrinam referendum. Si quis me adigere velit ad negandam honestatem hujusmodi operum, mortem potius tolerare debeo, quam negare, etiamsi exile & minutum Virtutis opus hoc sit dicendum, ne in grave Peccatum incurram. Majus est pretium cujuscumque Veritatis ad Fidem spectantis, quam Vitae nostrae pretium. At seposita consideratione & negatione intrinseci istorum pretii, & ad exercitationem tantummodo respiciendo, stultum ac temerarium foret Mortem potius eligere, quam ab iis actibus abstinere. Ad primam partem quod attinet, apertam Raynaudi mentem ex his illius verbis intelliges. *Omnis*, ait num. 13. *Supernaturalis Honestas, quantumvis minuta, immo quaevis Honestas Moralis, prout supernaturali Honestate convestita, & per FIDEM proposita, si vel mors obeunda, vel honestatis illius dispendium incurrendum cum Vitio sit, potest idoneum motivum ad veri Martyrii acceptationem subministrare &c.* Hisce explicantur verba a Parthenotimo producta, & rectissime a Raynaudo stabilita. Quod est ad alteram partem, ipsum Raynaudum iterum audi: *Subscribendum*, inquit, *erit, si tantum affirment, stultum fore Vitam abjicere pro minuto Virtutis opere, cujus exercitatio nulla tunc lege praescribatur, & absque dispendio omitti possit, ac denique sit tale, ut Prudentia dictet, consultius esse in eo rerum statu tale opus praetermittere. Qui enim Imprudenter ac Temere discrimen mortis ultro adiret, ut*

tali

tali operi imtempestive daret operam, improbandus esset &c. Itaque duo statuit Raynaudus. Alterum est, *Vitam Temere, nec absque scelere abjici pro assertione alicujus Propositionis, cujus Veritas non sit in Ecclesia prorsus rata, ita ut non sit exploratum, quod ejus assensus a Fide edicatur.* Alterum est, quanquam opus Virtutis ad Fidem pertineat, si tamen exile ac minutum sit, in exercitatione non careret *Temeritate*, ac *Stultus* foret, qui ne illud omitteret, Mortem potius subire vellet. Hoc & Lampridius Cap. III. & IV. memoraverat, Parthenotimus vero negare non est ausus. Si ergo imprudenter ac temere vita interdum impenderetur vel pro ipsis operibus Pietatis Intrinsecae, & quorum Honestas ad Fidem refertur: quanto Imprudentius, ac magis Temere vita profundatur pro tuenda Pia Sententia, quae Probabilis tantum est, neque ad Fidem pertinet, & quam tueri a nulla Ecclesiae Lege jubemur? Et quandoquidem stat Raynaudi sententia *non absque Scelere* Vitam prodigi *pro assertione Propositionis, cujus Veritas non sit in Ecclesia Prorsus rata &c.* Jam intelligis, quo in loco habendum sit Votum Sanguinarium, eodem vitio patentissime scatens.

Ex his, quae hactenus disseruimus, palam factum reor, plura quidem, sed nihil revera Parthenotimum attulisse, quod idoneum sit ad honestandam ejusdem Voti deformitatem. Restat nunc diluenda spes etiam victoriae, tum ab ipso, tum ab aliis Lampridii adversariis sita, ut opinor, in conflanda quantum possunt eidem Lampridio invidia, quasi is Decreta Romanorum Pontificum violaverit, & Piissimam & doctissimam Hispaniarum gentem ignominia oneraverit, Pietatem & Devotionem erga Sanctissimam Virginem Dei Matrem extenuarit. Inanium hujusmodi accusationum fragore dum Lector concutitur, aversum a Lampridio animum, mentemque ad dignoscenda Voti Sanguinarii vitia imparem, fortassis ii se reddituros sperant. Jam tibi in praecedentibus colloquiis ostendisse me puto, quam injuste hoc hominum genus in ejusmodi accusationes erumpat; quare ad paucula procedo, quae in Parthenotimi Dissertationibus sparsa occurrunt, neque sine animadversione sunt dimittenda. Agnoscit ille Diss. I. Cap. 6. contra Piam Sententiam militare auctoritatem Sancti Bernardi. Si tamen is in vivis nunc esset, eidem faveret. Quare petis? Quia Sanctus ille vir *Romanae Ecclesiae judicio paratus erat emendare* judicium suum. Praeterea pro *Sancto firmissime habebat Festum Nativitatis, & Assumtionis Beatae Mariae*, quia utrumque ab Ecclesia universali celebratum. Quum vero inquit Siculus Theologus, *Conce-*

ptionis

ptionis Festum hac nostra tempestate non solum possit, sed debeat celebrari: oporteret ut Bernardus emendationem promissam impleret. Somnia haec in aliis colloquiis discussimus. Repetere liceat. Nulla mihi dubitatio est, quin Sanctus ille vir, si viveret, se conformaret Romanae Ecclesiae Magistrae nostrae: & quod illa credit & docet, ipse quoque crederet ac doceret. Romana vero Ecclesia num Certam credit Piam Sententiam, quam indecisam relinquit; nonne eadem sinit, ut contrarie Opinioni adhaerere liceat? Et ad Festum quod attinet, non semel ostendimus, nihil inde Certitudinis emanasse in Piam Sententiam. Equidem video, a Lampridii adversariis Festum hoc centies memorari, quod veluti Palladium Sententiae ejusdem suspiciunt. Parthenotimus ipse non uno in loco Palladium istud exerit, & potissimum num. 72. & num. 105. & sequ. nihil recogitans, celebres viros Bellarminum, Suarium, Vasquium, Valentiam, Raynaudum, e Festo Conceptionis nullam deduxisse Certitudinem Piae Sententiae. Num. etiam 274. scribit: *Festum Conceptionis sub nomine Sanctificationis celebrabant contrariae Opinionis patroni. Hoc interdictum fuit primum a Gregorio XV. & postea ab Alexandro VII. cum declaraverint Festum Conceptionis non nisi sub nomine Conceptionis esse celebrandum.* Paria is etiam tradit, alibi Pie sentientes ita ratiocinantes inducendo: *Suasi sumus, re ipsa Deiparam fuisse sine labe Conceptam, quod Romani Pontifices Festum instituere, & illud instituere sub nomine Conceptionis juxta Piam Sententiam.* Sed quantopere heic hallucinentur Piae Sententiae patroni, in superioribus colloquiis satis ostendimus. *Conceptionis* nomen aeque complectitur *Praeservationem*, & *Sanctificationem*, Laudantur ab Alexandro, qui sub significatione *Praeservationis* Festum illud celebrant; at nullo verbo vetantur alii idem celebrare sub altera *Sanctificationis*. Nam aliam esse Pontificum mentem evincit Gregorii XV. Constitutio, quam Alexander VII. innovavit, ubi praecipit, *non alio quam Conceptionis nomine* utendum esse in Missa & Officio. Interdicentibus iis adjicere in sacris nomen *Sanctificationis*, aut adjungere titulum *Immaculatae* nomini *Conceptionis:* nonne patet, constrictum minime ab iis fuisse *Conceptionis* nomen ad unam significationem, sed extendi etiam ad alteram? Dolendum mehercle est, falsis hisce suppositis ad perdendam Vitam suam incitari Christi Fideles. Mirum porro est, exspatiari Parthenotimum quoque ibidem, ut ostendat *Immaculatam* posse appellari Conceptionem Virginis. At ubinam Lampridii verbum id negantis? In sacris duntaxat eam appellare non licere *Immaculatam*, ex Gregorii XV.
Con-

Constitutione manifeste resultat, & ex Clementis XI. uti Cardinalis Gottus scriptum reliquit. Quae Cardinalis Bellarminus de Festo Conceptionis dixerat, Parthenotimus denuo num. *69.* inania nostris temporibus tradit; sed immerito, quum adhuc a Thomistis sub *Sanctificationis* nomine Festum Conceptionis celebretur, uti jamdiu animadvertimus.

Auctoritatem quoque Angelici Doctoris Parthenotimus Diss. I. Cap. 7. atque alii adhibent ad comparandam Piae Sententiae Certitudinem, quaedam ejus loca adducendo, & Manuscriptos nonnullos Codices laudando. Supervacaneus labor foret in quaestionem hanc ingredi. Salmaticenses Theologi, Carmelitae scilicet Excalceati, pro me responsum dabunt Tom. XIII. de Vitiis & Peccatis Disp. 15. Dub. 5. num. 204. *Haec autem loca*, ajunt, *sincere considerantibus*, *sive quae idem S. Thomas juvenis super Sententias*, *sive quae senior in Summa Theologiae*, *aut aliis locis scripsit*, *ita pro Peccati contractione sunt perspicua*, *&* *sibi ipsis cohaerentia*, *ut coram propria conscientia non audeamus illa de solo Debito intelligere*. *Legimus saepenumero praedicta loca*, *seriem*, *verba*, *&* *apices attente meditati sumus*, *summopere cupientes*, *&* *inquirentes viam*, *ut sine Veritatis praejudicio enuntiare possemus*, *D. Thomam Piae Sententiae non refragari: illam tamen* (*quod non sine animi dolore profitemur*) *usque modo invenire non potuimus*. Anno 1678. Venetiis iterum edita sunt Salmaticensium volumina, & pacifice per Italiam versantur. Quam alienus fuerit a Certitudine Piae Sententiae Johannes Maldonatus celebris Theologus e Soc. Jesu, Lampridius Cap. XII. pag. 85. ex Ricardo Simone indicaverat. Parthenotimus Diss. I. num. 48. auctor est, ipsum tantummodo contendisse, eam Sententiam non pertinere ad Fidem. Ita sane; sed nostra interest meminisse, tunc Patres Societatis Jesu contra Decretum Parisiensis Facultatis de Conceptione Virginis certasse, & tunc Archiepiscopum Parisiensem Petrum Gondi stetisse Pro Maldonato, ac decretum edidisse, quo saltem tacite improbabatur sententia Parisiensis Facultatis. Quod si eadem Sententia, quae in languorem aut desuetudinem postea abiisse videbatur, Anno 1736. renovata dicitur: nihil nobis de eorum decreto curandum est; immo iis irascendum, qui quum de honore Tridentini Concilii, & Romanae Ecclesiae solliciti esse debeant, auctoritatem non verentur extollere Concilii Basileensis, quanquam in Schisma prolapsi, unanimes cum Parisiensibus Doctoribus, qui nostris praecipue temporibus illud exaltant, ut Sanctae Romanae Ecclesiae auctoritatem, dignitatemque imminuant, ne

dicam

dicam pessumdent. Quod si Parthenotimus num. 97. monitos nos vult, *quantum Parisiensis Academiae valeat auctoritas:* noverit ille, magni a nobis fieri celeberrimae illius Academiae judicium, ubi cum Apostolicae Sedis judicio concors pergit. At ubi adversatur, quemadmodum evenit, dum Basileensis Synodi Schismaticae decretum de Conceptione adversus Sanctam Sedem tueri audet: nos cum ceteris Catholicis illius Academiae consilia aversamur.

Alibi, hoc est Diss. I. num. 60. Parthenotimus litem Lampridio intentat, quod pag. 105. *Componere visus sit Persuasionem, quam de Immaculato Virginis Conceptu omnes fere Catholici habent, cum Persuasione, quam retinent Lucenses de vera Salvatoris e Cruce pendentis Imagine a Nicodemo effictа; cum Persuasione Messanensium de Epistola ipsis a Sanctissima Dei Genitrice conscripta &c.* Hoc ille miratur, quum Persuasio de Praeservatione Deiparae nimium distet ab eorum Populorum Persuasione. Certe id nemo neget, neque parem Persuasionem Lampridius unquam somniavit. Somnia quidem haec sunt (veniam quaeso huic voci impertire) ipsius Parthenotimi, qui apertam Lampridii mentem confundit atque pervertit. Scripserat idem Parthenotimus pag. 78. num. 43. prioris sui Libri: *Qui vovet Virginis Immunitatem tueri, necesse est, ut Persuadeat sibi, quod re ipsa Virgo immunis fuerit a macula.* Lampridius autem, ut ostendat *Persuasionem*, quamvis Pia sit, nihil conferre, ut Sententia defendenda excludat formidinem Falsi, eamque in multos errores obripere posse hominem Christianum, si Persuasione hac fretus Sanguinem suum pro aliqua Pia Opinione voveret: exempla nuper memorata adfert. Nulla heic comparatio. Istis tantummodo evincitur, *Persuasioni* generice sumptae non esse fidendum, ut quis Vitam suam obligare juste possit pro tuendis, quae adhuc sub Opinione detinentur. Si argumenti hujus rectitudinem non assequitur Parthenotimus, assequentur quicumque sine partium studio de hisce judicium instituunt. Lampridium scribentem: *Messanensibus itidem persuasum est, apud se servari Epistolam a Sanctissima Dei Genitrice conscriptam*, subinde ille eodem num. 60. aliis excipit, & refellit verbis, inquiens, *Autographum illarum Literarum* apud Messanenses adservari, neminem dixisse. At tu jam animadverteris, ne Lampridium quidem id asseruisse. Addit ille: *Hac de re cum Virum sapientem ex illa nobili Urbe consuluissem: mihi reposuit, quod toti Orbi publicum facerem: Messanensibus persuasum est, apud se non servari illam Epistolam.* Si Autographum significare vult, concordes sumus: neque enim Messanensium ullus hoc sibi tribuit.

At Sole clarius est, Messanae adservari Epistolam ad eos, ut fertur, scriptam, & pendentem ab Imagine Deiparae, & pueri Jesu, quam a Sancto Luca nonnulli depictam ferunt. Non esse eam figmentum, sed veram Mariae Epistolam, ii sibi *persuadent*, atque alii longe antea sibi *persuaserunt*, quorum scripta prostant. In primis vero Melchior Inchofer e Soc. Jesu eam sibi protegendam suscepit. Immo pro eadem Persuasione ac Traditione contra Rocchum Pirrum doctissimi quidam nobilesque ejus Urbis Cives, Libro edito in folio Anno 1740. certarunt, dum vetustas geminas Clavas illustrarent, in quibus ejusdem Epistolae mentio occurrit. Haec ignorare nequit Parthenotimus, & nihilo secius scribit persuasum esse Messanensibus, *apud se non servari illam Epistolam*. Autographum non servatur; sed nunquid negari potest, quin Epistola, quae conscripta creditur a Deipara, apud eos servetur? A cavillationibus quaeso abstineamus. Non de Autographo, sed de *Persuasione* heic agitur.

Audias etiam velim Parthenotimum Diss. II. Cap. 7. num. 195. & 196. exerentem exemplum Christiani hominis mortem tolerantis, ut Virginitatem custodiat: quod sane laudandum. Et nihilominus nulla Lege jubentur Fideles ad eam servandam, quum Consilium tantummodo spectet. Tum pergit dicere: *Idcirco etiamsi non obligentur Catholici tueri Virginem sine Originali Conceptam: si eam tuentur, hujusmodi tutelae ad Leges Sanctissimas Consiliorum spectant; ad quas item recte dicitur attinere spontanea mortis tolerantia pro confessione Fidei, & custodia Virginitatis*. Sed mira heic narrantur, neque diu immorandum est, ut quam dispar sit casus intelligas. Virginitatem praeferre Nuptiis ob amorem Christi, quanquam Consilii res sit, & non Praecepti, opus tamen Virtutis est ad Dogma Fidei spectans, ut omnes norunt. Proinde pro Certa & Intrinseca Virtute, in quam formido Erroris, quod est ad objectum, non cadit, mortem oppeteret, qui ne violaret Virginitatis Votum, atque ut a gravi Peccato caveret, se occidendum potius sineret. Immaculatam vero Conceptionem credere, atque tueri, laudandum sane est, sed nullum ostendas Praeceptum aut Consilium Fidei de ea credenda sive tuenda. Et quando etiam velis, non deesse Consilium Ecclesiae de hujusmodi tutela: Consilium hoc Ecclesiasticum tantummodo est. Porro nos antea animadvertimus, ne ipsa quidem Praecepta Ecclesiae plerumque esse observanda cum periculo Vitae. Quanto ergo minus Consilia? Objectum primi Voti in Consilio & Dogmate Fidei fundatum est. Alterum in Consilio Ecclesiastico, & Pietate Opinativa. Pro illo, hoc

est

eſt pro Fidei opere, & pro vitando peccato, vitam dare licet; nequaquam pro altero, quod ab Opinione pendet. Dixerat Lampridius Cap. VII. pag. 51. ex decretis Apoſtolicae Sedis *peccare Judicem ſequentem in judicando ſententiam Probabilem, contemta tutiore ac Probabiliore: uti & Medicum exhibentem aegro Pharmacum Probabile, quando alterum novit, ac praeſto habet, Probabilius & tutius ad ſalutem aegrotanti adferendam*. Hinc ille inferebat, ratione pari damnandos, qui relicta Probabiliori ſententia Votum Sanguinarium concipiunt. Quid ad haec Parthenotimus? Is in Diſſ. II. num. 257. *duplicem propoſitionem contradictoriam* ſtatuit, ſcilicet: *Deipara in primo inſtanti ſuae creationis Originale peccatum contraxit. Deipara in primo inſtanti ſuae Creationis Originale peccatum non contraxit*. Utra eſt Probabilior? Poſteriorem dicas. Ergo haec in praxi ſequenda ab eo cenſetur. Iterum mira proferuntur. Non ita eſt efformanda argumentatio, uti quiſque dignoſcere poteſt. En geminas propoſitiones quales proferre opus erat. Videlicet: *Licet Sanguinem & Vitam vovere pro tuenda Pia Sententia. Non licet id vovere pro eadem Sententia*. Equidem Certam arbitror poſteriorem; eam ſaltem dabis altera tutiorem & Probabiliorem. Ubi vero agitur de humanae vitae evidenti periculo, tunc Probabilior ſententia Probabili duntaxat eſt praeferenda.

Contendit Parthenotimus num. 261. Probabilem appellari non poſſe Opinionem de *Sanctificatione*, cui Thomiſtae adhaerent. *Falſo enim Medina docet, Eccleſiam vel Pontifices tradere hanc Opinionem eſſe Probabilem. Numquam ii hoc dicunt, ſed ſolum non eſſe Erroneam, neque eſſe Peccatum mortale illam aſſerere: quod valde diverſum eſt. Adde, quod uno tempore eſt Probabile, diſcurſu temporis poſſe Improbabile fieri*. Sunt haec poſtrema verba Suarii Tom. II. in 4. p. Diſp. 3. Sect. 6. quaſi Sixtus IV. non idem decreverit de Scotiſtica atque de Thomiſtica Sententia, damnans illos, *qui affirmare praeſumerent, eos, qui crederent, aut tenerent, eamdem Dei Genitricem ab Originalis peccati macula in ſua Conceptione praeſervatam fuiſſe, propterea alicujus Haereſis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare*. An autem aliquid rationum, aut monumentorum poſt Sixtum IV. adinventum fuerit, per quod Thomiſticae Opinioni erepta fuerit ſua Probabilitas, meum non eſt inquirere. Tum Parthenotimus ſubdit: *Quid ſcriberet eximius Doctor* (Suarius) *poſt Bullam Alexandri? Profecto in Decreto Gregorii XV. pro Opinione Conceptionis hoc ſolum habetur: Per hujuſmodi tamen proviſionem Sanctitas ſua non intendit reprobare alteram Opinionem* (ſcilicet Thomiſtarum) *nec ei Ullum praejudicium inferre*,

eam relinquens in eisdem statu & terminis, in quibus de praesenti reperitur, praeter quam ad supra disposita. Postrema haec verba, scilicet *praeterquam ad supra disposita*, Parthenotimus a Lampridio omissa ait, *quia suae Opinioni de macula neutiquam conducentia.* Insulsis hisce querelis puderet me respondere. Prostant Bullae. Tricas a Parthenotimo heic seri, nullo negotio unusquisque intelliget. Pergit deinde is scribere: *Quae Clausula est in Decreto Pauli V. sed omissa in Bulla Alexandri VII. ut animadvertit Platelius*, cujus verba deinde profert. Sed rursus dicere cogor, inconsulte haec Parthenotimo excidisse, signaque duntaxat esse nutantis caussae. Rotundis Literis Alexander VII. in eadem Bulla ait: *Innovantes Pauli V. & Gregorii XV. superius memoratas Constitutiones sive Decreta.* Quid est, quod in mentem venit pio illi Theologo tradere omissam ab Alexandro Clausulam illam? Qui integram Constitutionem Gregorii XV. *innovat*, manifestissime cuncta innovat, quae in ea continentur. Quum ergo Romani Pontifices tam disertis verbis in suis Constitutionibus Piae sententiae faventibus, protestentur, se *non reprobare* Thomisticam Sententiam, *nec ei Ullum Praejudicium inferre:* continuo intelligis, quam merito Lampridius pag. 112. scripserit de iisdem: *Ita vero unam* (Sententiam scilicet Scotisticam) *commendarunt, ut alterius tamen jura non laeserint.* At Siculus Theologus insurgit heic, & num. 274. ait: *Qua veritate potuit Lampridius asserere, quod Romani Pontifices non laeserint jura Opinionis contrariae? In ejus favorem nulla potest esse publica disceptatio &c.* Ita sane factum, & prudentissime, a summis Pontificibus, *ad evitanda scandala, dissensiones, & discordias in Populo Christiano*, uti Gregorius XV. praecipue testatus fuit, non vero ut Thomisticae Opinioni sua Probabilitas eriperetur. Et potissimum quod idem Pontifex *sub eisdem Censuris* praeceperit, ne Piae Sententiae patroni *aliam Opinionem impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent.* Si contrariam hanc prohibitionem ignoravit Parthenotimus, non levis incuriae & omissionis arguendus est. Sin noverat, gravioris criminis reum habemus. Porro constat, nunquam postea laesa fuisse jura Thomisticae Sententiae, quum eamdem Gregorii XV. Constitutionem Alexander VII. *innovaverit*, & idem Gregorius confirmaverit Constitutionem Pii V. Praecipientis, ne quisquam *Erroris* damnet eorumdem Thomistarum Opinionem.

Adduxerat in priori Libro suo Parthenotimus exemplum Christiani hominis, qui pro arcendis a Lauretano Virginis Templo hostibus, armis sumtis periculo mortis sese exponeret, ex ejusmodi justa

ac ho-

ac honesta tutela deducere se posse putans Voti Sanguinarii honestatem. Pag. 48. disparitatem exempli indicarat Lampridius. Sed rursus pugnam instaurat vir doctissimus num. 267. scribens: *Profecto Christianus piusque miles, qui ad arcendos hostes in sacram Aedem Lauretanam irruentes viriliter pugnaret, & in bello fortiter occumberet: pro defensione sacrae Lauretanae Aedis, pro Pietate in Deiparam censeretur occumbere, non pro virium robore, nec pro peritia artis militaris: quamquam virium robore, & artis militaris peritia quaereretur ea defensio. Ergo similiter Voventes Immaculatam Deiparae Conceptionem, qui adversus hostes illius Immaculati Mysterii decertarent, & decertando morerentur: pro defensione Immaculatae Conceptionis Marianae, pro Pietate in Deiparam perhiberentur mori, non pro Opinione Scotistica, nec pro argumentis Scotisticae Opinionis, licet his defensio Immaculatae Conceptionis intenderetur.* Nihil horum omissum volui, ut denique perspicias, reliquum esse nihil spei de persuadenda hominibus quanquam doctissimis deformitate Voti Sanguinarii, quando pervicaciter adhuc insistunt in usu hujus exempli, cujus disparitatem, uti Lampridius ajebat, nemo non videt. Sed haec est deploranda Veritatis conditio. Fac ut alte animo quisquam vir doctus Opinionem quampiam infigat, ne forcipibus quidem adhibitis, eam avellas, & vel ipsa contraria argumenta quamvis fortissima, eidem straminea apparebunt. Ex Physica & Morali Evidentia Certissimum est, praesertim Lauretanum Templum esse celebrem Pietatis Christianae locum, uti & copiosum adservari ibi Thesaurum ad Deiparae cultum & honorem. Heic etiam Fidei doctrina de Templis locum habet. Si licet domum suam, suasque fortunas non levis pretii cum periculo vitae ab injusto aggressore tueri: quanto magis licebit Dei Domum, ac tantae venerationis locum? Objectum tutelae Certissimum est, a nemine revocari potest in dubium; ac tanti pretii, ut Prudenter ac juste pro eo possit periculo vita pii militis exponi. Pietas in casu isto a Certissimo Objecto commota, honeste ac laudabiliter ad certamen erumpit. At in quaestione nostra millies diximus, desiderari Certitudinem in Objecto Voti Sanguinarii. Destituta ejusmodi Certitudine Pietas, Imprudens, Temeraria, vitiosaque fit, si Vitam Certissimum Bonum commutare cum Incerto Bono velit. Idem de innumeris exemplis dicas, in quibus Pietas mortem eligeret pro Reliquiis, pro Miraculis, pro piis Historiis Certitudine carentibus. Addit Parthenotimus: *Sapientibus satis est perspectum, quod carior Deiparae sit Immunitas ab Originali labe, ac proinde hujus tutela, quam sacra Lauretana Aedes, & hujus defensio.*

Egre-

Egregie ſane, quaſi hoc non ſit pro certo & conſtituto adſumere, quod adhuc in quaeſtione eſt. Quis pio iſti Theologo revelavit, gratiorem eſſe Virgini tutelam Immunitatis, quam Templi? Si Deus aliter de illius Conceptione ſtatuiſſet (hoc tamen obſcurum eſſe pergit) non ſolum gratior deſineret eſſe, ſed ne grata quidem foret temere ſuſcepta cum periculo vitae Immunitatis tutela, quippe voluntati Dei oppoſita. Contra falli nemo poſſit in credendo, Lauretanum Templum Deo in honorem Virginis dedicatum, ipſique Deiparae gratiſſimum eſſe, ſe coli in eodem ſacratiſſimo loco, ac proinde gratiſſimum quoque fore, ſi quiſquam armis & periculo vitae certet, ne idem violetur, ac diripiatur.

Dixerat Lampridius, Sanguinarium Votum *cedere in Apoſtolicae Sedis injuriam*. Contra Parthenotimus num. 277. *hoc intellectu difficile*, ait, poſtquam *Feſtum Conceptionis a Romana Eccleſia inſtitutum & praeceptum celebratur. Hinc nulla eſt Apoſtolicae Sedis injuria, cum potius Voventes eidem Apoſtolicae Sedi praeſtent obſequium*. Scotiſticum hoc Palladium ubique recurrere vides, quo tamen fulcro quam incaſſum nitantur Scotiſtae, ut Certam praeſtent Piam Sententiam, non ſemel animadvertimus. Laudat Romana Eccleſia Piam Sententiam; praecipit etiam Feſtum Conceptionis; ſed neminem cogit illud celebrare ſub ſignificatione *Praeſervationis*; nunquam vero in mentem venit Romanis Pontificibus probare Voventes Sanguinem ſuum pro tutela ejuſdem Sententiae. Et quando ad ſupremum ejus Tribunal unquam praeſens controverſia deferretur, male actum de Voto Sanguinario eſſet, ut mihi perſuadeo. Certe quod eſt ad Veritatem, quae una tantum eſſe poteſt, nihil hactenus definivit Eccleſia de geminis hiſce Opinionibus, ac tam unam, quam alteram reliquit in ſtatu, in quo erant tempore Sixti IV. Nihilo tamen ſecius ſaepe audimus Populo nuntiantes, ad tantam Certitudinem fuiſſe evectam Piam Sententiam, ut nulla amplius de ea dubitatio ſuperſit; immo, ni fama ſit mendax, quidam Panormi *Haereticos* appellare eos non verentur, qui aut hujuſmodi Certitudinem negant, aut contrariae adhaerent Sententiae. Eſtne hoc praeſtare obſequium Apoſtolicae Sedi, quae ab hac Certitudine longe abeſt, & ſub Cenſuris vetuit, ne quis *Erroris*, nedum *Haereſis* damnet contra ſentientes? Quod plus eſt, invexere illi Votum Sanguinarium; hoc autem quid aliud dicas, niſi hac de re judicandi poteſtatem uſurpare, quam ſummi Pontifices ſibi reſervarunt, quaſi tam ſublimem Certitudinis gradum aſſequuta fuerit Pia Sententia, ut non ſecus ac pro Dogmatis Fidei vita recte pro ea poſſit impen-

pendi? At iftud pugnat contra Conftitutiones & mentem Romanae Ecclefiae, atque adeo injuriam eidem inrogat. Profitetur quidem Parthenotimus num. 277. *non fuiſſe ab Eccleſia definitam de Fide Immaculatam Deiparae Conceptionem*. Tum fubdit: *Dixi, eum honeſte mori, qui pro tuendo primaevo Virginis Candore moriendi periculo ſe objiceret, non ſecus ac qui moritur pro Fide. Sed hoc probat tutelam illius primaevi Candoris eſſe opus Virtutis, non eſſe Fidei Catholicae Dogma*. Ego vero jamdiu aequivocationem hanc fuftuliffe me puto oftendendo, non amplius effe opus *Virtutis*, fed quidem *Temeritatis*, ac *Superſtitionis*, pro re Incerta jacturam velle pati vitae, quod Bonum ab Opinione minime pendet; vitae, inquam, nobis a Deo tantopere commendatae: tunc enim Pietas in Vitium tranfit. Recriminantem vero audire juvat Parthenotimum, qui in haec verba loquitur: *Videat Recentior, an ipſe ſit Apoſtolicae Sedi injurius, ubi ait apertiſſimis verbis, non eſſe contra mentem Alexandri VII. Feſtum Conceptionis ſub alio, quam Conceptionis* nomine *celebrare. Affert argumenta, & ea relinquit inſoluta. Praerogativa Immaculatae Conceptionis per ipſum eſt Probabilis, & ſimul dubia: dum interdicitur ab Alexandro, ne Pia Sententia revocetur in dubium*. En plura in paucis verbis accufationum capita, quae is etiam num. 283. refricat. Sed primo falfum eft, fomniaffe unquam Lampridium, alio nomine quam *Conceptionis* celebrandum effe Feftum Conceptionis. Is inhaerens Pontificiis Decretis hoc unum contendit, fub nomine Conceptionis in eo Fefto venire tum *Praeſervationem*, tum *Sanctificationem*. Secundo fi qua erant argumenta, quae Lampridius infoluta reliquiffet, indicanda fuerant, neque fine teftibus erat inftituenda accufatio. Quod fi is loquitur de argumentis a Lampridio propofitis contra *Certitudinem* Piae Sententiae, haec profecto folvenda non erant, neque folvi a Parthenotimo poffe reor. Ecclefia *Piam* tantummodo & *Probabilem* nos agnofcere jubet Scotifticam Sententiam, qualem etiam Lampridius ipfe ubique fatetur. At quod pertinet ad *Certitudinem*, cum Ecclefia concors ille procedit; eam quippe Decreta Pontificia excludunt: & fi quando a nonnullis temere invectam Ecclefia Romana animadvertet, ut ab fubeundam mortem pro ea inducantur Fideles, aegre id latura credenda eft. Tertio accufatur Lampridius, quod pag. 102. *Probabilem, ſimulque Dubiam* dicat Piam Sententiam. Idem repetit pius ille vir num. 283. At nonne idem eft effe *Probabile*, ac *Dubium*? Quod enim nondum eft Certum, Dubitationi locum relinquit; & quamvis Intellectus in unam partem inclinet, id cum formidine erroris faciat opor-

oportet. Verum subdit Parthenotimus, *interdictum fuisse ab Alexandro, ne Pia Sententia revocetur in dubium*. Sed quae sit Pontificis mens, e praecedentibus accipiendum est, scilicet non licere *eamdem Sententiam*, *Festum*, *seu Cultum in Disputationem revocare*. Alioquin si ex Apostolicae Sedis Decreto *revocari nequit in Dubium Pia Sententia*, eadem Certa erit, litemque deciderit Alexander, qui tamen diserte protestatur, se eam noluisse decidere. Ad haec quum Lampridius *Probabilem* fateatur Piam Sententiam, suo munere functus est; neque enim eam nisi uti *Probabilem* commendat, eique uti Probabili favet Ecclesia. Hoc est, in dubium revocat Certitudinem ei sine bonis tabulis tributam, non vero Probabilitatem: quae est mens Summorum Pontificum. Quod si Dubiam is etiam appellat, id ille eruit ex supposito, quod Parthenotimus ipse heic amplecti non detrectat, dum ait, *Certum non esse, quod Maria fuerit Concepta sine labe*. Si non est Certum, sed tantummodo Probabile, consequitur ex supposito vel ipsius Parthenotimi, Incertam restare ac Dubiam eamdem Sententiam. Sed quod omnino radices hujus accusationis amputat, illud est, non impugnari, sed laudari a Lampridio ubique Piam Sententiam, Festum secundum illam celebratum, & Votum sine Sanguine pro ejus tutela conceptum. Unum ille persequitur, scilicet improbandum esse *Votum Sanguinarium*. Quamobrem necesse fuit, imaginariam hanc *Certitudinem* eis eripere, atque ostendere, *Probabilitatem* quidem in ea deprehendi, sed dubitationi & formidini erroris adhuc obnoxiam esse eamdem Sententiam. Quis arguendus heic? num qui novam ac perniciosam invehit doctrinam, an qui secundum Ecclesiae mentem falsam hance, ut ipse arbitratur, doctrinam improbat?

Per Votum Sanguinarium *Doctrinam ac Prudentiam Ecclesiae Catholicae irridendam hostibus praeberi*, scripserat Lampridius, si quando ii viderent Catholicos pro Immaculata Conceptione Virginis jugulum carnifici offerre, quum Certa nondum sit in Ecclesia Dei haec Sententia. Siculus Theologus num. 279. nobis ante oculos statuit exemplum Monialium, ac Religiosorum, qui mortem generose subirent, ne Votum custodiendae Castitatis effringerent. Immerito isti deriderentur; ita & morientes pro Pia sententia. *Opus enim Virtutis est perinde Votum Castitatis*, *atque Votum Immaculatae Conceptionis*. O quot mira audire cogimur? Antea jam diluimus paritatem exempli, atque hanc disparitatem nobis confestim objicerent hostes ipsi Ecclesiae Catholicae, dicendo: Secundum vos Dogma Fidei est, praestare Nuptiis custodiam Virginitatis & Continentiae, susceptam ad honorem Chri-

sti,

sti; atque ad doctrinam Fidei Consilium hac de re spectat. Igitur moriens pro Virginitate seu Continentia sacrata Deo, vitam daret pro Opere Virtutis ad Fidem spectantis. Contra vos fatemini; indecisam adhuc esse controversiam de Conceptione Virginis; ac proinde tutela Immunitatis Marianae ad Fidei doctrinam referri nequit a vobis; sed est Opus Virtutis Opinativae, sive Pietatis ab Opinione pendentis. Nonne ergo irridenda est Ecclesia vestra, in qua homines in mortem irruere volunt non pro Pietate nixa Dogmatis Fidei, sed pro Pietate, cujus Objectum Opinio est, dum honorificum Deiparae credunt, quod adhuc dubitationi obnoxium Ecclesia ipsa fatetur? Horrerent ejusmodi carnificinam vel ipsi Catholici a Sanguinario Voto alieni, quod cernerent Imprudenter ac Temere eligi in casu isto mortem, sine ullo pari exemplo; neque enim ullum Historia Ecclesiastica suppeditat; & sine suffragio aliquo Romanae Ecclesiae, quae Piam quidem laudat Sententiam, quippe nullum inde incommodum emanat in Ecclesiam, in doctrinam Fidei, neque in Rempublicam; sed nullo unquam indicio probavit pro ejus tutela mortem oppetere volentes. Putat heic Parthenotimus amoliri se posse horrorem istius carnificinae exemplo bellorum & proeliorum tam saepe occurrentium. *Non horrent animi*, inquit is num. 280. *quod plura hominum millia jam sint caesa* in bellis; horrentne, si *solum amore Virtutis*, *atque Pietatis causa caedi possent?* Sed expectanda non erat a viro tam docto & pio id genus responsio. Itaque regerendum est, horrere etiam animos, quoties tot millia Fidelium Christi in proeliis cadunt. Sed haec infelicia sunt corruptae Naturae Mala, quibus mederi, & quae avertere nulla ratione possumus. Ad haec ingemiscit Ecclesia, & concordiam quotidie curat, quotidie a Deo precatur inter Christianos Principes. Plus ipsa praestare non potest. Verum in casu nostro si Christi Fideles tormentis & securibus expositos cerneremus, sine ulla necessitate, sine suffragio Ecclesiae, pro Pietate, ut ajunt, sed revera pro Opinione, sive pro Pietate vitiosa: quis non horreret? Et quum in manu Ecclesiae sit inconsultum hoc Vitae sacrificium impedire, donec ipsa Quaestionem dirimat: sperandum est fore, ut scandalum hoc tandem ipsa animadvertens, salubri Decreto hujusmodi Imprudentiae ac Temeritati prospiciat. Interea a me minime expectes, ut refellam, quae habet Parthenotimus Diss. II. Cap. 8. ubi ostendendum suscipit, *nec parvae Necessitatis*, *nec parvae Utilitatis esse Pietatem in Voto tuendi Immaculatam Deiparae Conceptionem usque ad Sanguinem*. Aerea quippe ejus argumenta facile unusquisque agnoscat, innixa nem-

pe falso supposito, quod legitimum & laudandum *Pietatis* opus exerceat, qui pro ea Sententia moriatur; & acceptum esse Virgini ejusmodi sacrificium, quum incertum adhuc sit, an Deus Virginem praeservaverit, & quum ipsa Deipara probare non possit, nos una *Persuasione* ductos, quae Erroris formidinem minime excludit, violare interea Certissimum Dei Praeceptum de Vitae custodia. Denique parum Utilitatis, nihil Necessitatis esse in Quaestione de Virginis Conceptione, satis Ecclesia prodidit, quum quaestio haec a tot Saeculis vigeat, eamque nondum ipsa Ecclesia dirimere voluerit. Sin autem vera sunt, quae Lampridius, & nos hactenus disseruimus, non solum nulla utilitas aut necessitas Voti Sanguinarii occurrit, sed quidem utile ac necessarium Religioni Sanctissimae foret, tam inconsultum Votum proscribi. Horrorem quoque in nobis Parthenotimus num. 117. atque alii excitandum curant ex incursu Peccati originalis. Quis tamen hoc in Virgine horruisset, aut horreret, si jamdiu apparuisset, aut appareret, aliam fuisse Deo voluntatem, quam quae a patronis Piae Sententiae traditur? Neque heic horrorem concipiunt contrariae Opinionis asseclae, quanquam Devotione erga Deiparam nemini concedant, quia in ipso eodem primo, aut saltem in secundo instanti *Sanctificatam* immediate a Deo Mariam credunt. Ceterum nolo mihi excidat laudare sinceritatem Patris Candidi Parthenotimi, cujus sunt haec verba num. 286. *Ego numquam Votum ad Sanguinem usque emisi, licet quotannis, sine illa clausula, post professionem Fidei consueverim illud emittere. Et haec est praxis in Academia Panormitana Societatis Jesu omnium, qui Theologica, aut Philosophica Laurea donantur, videlicet sine clausula ad Sanguinem usque Votum illud emittere, nulla tamen obstricti sunt lege Academiae aut scripta, aut tradita. Neminem ad illud Votum cum laudata clausula emittendum hortatus sum.* O utinam Prudentiam, & in operando circumspectionem piissimi hujus Theologi, atque ejus sodalium, omnes imitati fuissent, aut imitarentur; non vero illorum, qui Novitates periculosas in Ecclesiam Dei invehendas interdum, & praesertim in casu nostro curant: Lampridio nulla fuisset cum eo disputatio, nullaque necessitas inquirendi, sitne, an non, conjuncta cum Probabili Pia Sententia Certitudo. Quod si in nobilissima Urbe Panormitana post litem motam ii novos Proselytos sollicito studio sibi quotidie conquirunt, & re ipsa ad se trahunt: hoc nihil mirum est, uti neque mirandum, vel ipsos piissimos Reges tam saepe eorum consiliis adductos fuisse ad nihil omittendum, quo victoria sibi in hoc certamine decernatur. Notum quip-
pe

pe eſt, quam nullo negotio in Fidelium corda invehantur, quaecunque ſpeciem Pietatis gerunt, & animoſa Eloquentia depraedicantur, & praecipue ſi una cum Pietate gloria Nationis, decus Ordinis ſui conjungatur. Panormitana autem Civitas laudanda profecto eſt, tum quod ſemper ſuis Regibus fideliſſima fuerit, tum etiam quod ſingulari erga Deiparam, atque erga Immaculatam illius Conceptionem, Devotione ferveat. Verum ubi pateat, a vera Devotione abeſſe, atque in Superſtitionem ferri, Vitam quoque vovere velle contra Prudentiae regulas, & contra Eccleſiae mentem, pro tuenda Pia eadem Sententia, ſperandum eſt fore, ut ab eo abſtineat, illudque tandem execretur, & ſingularitate indiſcretae Devotionis abjecta, tot Urbium & Provinciarum ab eo abhorrentium, aut abſtinentium, exempla ſequatur.

Unum reſtat, quod Parthenotimi venia refricandum reor. Adduxerat ille Granadum cenſentem, *poſſe divina Fide credi*, *quod Chriſtus ſit Filius Naturalis Dei*, *ſed non inde licitum eſſe inferre*, *quod ſit Haereticus*, *qui illud negaret*. Sententiam hanc, & commemorantem illam, improbarat Lampridius Cap. XX. Parthenotimus vero ad eam tuendam aut excuſandam multa adfert Diſſ. II. Cap. 27. Fraſſenium, Gonetum, & paucos alios commemorans, qui aut Haereſis incuſare non audent conſentientes cum Felice Orgellitano, & Elipando Toletano, aut aliquo modo illorum ſententiam honeſtandam ſuſcepere. Quod controverſia haec ad illud, quod agimus, nihil pertineat, brevibus ab ea nos expediam. Primo fatetur Parthenotimus, excidiſſe ſibi in ea aſſertione diſtinctionem prorſus neceſſariam, quum non addiderit *ut Homo*. Jure propterea in aſſertionem illam invectus eſt Lampridius. Secundo patet, Communem eſſe in Scholis ſententiam, *Chriſtum*, *ut Homo eſt*, *non eſſe Filium Dei Adoptivum*, *ſed Naturalem*. Videndi in primis Suarius, Vaſquius, Petavius, Thomaſſinus &c. Gonetus ipſe, quem pro ſe Parthenotimus adfert, Tom. 12. Diſp. 23. Art. 2. haec habet: *Chriſtum ut Hominem in ſenſu materiali & identico eſſe Filium Dei Naturalem*, *fatentur omnes Theologi*, *nec ab aliquo poteſt negari*; *eſt enim Veritas Fidei*, *eadem Certitudine tuenda*, *qua credimus Myſterium Incarnationis*. Scholaſticorum vero quorumdam ſubtilitas argumentum hoc verſans Dogma iſtud in ambages pertraxit, docens, *Chriſtum*, *in quantum Homo* (*ly in quantum reduplicante Humanitatem Verbo unitam*) *non eſſe Filium Naturalem Dei filiatione fundata in Humanitate*, *quatenus Verbo unita*, *aut in ſanctificatione Humanitatis a Verbo*. Haec idem Gonetus, qui poſtea in hanc alteram Concluſionem deſinit: *Chriſtus in quantum Ho-*

mo, per gratiam unionis est Filius Dei Naturalis formaliter, ly in quantum determinante in recto, non Naturam, sed suppositum ut in illa subsistens, non reduplicative, sed specificative. Quousque processerit Scholasticorum subtilitas, manu tenes. At quid Catholicis agendum? Non hasce subtilitates novit Ecclesia. Eadem Felicem & Elipandum Haeresis damnavit, quod *Christum, ut Homo est, Adoptivum Dei Filium* depraedicarent. Plenarium Francofordiense Concilium, aliaque Concilia, Hadrianus I. Romanus Pontifex, Paulinus Aquilejensis, Alcuinus, & alii anathema in eos pronuntiarunt. Felix ipse in Romana Synodo errorem hunc abjuravit. Peto nunc ego: Romani Pontificis Infallibilitatem creditne, an non, Parthenotimus? Si credit: ecquando liceat auctoritati Hadriani Summi Pontificis, quocum concors pergit Communis Theologorum sententia, paucos opponere Theologos, eosque tanti momenti venditare, ut ab Haeresi excusari possint cum Felice & Elipando sentientes? Si haec licent, actum est paene dixi, de doctrina Fidei. Sed insurgit Parthenotimus num. 303. suspicionem movens cum Binio de veritate Actorum Concilii Francofordiensis. Tum num. 305. Romanam Synodum in dubium revocat, atque in haec verba desinit: *Eadem huic Synodo (Si qua est) adhibetur responsio, quae adhibita est Forojuliensi: nimirum non sunt divina Fide credenda, quae non definiuntur a Papa ex Cathedra docente, vel a Concilio Generali.* Equidem repeto, si ejusmodi effugiis locus futurus est in sacra Theologia, nimis multis in quaestionibus Fidei doctrinam intemperantia ingenia pervertere, aut eludere possent. Certissimum est, proscriptos fuisse variis in Conciliis errores Felicis & Elipandi. Concilii Ratisponensis, Romani, Francofordiensis meminere Historici, & Scriptores coaevi. Summus Pontifex Hadrianus, uti constat ex ejus Literis, & ex ejus Legatis ad Francofordiense Concilium missis, eamdem Haeresim perculit; atque de ejus Romana Synodo testem habemus Poetam Saxonicum. Leo quoque III. Romanus Pontifex in altera Romana Synodo Anno 799. idem praestitit. Vide Baronium, Natalem Alexandrum, Pagium &c. Quis nunc audeat dicere, Papam haec minime decrevisse *ex Cathedra docente?* Faveatne, an detrahet auctoritati Romanae Ecclesiae, qui ejus definitionem ex Cathedra negat in caussa Felicis & Elipandi, aliorum esto judicium. Neque plura loquutus est Romanus Abbas, silendi veniam deprecatus. Quae autem ille differuerat, a me in commentarium conjecta, accipe mi Azevede, ac de iis tu quoque judicium tuum interfere. Vale.

Neapoli IV. Kal. Febr. MDCCXLII.

Doctissimo & amantissimo Azevedo suo Ferdinandus Valdesius S. P. D.

EPISTOLA DECIMAQUARTA.

ULTRA duos menses abesse Neapoli suis praepeditus negotiis coactus est Romanus Abbas. Quum vero fuisset regressus, ac satis otii nactus, ad ejus aedes me contuli, & consueta humanitate exceptus, ab eo tandem sciscitatus sum, jure ne an injuria objecta a quibusdam Lampridio fuerit Pontificiorum Decretorum transgressio, quando is Quaestionem de Immaculata Conceptione Virginis jamdiu sopitam excitavit, & Piam Sententiam tacite saltem, sive indirecte, convellere nisus est. Ille vero manu in peram immissa aliquot folia utrinque scripta eduxit, iisque mihi commonstratis dixit: Nullus nunc erit hodie nobis labor, hunc enim ipsemet Lampridius praeoccupavit. E publicis namque typis exiit Epistola Anonymi cujusdam ad Anonymum *S. R. E. Cardinalem* Italice scripta adversus Lampridium, cujus Auctorem si paene a Furiis actum dicas, non injuria dicas. Suum proinde duxit Lampridius alteram reponere Epistolam, cujus exemplum nuper accepi & legi, legendumque tibi nunc exhibeo. Italico sermone & ista conscripta fuerat, sed minime typis data. Quod censerem tibi quoque, Azevede amantissime, gratissimum fore, eamdem habere perspectam, in Latinum a me postea conversam nunc ad te mitto. Ita ergo Lampridius Apologiam suam contexit.

„ Eminentissime Princeps.

„ Delata est ad me Epistola quaedam *ad Cardinalem N. N.* exa„ rata, proeloque commissa, cujus Auctor mihi ignotus nullum non „ movet lapidem, ut meum de *Voto Sanguinario* judicium non deli„ rantis tantummodo, sed impii etiam hominis foetum ostendat. Non „ diu post certo rescivi, Eminentiam vestram eam esse, cui me tam „ nigris coloribus nigrior ille Anonymus pingere non est veritus: „ quod mihi molestum in primis fuit. Nam etsi nulla unquam mei „ erga te, Eminentissime Princeps, obsequii professione patrocinium „ gratiamque tuam paraverim, ab amplissimo tamen amico quo-

„ dam

„ dam viro monitus fueram, honestum aliquem locum in mentis tuae „ sacrario meo quoque nomini antea datum fuisse. Si bonam hanc „ de me opinionem, & falsis quidem accusationibus, ab Eminentia „ vestra averteret Anonymus, sortem meam profecto dolerem. Sed „ quae est Sapientia vestra, aut nullam Declamator ille fidem in tri- „ bunali vestro impetrarit, aut saltem quando unam ei aurem con- „ cesserit Eminentia vestra, nullus dubito, quin alteram mihi quo- „ que reservaverit. Sit igitur mihi venia a benignitate vestra, ut ea „ fidenter exeram, quae tutela non minus Veritatis, quam Honoris „ mei in contentione ista exposcit. Quot gravibus contumeliis tum „ Anonymus ille, tum nonnulli ejus commilitones debacchati in me „ fuerint, perquam notum est: quae an viros deceant Religiosos, vi- „ ros Theologos, atque depraedicantes e sacro suggestu Virtutes Chri- „ stiano homine dignas, ipsi viderint. Porro quod iidem Censores „ me ineruditum, indoctum appellent, & nihili me faciant, id me „ neutiquam angit, utpote qui reor, mecum eos liberaliter agere, „ qui me infimis, si tantum impetrare possum, Literarum cultoribus „ accenseant, & vires nisi modicas ingenio meo tribuere nunquam „ consuevi. Me quoque, prout vult, posterior Declamator num. 68. „ *Senem capularem*, jamque in *Dementiam* ac *Deliria* prolapsum di- „ ctitet. An gravis hujusmodi contumelia, in Evangelio ipso damna- „ ta, excusari possit, judicabunt ii, qui Librum ipsum *de Superstitio- „ ne vitanda* sine affectu partium legerint. Fortassis etiam desuturi „ non sunt, qui contumelioso huic homini in mentem revocent an- „ tiquum adagium: *Bos lassus fortius pede figit humum*. Haec, in- „ quam, me neutiquam perturbant; neque enim heic situm Hono- „ rem meum duco, sed quidem in Honestate actionum, & in offi- „ ciis Sanctissimae Religionis, quam profitemur. Ubi me in his de- „ ficientem arguere juste possint adversarii mei, tunc non eos tan- „ tum, sed & me ipsum mihi succensere aequum erit. Verum eos „ injuria agere, brevi, ut spero, Eminentia vestra, intelliget. Atque „ utinam pacato animo refellere haec possim, ita ut de me quoque „ dicere liceat, quae Sanctus Augustinus ad Petilianum scribebat Lib. „ III. Cap. 1. *Si & ego tibi vellem pro maledictis maledicta repende- „ re, quid aliud quam duo maledici essemus, ut ii, qui nos legerent, „ alii detestatos abjicerent sana gravitate, alii suaviter haurirent mali- „ vola voluptate?*

„ Duo igitur consideranda heic sunt: alterum est controversiae „ nostrae status; alterum accusationes in me ab adversariis instructae

„ ob

„ ob ejusmodi controversiam. Ad primum quod attinet, en quid ego „ sentiam. Pia est, & Probabilis Sententia asserens *Praeservationem* „ Deiparae ab originali macula in sua Conceptione. Probabilior etiam „ videtur, quam contraria. Eidem Catholicorum plerique favent, & „ praecipue Romani Pontifices, ac proinde laudandi, qui Devotionem „ erga Virginem Immaculate Conceptam laudant & promovent, Cul„ tumque illius, & Festum sub ea significatione celebrant. Hanc i„ psam Devotionem ego quoque commendo, ac semper Populo com„ mendavi, & suasi, nullique unquam ob eam molestus fui, neque „ ero, dum inde excessus absint. Verum Sententia haec inter Proba„ bilitatis fines adhuc constricta est, & nondum ad Certitudinem e„ vecta, qualia sunt innumera in Religionis & Pietatis Regno. Mi„ hi id affirmanti, aliisque secus clamantibus, non est credendum. „ Magistram nostram consulamus Romanam Ecclesiam, cujus voce „ & exemplo tum nostra Fides, tum nostra Devotio regenda est, ne „ in errores prolabamur, & a qua discedere, aut impietas, aut res „ plena periculi est. Pontifices iidem, qui Piae Sententiae multum „ favoris sunt impertiti, & quotidie impertiuntur, ipsi palam profi„ tentur, etiam tenebris circumseptam Veritatem intimam Immacu„ latae Conceptionis. Nimirum Probabilitatem duntaxat, idest Appa„ rentiam Veritatis, in ea agnoscunt, dum Quaestionem inter Scoti„ stas & Thomistas a tot Saeculis agitatam, indecisam adhuc relin„ quunt, ac Thomistas suae Opinioni adhaerere pacifice sinunt, quam„ vis laudabili Disciplinae Ecclesiasticae consilio ad scandala & jurgia „ vitanda eorum vocem & calamos ad silentium adegerint. Quum „ hoc ipsum silentium Thomistis Romani Pontifices indixere, prote„ stati sunt, se eorum Opinioni *nullum Praejudicium inferre* velle, „ ut legitur in Bulla Gregorii XV. quam *innovavit* Alexander VII. „ postremus scilicet eorum Pontificum, qui fraenos Thomistis impo„ suit, sed simul testatus, *ab Apostolica Sede nondum decisam fuisse* „ *Quaestionem, prout ne ipse quidem decidere voluit.*

„ Ego heic judicium Eminentiae vestrae appello, ut audiat at„ que perpendat, quid Anonymus nuper memoratus scripserit pag. 4. „ Epistolae suae. *La vera Teologia insegna, che chi ammette nella* „ *Vergine il reato originale, SI OPPONE alla mente del Sagro Con*„ *cilio di Trento.* Immo, ajo ego, Falsa tantum Theologia docere „ hoc potest, uti mox ostendam. Pergit ille, adferens Concilii verba „ Sess. V. ubi de Peccato originali actum est: *Declarat tamen haec* „ *ipsa Sancta Synodus, non esse suae intentionis comprehendere in hoc*

„ *De-*

„ *Decreto*, *ubi de Peccato originali agitur*, *Beatam & Immaculatam*
„ *Virginem Mariam Dei Genitricem*. *E qui rinova il Santo Concilio*
„ *le Costituzioni e le pene Ecclesiastiche di Sisto IV. contro gli Oppo-*
„ *sitori dell' Immaculata Concezione &c. Che più vi vuole per opporsi*
„ *alla mente*, *all' intenzione del Concilio?* Ita ille, ingenti contemtu
„ Eminentiae vestrae, quem inscium Veritatis, & facile fallendum
„ supponit, & cum gravissima deceptione Populi Christiani, quem ad
„ hasce ambages extricandas ineptum nemo nescit. Quidnam ignara
„ gens de me non dixerit, quasi in Deipara originalem reatum ad-
„ miserim, quod nunquam feci; & quod pejus est, contrariam Tri-
„ dentini Concilii Decreto doctrinam tradiderim? Piget dicere: gran-
„ dis flagitii rationem Deo, & Christianae Reipublicae redditurus
„ est, qui talia publicis etiam typis tradere, & quidem *Italico ser-*
„ *mone*, nihil veritus Suspensionis poenam a Pio V. P. M. ipso facto
„ sibi inflictam, atque in ipsa media Urbe aeterna, disseminare non
„ erubescit. Post adducta verba leguntur haec alia in Tridentino
„ Concilio. *Sed observandas Constitutiones felicis recordationis Sixti*
„ *Papae Quarti sub poenis in eis Constitutionibus contentis*, *quas in-*
„ *novat*. Probe novit Eminentia vestra quid Sixtus decreverit. Is vi-
„ delicet Anathemate perculit statim incurrendo, qui affirmare prae-
„ sumeret, Piae Sententiae assertores *alicujus Haeresis labe pollutos fore*,
„ *vel mortaliter peccare*. Tum *simili poenae ac Censurae subjicit eos*,
„ *qui ausi fuerint contrariam Opinionem tenentes* (scilicet Thomistas)
„ *Haeresis crimen*, *vel peccatum incurrere mortale*, *cum Nondum sit a*
„ *Romana Ecclesia & Apostolica Sede decisum*. Ergo Sixti Constitu-
„ tionem innovante Concilio Tridentino, nunquam ejus mens fuit
„ *Immunitatem* Virginis statuere, aut Opinioni de *Sanctificatione prae-*
„ *judicium* inferre: Subsequuti Pontifices, in rei substantia nihil a Prae-
„ decessoribus discordes, idem Sixti Decretum confirmarunt. Confir-
„ mavit etiam postremus inter eos Alexander VII. Rursus Theolo-
„ gia vera (diversa sane a Theologia istius Anonymi) docet, *Pon-*
„ *tifices*, *& Patres Concilii Tridentini*, *integrum Fidelibus reliquisse*,
„ *ut quam velint partem* (de Conceptione Virginis) *sequantur*, uti
„ inquit Vasquez Tom. II. in 3. P. qu. 27. Art. 2. Disp. 117. Cap.
„ 14. quo cum concors pergit Suarez Tom. II. in 3. P. quaest. 27.
„ Art. 2. Disp. 3. Sect. 6. Gregorius de Valentia Tom. IV. Disp. 2.
„ qu. 1. pun. 2. ut alios Theologos omittam. His positis, decernat
„ tandem Eminentia vestra, quam notam incurrerit, qui tam enor-
„ mi Sententia illudere se posse arbitratus est tum ipsi Eminentiae
„ ve-

„ vestrae, cujus eruditio perspecta est, tum incautis Ecclesiae Catholi- „ cae Fidelibus. Quum vero *Haeresis* crimen a se amoliri non pos- „ sit, qui Decretis & menti Concilii Tridentini in re Dogmatica au- „ deat adversari; & quum in ipsos quoque Thomistas contrariae O- „ pinioni adhaerentes venenatum Anonymi telum cadat: decernat e- „ tiam Eminentia vestra, annon is demum insultaverit Pio V. alii- „ sque Romanis Pontificibus, ipsique Concilio vetantibus, ne *Haere-* „ *sis*, immo ne *Erroris* quidem insimulentur sectatores Thomisticae „ Sententiae.

„ Neque ex Conceptionis Festo ulla Certitudo in Piam Senten- „ tiam redundat. Telum hoc veluti ineluctabile exeruerat doctissi- „ mus Pater de Luca, suisque commilitonibus suasit, in eo potiorem „ victoriae spem esse repositam. Eodem in vestibulo suae Epistolae „ utitur Anonymus Declamator, & Rhetoricis Figuris in me invehi- „ tur, *Certam Certissimam* avasisse ex eo Festo Sententiam conten- „ dens, quia Festi hujus Objectum est primum instans *Praeservatio-* „ *nis* Marianae, & sub ea significatione Festum ab universa Ecclesia „ est celebrandum. Neque perspiciunt tam docti viri, se non dicam „ Picininorum, aliorumque Haereticorum, sed Fidelium ipsorum ri- „ sui exponere ejusmodi commentis Apostolicam Sedem? Si *Certam*, „ ac *Certissimam* per Festi hujus institutionem Romani Pontifices de- „ crevere Piam Sententiam, & *Errare nequit Ecclesia*, uti Pater de „ Luca, & Anonymus Declamator num. 22. docuerunt, *in praescri-* „ *bendo publico cultu Sanctorum:* quid est quod iidem semper prote- „ stati sunt, se nolle dirimere controversiam, liberumque unicuique „ dimittunt contrariae etiam adhaerere Opinioni? Nonne hoc foret „ una manu destruere, quod altera aedificasset? Aut ergo Impruden- „ tiae, si Superis placet, damnandi sunt summi Pontifices, aut in nu- „ bibus fabricata est Theologorum istorum argumentatio. Neque e- „ nim prodest dicere, non Certam de Fide: sed Certitudine absoluta „ donatam jam fuisse Scotisticam Sententiam. Si enim tantam in ea „ Certitudinem deprehendissent Pontifices Maximi, aut modicae De- „ votionis ac Pietatis erga Deiparam, aut alicujus alius parum lau- „ dabilis affectus incusandi jam forent, quod licet tot precibus piissi- „ morum Regum pulsati ac fatigati, a contraria tamen Opinione da- „ mnanda, & Pia inter articulos Fidei referenda abstinuerint. Posita „ Certitudine alicujus Sententiae, quae definiri de Fide possit (cuju- „ smodi est utraque de Conceptione Opinio) ministerio suo defuissent „ Concilia & Pontifices, si ejus Veritatem statuere post tot Saecula

„ noluissent. Sed aequivocationes hinc removeamus. Volens Pius ad „ universam Ecclesiam extendere Missam & Officium a se constituta, „ ita eadem composuit, qualia nunc habemus, ut qui alteram Opi„ nionem amplectuntur, Festum celebrarent sine ejusdem suae Opi„ nionis detrimento. Qua ratione cum illi sub significatione *Praeser„ vationis*, tum isti *Sanctificationis*, cultum Sanctissimae Virgini prae„ starent, uti adhuc praestant; propterea Gregorius XV. *praecepit, ut „ in sacrosancto Missae Sacrificio, ac divino Officio celebrandis, tam „ publice quam private, non alio quam Conceptionis nomine uti de„ beant*. Quibus verbis mirum est, quei nunc nonnulli sibi persua„ deant, Immaculatam tantummodo Conceptionem per illud Festum „ designari, quum contra manifestum sit, cautum hac via fuisse, ut „ utrique factioni Festum Conceptionis aptaretur, & unusquisque se„ cundum suam Opinionem illud celebraret. Nihil heic immutavit „ Alexander VII. idque nemo non agnoscat, illius Constitutionem „ attente legens. Laudat ille tantummodo Pie credentes, Virginem „ sine labe fuisse Conceptam; laudat colentes eandem secundum hanc „ Piam Sententiam, eorumque Cultum nunquam immutatum a ne„ mine impugnandum decernit. Sed falsum est, unicum Festi Obje„ ctum declarari ab eo *Immunitatem* Deiparae. Falsum, juberi uni„ versam Ecclesiam sub ea significatione celebrare Festum Conceptio„ nis. De hoc nihil inde exsculpas. Qui secus sentiat, Romanum iste „ quoque Pontificem incaute cachinnis inimicorum exponit, quasi is „ ex una parte liberum sinat Thomistis in sua haerere Sententia, & „ ex altera eos in celebrando Festo cogat contrariam corde profite„ ri. Quamobrem Eminentia vestra jam videat, Anonymum; eju„ sque conjuratos, falsis suppositis usos, Certitudinem nunquam a sum„ mis Pontificibus in Festo illo probando somniatam, voluisse nobis „ obtrudere. Superfluum porro est alia addere ad ostendendum, tot „ alia Festa in Ecclesia Dei celebrari, quorum non est Certum obje„ ctum; sed quia ex Probabilibus rationibus Apparentia Veritatis in „ eorum objecto elucet, satis est id Prudentiae Pontificum & Eccle„ siae, ut ea non solum permittant, sed etiam laudent, & favore „ prosequantur. Denique insignes Theologi Bellarminus, Suarius, Va„ squius, Valentia, & Raynaudus jamdiu tradiderant, nihil ad sta„ tuendam Certitudinem Piae Sententiae conferre Festum Conceptio„ nis; & nihil, ut dixi, immutatum in eo postea fuit sub Alexan„ dro VII. Sed quid pluribus moror Eminentiam vestram, quando „ ipsi Piae Sententiae Patroni ante paucos annos supplici Libello a

„ Cle-

„ Clemente XII. P. M. petierunt, ut declararet Mysterium Immaculatae Conceptionis vel *ut res de Fide*, vel ut *Certa infra Fidem*, „ *sed cum Certitudine Aliqua infallibilis Veritatis*. Ergo ipsi confessi „ sunt, nondum ab Apostolica Sede Certitudinem agnosci in Pia „ Sententia.

„ Ingentem Anonymus Declamator deinde congeriem Pontificiarum Constitutionum exerit a num. 23. usque ad 49. in quibus „ summi Pontifices laudarunt Piam Sententiam, Confraternitates, Ordines militares, Ecclesias, Monasteria &c. secundum eamdem instituta Indulgentiis, aliisque favoribus sunt prosequuti. Sed in quem „ finem ista? Si ut palam fiat, Romanam Ecclesiam favere Piae Sententiae, & Cultui secundum eam Deiparae exhibito: jam concordes pergimus. Idem professus fuerat Alexander VII. Sin Declamator putavit, emergere ex eis posse Certitudinem ejusdem Sententiae, male rationes iniit. Lauretano Templo, quod ibi conceptus „ credatur Christus; Compostellano, quod ibi quiescere feratur Jacobi majoris Apostoli Corpus, aliisque innumeris locis, Reliquiis, „ Ordinibus Religiosis sub aliqua particulari Devotione erga Virginem Sanctissimam institutis, plurimos favores, Indulgentias, Privilegia Romani Pontifices contulerunt. Certum tamen nunquam evasit eorum Objectum, sed inter Probabilitatis, & laudabilis Opinionis fines adhuc detinetur. Quamquam quid ajo? Postquam disertissimis verbis tot summi Pontifices edixere, indecisam se relinquere „ sortem utriusque Sententiae, sive Opinionis, atque in eo statu eas „ adhuc versari, in quo Sixti IV. aevo jacuere; & neminem peccare, qui Thomisticam foveat: nihil aliud agit, nisi contra mentem „ Romanae Ecclesiae certare, ejusque auctoritatem despectam habere, quicunque *Certitudinem* in Piam Sententiam, invita & reluctante eadem Ecclesia, invehere nititur. Neque haec expectanda „ ex Academiis plerisque, eandem Sententiam profitentibus; neque „ enim illae nisi Piam & Probabilem ipsam depraedicant, paratae „ semper sequi Apostolicae Sedis Decreta; atque ideo ad illam unam „ tuendam sese adstringunt, ut dissidia & scandala vitentur, libertate „ cuique relicta sentiendi in corde suo, quod veritati magis consonum credunt. Certe nulla ferme ex iis Votum Sanguinarium concipit, de quo nunc controversia fervet; neque inter nos disputatur, „ an Prudenter Academiae adhaereant Piae Sententiae; id enim Prudentissime ab iis factum lubens, & ego agnovi, rursusque agnosco. „ Quod si Anonymus pertrahit huc Facultatem Sorbonae, quae An-

„ no 1736. Votum ſive Decretum de Immaculata Virginis Conce-
„ ptione renovavit: quaerendum eſt, an Theologos deceat, atque
„ hunc praeſertim, qui ad Eminentiſſimum S. R. E. Cardinalem
„ ſcribit, exaltare Schiſmatici Concilii, & Pariſienſis Facultatis hac
„ de re Decreta, quamquam manifeſtum ſit, illa Tridentino Conci-
„ lio ab omnibus recepto, iſta vero tum ejuſdem Concilii Decreto,
„ tum Conſtitutionibus Sixti IV. & ſubſequentium Pontificum aper-
„ tiſſime adverſari. Notum eſt, vel ipſum Joannem Launojum, quam-
„ vis ejuſdem Facultatis membrum, circiter Annum 1677. in illa
„ Baſileenſium & Pariſienſium de Conceptione Decreta palam dimi-
„ caſſe, oſtendendo, eadem contraria Scripturis divinis, Traditioni
„ Patrum, Eccleſiae Romanae documentis, ipſiuſque Tridentinae Sy-
„ nodi Decreto; atque inſuper Pariſienſem Academiam receſſiſſe a
„ ſententia Praedeceſſorum ſuorum, quorum amplum Catalogum te-
„ xit; illi quippe *Praeſervationem* Virginis excluſerunt, *Sanctificatio-
„ nem* vero tantummodo ſunt amplexi. Exploratum pariter habemus,
„ poſtremis hiſce temporibus Pariſienſes (multis tamen reclamanti-
„ bus) neglectum illud Decretum reſtauraſſe, atque honorem Schi-
„ ſmaticis Baſileenſibus conciliandum curaſſe, ut ejus ope deinde ute-
„ rentur ad imminuendas atque infringendas Apoſtolicae Sedis prae-
„ rogativas. Nihilo tamen ſecius Theologos videmus, atque in ipſa
„ Urbe Roma, ad tuendas imaginationes ſuas ea inculcare, quaſi ne-
„ mo, & neque Eminentia veſtra, animadvertere poſſit, in quantum
„ dedecus Eccleſiae Romanae eadem vergant. Praeterea ingenioſus
„ Declamator num. 18. *Sanctum Bernardum*, ſi nunc in vivis age-
„ ret, receſſurum ab Opinione contraria Immaculatae Conceptioni
„ contendit. Quid facturus foret Sanctus ille Abbas, neque ego, ne-
„ que Anonymus novimus. Illud quidem certum mihi videtur, in-
„ ſtitutionem Feſti de Conceptione, qualis revera eſt, uti vidimus,
„ & non qualis falſo ſupponitur ab eodem Anonymo, non coactu-
„ ram Bernardum renuntiare praeconceptae Opinioni, quandoquidem
„ ne ullus quidem nunc ejuſdem Feſti cauſſa adhaerere cogitur Piae
„ Sententiae. Sanctum quoque *Thomam Aquinatem* a contraria Opi-
„ nione abfuiſſe, quibuſdam memoratis Codicibus, ſe poſſe ſuadere
„ ille arbitratur. Quaſi Scotiſticae Sententiae quidam addicti in de-
„ ſcribendis ante Typographiam ejus Libris non potuerint, quae ipſe
„ nunquam excogitavit ſupplere. Sed alii Codices ejus doctrinae te-
„ ſtes ſuperſunt; cum illius principiis Scotiſtica pugnat; & in Pari-
„ ſienſibus Scholis illius aevo Communis erat contraria Piae Senten-

„ tiae

„ tiae Opinio. Proinde ejus vestigiis insistentes discipuli ejus Fratres
„ Praedicatores eandem tueri perrexerunt, ipsamque adhuc in corde
„ suo profitentur. Multos quidem ex eo Ordine commemorat Ano-
„ nymus a num. 50. usque ad 62. Piam Sententiam amplexos: im-
„ mo, si ei credimus, *uno de' più impegnati a favore della Concezione*
„ *Immaculata è stato il dottissimo, e del pari Santissimo Ordine Do-*
„ *menicano fin dalla sua prima Concezione. Voglio dire fin dal gran*
„ *Patriarca S. Domenico &c.* Sed quam lepida sit, quantumque a ve-
„ ritate absit assertio haec, non est meum, neque hujus loci osten-
„ dere. Interrogentur ipsi Fratres Praedicatores, qui etiam narra-
„ bunt, quot turbis ob hanc caussam obnoxii in Hispania fuerint,
„ & quot Cathedris identidem spoliati; a multo enim tempore vio-
„ lentia & humanae artes in hujusmodi controversiam pedem intule-
„ re. Quot autem ex ipsis Academiis, aliisve Ordinibus Religiosis,
„ doctisque aliis viris, Thomisticam etiam nunc foveant de *Sanctifi-*
„ *catione* Sententiam, quis dicere possit? Audimus enim Scotisticam
„ asserentes, negantes audire non possumus.

„ Quum igitur nondum Pia Sententia ad ullum Certitudinis
„ gradum assurrexerit, praeeunte heic nobis Romana Ecclesia Magi-
„ stra nostra: quid tamen factum fuerit, animadvertendum nunc re-
„ stat. Postquam in Hispania emersere nonnulla Chronica spuria, ac
„ Laminae Granatenses sub finem Saeculi XVI. & principium sequen-
„ tis, Novitas non una invehi coepta est in laudabilem, ac certe
„ Piam atque Probabilem Scotistarum Sententiam de *Immunitate Dei-*
„ *parae* a labe Originali. Antea apud Theologos ipsius *Praeservatio-*
„ *nis* patronos *Communis* Sententia fuerat, immunem quidem fuisse
„ Deiparam ab ea labe, non vero a *Debito* illius contrahendae; ne-
„ que enim alia commodior via occurrebat ad explicandos Sanctos
„ Patres, Peccatum originale excludentes a Solo Christo Domino.
„ Invalescere nihilominus coeperunt, qui *Debitum* hoc in Virgine
„ inficiabantur. Crescente deinde licentia, quod hiscere contra nemo
„ auderet, quamquam ad veteres rationes nihil novi accessisset, in-
„ venti sunt, qui traderent, Piam Sententiam *Certitudinis* fastigium
„ attigisse, atque ejus Certitudinis, ut pro ea tuenda Sanguinem &
„ vitam dare non solum liceret, sed & meritorium foret; atque in-
„ de natum *Votum Sanguinarium*. Nec defuere, qui lauream quoque
„ *Martyrii* hisce occumbentibus pollicerentur. Ad Postremum deni-
„ que confidentiae sive licentiae gradum nonnulli postea processere,
„ scilicet Cusentini, qui magnificum & heroicum facinus supra cete-

„ ros

„ ros meditati, suae vitae periculo sese obligarunt ad tuendam Im-
„ munitatem Virginis vel ab ipso *Debito* culpae originalis. Tria igi-
„ tur habemus Novitatis capita postremis hisce temporibus in Eccle-
„ siam Dei confidentissime invecta, & quidem de gravissimis rebus.
„ Ex prima vero Opinione pernicies imminere potest Doctrinae Fi-
„ dei, quando, ut postea dicam, sacra Patrum Traditio in discrimen
„ per eam adduceretur. In geminis subsequentibus Opinionibus non
„ solum puritati Doctrinae Catholicae detrimentum adferri potest,
„ sed etiam agitur de Temere prodigenda mortalium Vita: quod in
„ humanis rebus quanti momenti ac ponderis sit, nemo non novit.
„ Perspectum Eminentiae vestrae est, quam periculosa non raro sit
„ Novitas Opinionum in Fidei ac Morum doctrina, & Vincentium
„ Lirinensem Cap. 21. Commonitorii execratum tandiu fuisse eorum
„ *Vesaniam*, *Impietatem*, *ac errandi Libidinem*, qui non contenti *tra-*
„ *dita semel & accepta antiquitus credendi regula*, *Nova ac Nova in*
„ *diem quaerunt*, *semperque gestiunt Aliquid Religioni addere*, *mutare*,
„ *detrahere*. Inter hosce adnumerandos esse, qui tria illa Novitatis ca-
„ pita in Ecclesiam intulere, res ipsa clamat. Quod plus dolendum est,
„ perniciosam doctrinam novae eaedem Opiniones complecti mihi vi-
„ dentur: idque me satis ostendisse in Opusculo *de Superstitione vi-*
„ *tanda* mihi persuadeo. Ad Sanguinarium quorumdam Siculorum Vo-
„ tum quod attinet, jam pro ejus tutela non unus prodiit Libellus,
„ ac praecipue illud honestandum altero Libro suscepit doctus piusque
„ vir P. Candidus Parthenotimus, non insolenti Declamatione (hanc
„ enim gloriam Saguas tantummodo, & Anonymus nuper memora-
„ tus sibi quaerunt) sed moderato stylo usus, qualis Theologum de-
„ cebat. Verum haec ipsa disceptatio, ut arbitror, majori in luce
„ collocavit ejusdem Voti deformitatem, postquam nihil aliud, prae-
„ ter quam aequivocationes & exempla dissona, adlatum fuit, ut ar-
„ gumentis contra militantibus sua vis eriperetur. Liceat mihi, Emi-
„ nentissime Princeps, haec paucis persequi.

„ Quandoquidem animadvertit adversantium acies, Sanguinario
„ Voto praesidium non posse parari ex imaginaria *Certitudine* Piae
„ Sententiae, sincereque confessi sunt, nefas esse pro Opinionibus
„ quamtumvis Piis tutandis animam suam ponere: alium ex arma-
„ mentario Granadi clypeum sunt mutuati. Secundum eos non more-
„ rentur Voventes pro Objecto, sive pro *actu Opinativo*, quod idem
„ est ac dicere pro Opinione de Immunitate Virginis, sed quidem
„ pro *Pietate*, quae certo habetur in illius Opinionis tutela. Pium

„ est

„ est amplecti, Pium tueri Immaculatam Deiparae Conceptionem.
„ Pietas Virtus est Voluntatis; mortem vero oppetere pro Pietate,
„ sive pro actu Pietatis, sive pro Virtute, ex omnium Theologorum
„ sententia non solum licet, sed gloriosum est. Votum autem de
„ tuenda voce & calamo Piam Sententiam cum *vera Pietate* consen-
„ tire egomet confessus fueram: ergo idem dicendum de Voto eam-
„ dem Sanguine quoque tueri volentium. Sed mira in his aequivo-
„ catio est, quia falsum omnino est, Vitam voveri pro *Pietate*, quum
„ res ipsa clamet, Votum concipi pro tuenda *Veritate*, quam voven-
„ tes in ipsa Sententia inesse sibi perperam persuadent. Ad haec ex-
„ ploratum habemus. *Pietatem* ipsam, more ceterarum Virtutum, in
„ Excessum & Vitium ex defectu, aut contemtu Prudentiae declina-
„ re posse; quo casu Virtus definit esse Virtus. Nam, uti ajebat Gre-
„ gorius Magnus Moral. Lib. 2. Cap. 46. *Nisi Virtutes sapientiae e-*
„ *pulis repletae, ea quae appetunt, Prudenter agant, Virtutes esse ne-*
„ *quaquam possunt.* Nullo autem negotio apparebit, Excessum hunc
„ deprehendi in Sanguinario Voto. Donec pius Fidelis Deiparam co-
„ lit & invocat uti in Conceptione Immaculatam, & Piae Senten-
„ tiae adhaeret, eamque rationibus exornat & protegit: Prudentiae
„ nihil in ejus credulitate & opere desideratur; quia Probabilia sup-
„ petunt motiva ita agendi; eique praesto est vox & exemplum Ro-
„ manae Ecclesiae hujusmodi Pietatem probantis & commendantis,
„ dum pendet illius judicium de Veritate Sententiae. Ast ubi Pietas
„ ista eo progreditur, ut Vitam quoque vovere velit pro ejusdem
„ Sententiae defensione, in Excessum enormem & Vitium ipsa pro-
„ labitur ex Prudentiae defectu, & ex Temeritate aperta. Est enim
„ Imprudens ac Temeraria illa Pietas, quae Certissimum Dei ac Na-
„ turae Praeceptum de conservanda Vita violare vult, ut rem Incer-
„ tam tueatur. Rursus Imprudenter ac Temere agit ista Pietas, quum
„ Sanguinis profusio numquam facere possit, ut Certum fiat quod In-
„ certum est. Quisnam quaeso Imprudentiam non agnoscat in homi-
„ ne, Certissimum ac pretiosum Vitae Bonum perdente, quando nun-
„ quam is consequi possit jactura Vitae suae id quod consequendum
„ sibi proponit? Ergo non amplius in isto casu verum est, Pium es-
„ se tueri Honorem Virginis. Pium definit esse, quotiescumque mo-
„ dum tutelae adhibet a Deo, a Natura, ab Ecclesia vetitum. Et
„ quando etiam daremus, tunc Voventem pro Pietate mori, is cer-
„ te morietur pro Imprudenti & vitiosa Pietate: quod minime feren-
„ dum est. Sed quicumque Sanguinarium Votum intime perpendit,

„ uti

„ uti ajebam, probe intelligit, Voventes ad vitam dandam paratos,
„ ut *Veritatem*, quam Certo inesse in Pia Sententia imaginantur,
„ Sanguine suo testentur; ac propterea Parthenotimus *necessariam* ait
„ in Voventibus *Persuasionem* de Certitudine Sententiae. Hoc etiam
„ ex eorum Votis manifeste colligitur. Quum vero, uti jam dixi-
„ mus, Certitudo haec absit, & Honor virginis in casu nostro *Opi-*
„ *nativus* tantummodo sit, pro quo ipsi certare Sanguine suo profi-
„ tentur: eo semper res recedit, illos occumbere velle pro *Opinione*:
„ quod vel ipse Parthenotimus non licere confessus est. Neque ullum
„ hactenus exemplum prodiit, cujus ope & paritate honestari Sangui-
„ narium Votum queat. Ut enim vita Prudenter, & non sine meri-
„ to apud Deum detur, necesse est, ut praecedat. Praeceptum aut
„ Consilium a doctrina Fidei propositum, aut gravissimum Ecclesiae
„ mandatum, quo innixus Fidelis mortem sustineat: cujusmodi sunt
„ exempla Sanctorum Joannis Baptistae, Thomae Cantuariensis, Joan-
„ nis Nepomuceni, aut eorum qui mortem pati mallent, quam sa-
„ crum Votum Virginitatis violare. Quod vero pertinet ad casum
„ nostrum, divino quidem Praecepto jubemur Honorem verum Dei-
„ parae, inter Dogmata Fidei recensitum tueri; ac pro ejus tutela,
„ si occasio se offerat, fortiter dandus est Sanguis. At nullum aut
„ Dei aut Ecclesiae Praeceptum est de tuendo Honore Opinativo, si-
„ ve Incerto ejusdem Dei Genitricis. Et quando etiam velis, exsi-
„ stere de hoc Consilium Ecclesiae: laudandum sane erit tueri voce
„ & calamo Immaculatam ejus Conceptionem, non autem pro ea
„ impendere vitam. Non enim Consilia Ecclesiae solum, sed & ipsa
„ ejus Praecepta plerumque cessant, quotiescumque agitur de pericu-
„ lo vitae, immo & de incommodo gravi salutis, uti videmus in
„ Praeceptis de jejunando, abstinendo a carnibus, audiendo sacrum.
„ Excluso contemtu Religionis & scandalo, Imprudens & stultus fo-
„ ret, qui periculum vitae pertinaciter incurrere vellet, ne hisce Prae-
„ ceptis deesset. Quanto ergo gravior Imprudentia illorum erit, qui
„ Consilium Ecclesiae, respiciens patrocinium Piae Sententiae, tan-
„ tummodo peragendum corde & rationibus, praeponeret divino Prae-
„ cepto de nostrae Vitae custodia? Innumera sunt in Religione, quae
„ Pie credimus, Pie colimus, laudandaque in his est Pietas nostra;
„ neque enim ullum, etiamsi in Objecto falleremur, incommodum
„ in Religionem, nullum in Rempublicam effluere potest. Quis ve-
„ ro docere audeat, etiam Prudenter pro incertis iis Objectis subiri
„ mortem posse?

„ Pro

„ Pro Voto Sanguinario se nequaquam in aciem venisse nos
„ monet Anonymus Declamator. Attamen temperare sibi non potuit
„ num. 9. quominus sibi persuaderet, unico brachii sui ictu extermi-
„ nari posse quaecumque adversus ejusmodi Votum ego dissérueram:
„ *Non cessa*, inquit ille, *per tutto ciò di minacciar ferro e fuoco il*
„ *glorioso Lampridio contro Coloro, che stendono fin' allo spargimento,*
„ *ove bisogni, del Sangue il Voto di difendere l' Immacolata Concezio-*
„ *ne. Non riflette il poverino, che qui trattasi di difendere l' Onore*
„ *della Madre di Dio, e nostra comune Padrona e Madre? Domando:*
„ *avrebbe egli difficoltà di difendere bisognando usque ad Sanguinem*
„ *l' Onor di sua Madre, qualora d' adulterio stata fosse tentata, o in-*
„ *famata? Io voglio e debbo credere onestissima la Signora Madre Lam-*
„ *pridia: tuttavia, a dirla come sta, l' onestà di essa non ha poi nè*
„ *tanta certezza, nè tanti Voti a suo favore, quanto l' Onore della*
„ *Madre di Dio &c. Non sembri intanto a noi così strano e barbari-*
„ *co per l' Onore della Madre di Dio quel Voto, quel medesimo Sacri-*
„ *ficio cruento della Madre di Dio, che l' onorato Lampridio accorde-*
„ *rebbe all' Onore della sua illibata Signora Madre.* Certum est mihi,
„ fieri non potuisse, quin Eminentia vestra haec legens in iracundiam
„ eruperit adversus hominem, qui contemnens Apostoli praeceptum scri-
„ bentis Ephes. V. 4. *Nec nominetur in vobis stultiloquium, aut scur-*
„ *rilitas, quae ad rem non pertinet*, in opprobrium sanctissimae Reli-
„ gionis, & Instituti sui tam pii ac celebris, scurriliter pertractat gra-
„ vissima Theologiae & Religionis negotia; ac tam improvide com-
„ parationem nobis obtrudit inter privatam Mulierculam, & augu-
„ stissimam Angelorum Reginam, ut re diligenter inspecta (pudeat
„ ipsum) melior in hac parte dici possit abjectae hujus mulieris con-
„ ditio, quam Sanctissimae Dei Genitricis. Temere suspicari de foe-
„ mina quacumque honesta, Peccatum est. Fatetur ipse scribens: *Io*
„ *voglio e debbo credere onestissima la Signora &c.* At quandonam
„ Fideles peccant, non solum suspicando, sed etiam credendo, im-
„ munem non fuisse Beatam Mariam ab originali macula? Anathe-
„ ma jam indictum fuit audentibus insimulare Peccati Thomisticae
„ Opinioni addictos. Insipientiam quoque Scriptoris hujus animadver-
„ tat Eminentia vestra, dum ille commendat Filium pugnantem *u-*
„ *sque ad Sanguinem* contra struentem calumniam suae Matris Ho-
„ nori. Egregium hercle Theologum! Damnavit Innocentius Papa
„ XI. Propos. 30. asserentes, *fas esse viro honorato invasorem occide-*
„ *re, qui nititur calumniam inferre.* Idem dicendum de eo, qui ar-

„ reptis armis, ut calumniam sibi aut Matri inlatam depellat, peri-
„ culo necis vitam suam exponat. Imprudens, illegitimus est hic mo-
„ dus ad Honorem laesae mulieris sarciendum, & in detestabili Duel-
„ lantium schola tantummodo probatus. Neque enim tollitur calum-
„ niae vis, quod cadat Calumniator, aut Tutor. Principes sunt no-
„ bis, sunt & Judices, ad quos in ejusmodi casibus recurrendum est,
„ non vero ad sanguinariam pugnam. Quare videat Eminentia ve-
„ stra, quam inani & damnabili exemplo utatur Declamator iste, ut
„ Sanguinarium Votum de Conceptione Virginis minime improban-
„ dum ostendat; & quam egregiis Theologis commendata fuerit il-
„ lius Voti tutela. Quod si ille passim *Honorem* Deiparae crepat, id
„ pro certo statuens, quod adhuc in quaestione est: repetere liceat,
„ pro Honore Virginis Certo ex Fide, lubentissime dandam esse vi-
„ tam; at eam dare pro Honore Opinativo, qui demum in Opinio-
„ nem resolvitur, Imprudentiae ac Temeritatis facinus esse. Neque
„ *Persuasioni* de Certitudine Piae Sententiae, quam Parthenotimus
„ in praesidium suum adduxit, ea vis esse in casu nostro potest, ut
„ Vitae sacrificium Temeritate absolvamus. Potest illa quidem in im-
„ proviso casu, & concurrente *Ignorantia Invincibili*, honestare mor-
„ tem hominis credentis de Fide id, quod minime ad eam spectat,
„ immo & quod contra eam militat. Se quum superest tempus a-
„ ptum ad consulendos Sapientes, quisquis nolit eos consulere, & per-
„ vicaciter mortem, malorum temporalium maximum pro male con-
„ cepta *Persuasione* sua oppetere velit, is temere, & non sine Pecca-
„ to, se sinet occidi. Habemus Constitutiones Romanorum Pontificum
„ de Conceptione Deiparae. Eae consulendae, eae auscultandae, non
„ vero privatorum hominum Phantasia. Et quandoquidem ex iis re-
„ sultat, carere adhuc Certitudine Piam Sententiam, quicumque con-
„ traria fallaci Persuasione, atque Ignorantia Vincibili, pro ea tuen-
„ da jacturam suae vitae eligat, non Pietatis Prudentis laudem, sed
„ Pietatis Temerariae ac Vitiosae crimen incurret.

„ Restant geminae aliae Novitates, quas supra memoravi, alte-
„ ra de Immunitate Dei Genitricis a *Debito* culpae originalis, alte-
„ ra de *Voto Sanguinario* pro istius etiam Opinionis tutela a paucis
„ emisso. Unus Saguas, velitatione tantum facta, pro prima dimicare
„ visus fuit; nemo tamen hactenus conferre signa est ausus. Illud
„ certum est, usque ad finem Saeculi XVI. *Communem* fuisse Senten-
„ tiam Theologorum, atque eorum praesertim, qui Praeservationem
„ Virginis tuentur, ejusmodi *Debito* Virginem fuisse constrictam. Et

„ quan-

„ quanquam aliquis ante id tempus aliter sensisse videri possit, aut „ is obiter de hac re loquutus fuit, aut revera cum reliquis sensisse „ deprehenditur. Neque credendum imperterrito Saguas, aliquot ve„ tustiores pro ea Opinione commemoranti, qui tamen plerique ali„ ter docuere, uti eorum Libri testantur. Ejusmodi vero Novatorum „ licentiam minime ferendam esse eo tantum titulo, quod *Commu„ nem* Theologorum Sententiam evertere conata fuerit, facile qui„ squis intelligit; non enim res ad Religionem spectantes fas est ea „ licentia susque deque miscere, & nova quotidie invehere, quam si„ bi tribuunt Physicae, & Juri Civili operam dantes. Accedit, quod „ nulla divinorum Librorum, Sanctorumve Patrum auctoritate nova „ haec Opinio nitatur, sitaque tantum sit in piis illorum Phantasma„ tis, dum in penetralia Divinitatis irrumpentes, Decreta sibi fin„ gunt, eaque postea venditant tanquam suae Opinionis firma funda„ menta, quae tamen nihil aliud sunt, nisi unius suae imaginatio„ nis figmenta. Quod tamen gravius est, excluso a Deipara *Debito*, „ nulla honesta sive commoda ratio superest explicandi tot Sancto„ rum Patrum loca, quae *Praeservationem* ipsam aut negasse, aut „ minime agnovisse videntur. At haec Fidei doctrina est, Deiparam „ ipsam *Redemtione* indiguisse. Si non solum *Culpa*, sed etiam *De„ bitum* ab ea tollatur, inanes tantum ratiunculae adhiberi poterunt, „ ut eam *Redemtam Vere* ostendamus, & damnationem minime effu„ giet, quicumque pro Apostolicae Sedis, & Sanctorum Patrum Tra„ ditione, imaginationes suas Christiano Populo propinat. Jam Sua„ rius, Vasquius, & alii, memorarunt praegnantia Zosimi Romani „ Pontificis verba, a Sancto Augustino in Epistola 190. olim 157. „ adducta, scilicet: *Nullus enim, nisi qui Peccati servus est, Liber „ efficitur, nec Redemtus dici potest, nisi qui VERE per Peccatum „ fuerit ante CAPTIVUS, sicut scriptum est: Si vos Filius liberave„ rit, Vere Liberi eritis*. Subdit Augustinus: *In his verbis Apostoli„ cae Sedis tam Antiqua, atque Fundata, Certa, & Clara est Catho„ lica Fides, ut Nefas sit de illa dubitare*. Porro multis aliis in lo„ cis idem ab ipso Augustino confirmatur, ac potissimum in Ps. 70. „ Conc. 2. inquiens: *Ipsa Redemptio clamat Captivitatem nostram. „ Unde Redempti, si non antea Captivi?* Et Lib. XX. Cap. 6. de „ Civ. Dei: *Omnes itaque mortui sunt in Peccatis* (idest peccave„ runt) *Nemine excepto, sive Originalibus, sive Actualibus, & pro „ Omnibus Christus mortuus est*. Accedat & Sanctus Leo Magnus, qui „ Serm. 62. de Pass. Dom. Cap. 1. haec habet: *Libertatem itaque*

„ *innocentiae naturalis*, *quam primorum parentum praevaricatione per-*
„ *didimus*, *Nulla per se Sanctorum praecedentium merita receperunt*;
„ *quia lata in transgressores sententia Omnem progeniem Captivae po-*
„ *steritatis obstrinxit*, & *Nemo extitit exors a Damnatione*, *quia Nul-*
„ *lus fuit Liber a Crimine*. *Sed Redemtio Salvatoris destruens opus*
„ *Diaboli*, & *rumpens Vincula Peccatorum*, *ita magnae Pietatis suae*
„ *disposuit sacramentum* &c. Magnus quoque Gregorius Pontifex Ro-
„ manus Lib. 18. Cap. 40. edit. Benedict. paria tradidit scribens: *O-*
„ *mnis namque qui Redimitur*, *ex aliqua procul dubio Captivitate Li-*
„ *beratur*. *Unde ergo quilibet iste Redemtus est*, *si prius non fuit sub*
„ *Culpa Captivus?* Neque aliter S. Hieronymus in Cap. 1. Epist. ad
„ Ephes. ad verba illa: *In quo habemus Redemtionem per Sanguinem*
„ *ipsius*, *Remissionem peccatorum*, ait: *Ille Redimitur*, *qui Captivus*
„ *est*, & *in hostium veniens potestatem Liber esse desivit*. Theophy-
„ lactus in I. ad Cor. I. 30. de Christo Domino scribit: *Nos liberos*
„ *fecit*. *Hoc enim est Redemtio*, *nempe Revocatio a Captivitate*. Ber-
„ nardus in Tract. de Error. Abaelardi Cap. 8. vim *Redemtionis* ex-
„ pendens, *Ubi*, inquit, *Reconciliatio*, *ibi Remissio Peccatorum*. *Et*
„ *quid ipsa*, *nisi Justificatio? sive igitur Reconciliatio*, *sive Remissio*
„ *Peccatorum*, *sive Justificatio sit*, *sive etiam Redemtio*, *vel Libera-*
„ *tio de vinculis Diaboli*, *a quo Captivi tenebamur ad ipsius volunta-*
„ *tem: intercedente morte Unigeniti obtinemus*, *justificati gratis in san-*
„ *guine ipsius*, *In quo*, *sicut ipse dicit* (ad Ephes. I. 7.) *habemus*
„ *Redemptionem per Sanguinem ejus*, & *Remissionem Peccatorum se-*
„ *cundum divitias gratiae ejus*. Si vero *Redemtionis* idea actualem
„ supponit Captivitatem & Servitutem Peccati, ipsaque Beata Virgo
„ Redemtione indiguisse creditur: quid est quod contra luculentam
„ Traditionem Patrum labente Saeculo XVI. erupere Theologi, qui
„ non contenti actualem Captivitatem exclusisse a Virgine Beatissi-
„ ma, ipsam quoque exemerunt a *Debito Captivitatis*, nullum, in
„ ea relinquentes *Redemtionis verae* vestigium? Haec tam praegnan-
„ tia Pontificum & Patrum loca sola *Debiti* confessione posse tempe-
„ rari, ne Piae Sententiae officiant, censuerunt antea complures do-
„ ctissimi viri. Tum quasi parum hoc esset, inventi sunt alii, Cu-
„ sentini scilicet, qui pro hac fallaci, minimeque ferenda Opinione
„ Sanguinem suum obligarunt, & alii, qui uti *magnanimum* hoc i-
„ psum Votum deforme venditare sunt ausi.

„ Quo ergo progressa fuerit quorumdam Theologorum Novitas,
„ ac intoleranda licentia, jam tenet Eminentia vestra, & quousque

„ etiam

„ etiam progredi possit, nisi eos Ecclesia compescat, imaginari fas „ est. Sunt enim, qui ex fervore sincero Devotionis erga Deiparam „ nova semper excogitant, neque perspiciunt, se in Excessus interdum rapi. Sunt & alii, qui novare non desinunt, ut se Ingenio, „ simulque Pietate in Virginem Sanctissimam praestare ceteris ostendant, & veluti pro aris ac focis pro novis Opinionibus suis decertant; & si quando eos rationes deficiunt, praesto eis semper sunt „ convicia, atque ars conflandi invidiam sibi adversantibus, & declamandi ad raucedinem, quo fiat ut imperita gens a dignoscendo „ Veritatis aspectu abstracta, vera incaute credat, quae tanto verborum aestu ab iis propugnata animadvertit. Expendat, rogo, Eminentia vestra, an ullo cum pudore adversus me usurpata fuerit postrema haec ratio pugnandi, quam non Christiana, sed Sophistica „ Schola docet, videlicet concitando in me invidiam & odium indoctae gentis, Libellis etiam Italico sermone conscriptis: quod, uti „ jam animadverti, contra manifestum Pii V. praeceptum audent. Si „ eos audimus, ac praecipue Anonymum, contra Immaculatam Conceptionem a me adferuntur argumenta, eaque insoluta relinquuntur. Immo Anonymus idem num. 64. ait: *Si producono senza sciorsi gli argomenti Quanti mai ve n'ebbe contrarj all' Immaculata Concezione*. Sed Theologum istum, numquamne mordet conscientia „ sua, dum haec tam aliena a veritate ad Eminentiam vestram scribit, immo ad universos Christi Fideles? Dixerat etiam ille nu. 5. „ brevi palam faciendum, Lampridium valedixisse honestati & bonae „ fidei *con falsare, o mutilare le Bolle Papali, e quasi tutti i testi de' Santi Padri*. Horribilia haec sunt. Verum ubi quae is minitatur, publicis typis intra discretum tempus non confirmentur (quod „ numquam fieri poterit, nisi mendacia mendaciis aggregando) nemo „ non intelligat, quam gravis flagitii sit reus, qui me adeo atroci „ calumnia onerat, & Christiano Populo tam audaci ac falsa ostentatione grande mendacium divenditat. Praeterea me injurium piissimae genti Hispanicae venditant, quod imposturas quasdam famosas, apud eos natas pro stabilienda Veritate Piae Sententiae, in „ scaenam pertraxerim: quasi rem vulgatissimam non adhibuerim, & „ usus non fuerim auctoritate insignium duorum Scriptorum, quos „ Hispania protulit, & maxime commendat, scilicet Nicolai Antonii, & Cardinalis de Aguirre. Denique me contemsisse ajunt Decreta summorum Pontificum, qui unicuique interdixere Piam Sententiam directe vel indirecte impugnare, meque detrahere Honori

„ San-

„ Sanctissimae Virginis, atque in Devotione erga illam caespitare.
„ Habet Eminentia vestra accusationes, quibus tamen, ut ipsa probe
„ intelligit, nihil juvatur Sanguinarii Voti temeritas, sed mea tan-
„ tum persona impetitur. Ut aequas etiam aures mihi det, demisse
„ nunc rogo.

„ In Quaestione hac tria consideranda mihi videntur, scilicet
„ Honor Beatissimae Dei Genitricis, Dignitas Apostolicae Sedis, &
„ Catholicae Ecclesiae firmitas. Nihil horum laedendum est, omnia
„ amicabili nexu jungenda, ac defendenda sunt homini Catholicam
„ Religionem profitenti. Quod est ad *Honorem Deiparae*, ineptior &
„ iniquior accusatio adversus me institui non poterat; eamque matu-
„ re praeoccupavi, commendata quibus potui viribus Devotione erga
„ illam, depraedicatis ineffabilibus ejus meritis, Anathemate etiam
„ praenuntiato in eos, qui *Devotionem ac Pietatem veram erga Dei-
„ param & Sanctos improbant, aut minuunt.* Haec patent ex Cap. 2.
„ pag. 14. & 16. & Cap. 7. pag. 43. & Cap. 14. pag. 100. & 103.
„ Quod autem verbis protestatus sum, operibus etiam semper com-
„ plevi. Prostant innumerae personae, quibus palam ac privatim De-
„ votionem hanc supra ceteras Sanctorum commendavi, & ad tantae
„ Virginis imitationem, immo & ad ipsam Immaculatam illius Con-
„ ceptionem colendam excitavi. Et quamquam ego Virtutibus uni-
„ cuique concedam, in obsequio tamen erga Sanctissimam Domini
„ nostri Parentem me infimum non tenere locum arbitror. Quod est
„ etiam ad Honorem Opinativum ejusdem, hoc est ad Piam Sen-
„ tentiam, norunt omnes, saepe illam in Opusculo meo fuisse lau-
„ datam, & commendatam eorum Pietatem, qui secundum ipsam
„ cultum Virgini exhibent, Piamque & Probabilem numquam nega-
„ vi. Quid est ergo, quod Parthenotimus, ejusque gregarii objectare
„ mihi non desinunt *Monita salutaria B. V. Mariae ad suos cultores
„ indiscretos*, a Sancta Sede proscripta, quorum Auctor Fideles a De-
„ votione erga Deiparam dehortari videtur, ipsamque Devotionem,
„ Parthenotimo monente, uti *Vanam* depingit? Ubinam talia a me
„ quisquam accepit, quum contrarium diserte non uno in loco de-
„ praedicaverim? Ast, inquiunt, Honorem *Opinativum* appellas, at-
„ que adeo Piam Sententiam minime Certam, neque e finibus Opi-
„ nionis egressam contendis. Ita sane contendo, immo non aliter sen-
„ tiendum reor, quando ipsi Romani Pontifices indecisam, incertam-
„ que adhuc controversiam fatentur, neque libertatem aliter sentiendi
„ cuiquam adimunt, immo impugnandam contrariam Thomistarum
„ Opinio-

„ Opinionem, & *Erroris*, & *Peccati* arguendam vetuerunt. Romanae „ Ecclesiae vox audienda, quam sequentes falli non possumus, non „ clamores eorum, qui sibi persuadentes, jam *Certam ac Certissimam* „ evasisse Piam Sententiam, uti Declamator jactitat, atque in ea si- „ tum esse paene dixi praecipuum Deiparae Honorem, in furias a- „ guntur, & spernentes, immo conculcantes patentia summorum Pon- „ tificum Praecepta, *Impietatis* crimen, aut Devotionis erga Deipa- „ ram contemtum impingunt, si quis eamdem Sententiam adhuc Cer- „ titudine destitutam tradit. Quid est quod ii pro Certo adsumunt, „ quod adhuc Incertum est, & formidinem erroris involvit? Neque „ animadvertunt, non in me unum, sed in quosque Thomisticae O- „ pinioni addictos intolerandas eorum accusationes converti? Equidem „ nunquam inficiatus sum, quin Sanctissima Dei Genitrix immunis „ ab originali labe fuisse potuerit, neque negavi, quin fuerit. Id In- „ certum tantummodo statui; atque hoc unum satis est, ut inique „ adversus me dignoscatur tentata accusatio. Verum tot alii sunt, „ qui contrariae Opinioni omnino adhaerent. Hos temere, & contra „ Apostolicae Sedis decreta, dicas derogare Honori Virginis, eisdem- „ que *Monita salutaria* calumniose objicias. Parum dixi. Si a Pia „ Sententia Honor Deiparae pendet, censuram ne ipsi quidem effu- „ gient Sanctissimi viri complures. Quanto amore, quanta Devotio- „ ne erga Dei Matrem fervere nt Anselmus, Bernardus, Bonaventu- „ ra, Thomas Aquinas, Antoninus, aliique in Ecclesia Dei insignes „ Sancti, exploratum est. Ii tamen minime praeservatam credidere „ Deiparam, ut praetermittam Sanctos Leonem Magnum, Gregorium, „ aliosque Romanos Pontifices, Augustinum, aliosque Patres, aut „ Theologos celebres, qui paria sensisse videntur, ut revera senserunt. „ *Numquid* (dicam cum Sancto Bernardo in Epistola ad Can. Lugd.) „ *Patribus doctiores, aut devotiores sumus? Periculose praesumimus* „ *quidquid ipsorum in talibus Prudentia praeterivit*. Superest ergo, „ ut pendente judicio Ecclesiae, Honori Virginis, ac Devotioni er- „ ga illam nihil detrahant amplectentes Thomisticam de *Sanctifica-* „ *tione* sententiam; eoque minus (ut ego feci) *Certitudinem* tan- „ tummodo non agnoscentes in contraria Scotistarum. Atque his po- „ sitis, Honorem verum ipsius Deiparae nihil laedi in impugnando „ Sanguinario Voto, Eminentia vestra probe intelligit, & fucum fie- „ ri Populo Christiano inanibus hac de re adversariorum querelis at- „ que calumniosis declamationibus. Utrum vero sollicite curent ipsi „ adversarii, curem & ego, Dignitatem Apostolicae Sedis, & Eccle- „ siae Catholicae Honorem & firmitatem, perpendendum restat.

„ Nulla dubitatio est, quin obtemperandum nobis sit praeceptis „ Romanorum Pontificum, quorum Prudentia potissimum regitur Ec„ clesia Dei. Prae ceteris Alexander VII. inhibuit quamcumque di„ sputationem adversantem Piae Sententiae, Festo, cultui, & favori„ bus in eam a Sancta Sede conlatis. Hoc autem in Opusculo meo „ me praestitisse confido; Probabilitatem namque ejusdem Piae Sen„ tentiae, ac Pietatem tot in locis confessus, Festum, Cultumque „ pium secundum eam Deiparae exhibitum saepissime commendavi. „ Quod unice demonstrandum ego suscepi, uti ajebam, in eo situm „ fuit, nempe *Certitudinem* in Pia Sententia desiderari, atque hanc „ neque ex institutione Festi, neque ex Academiis, aliisve a Parthe„ notimo argumentis adhibitis posse deduci. Indicet mihi, si potis „ est, quisquam, ubinam Romani Pontifices praecipiant, ut *Certitu„ dinem* eidem Sententiae tribuamus; aut vetent, ne Incertam dica„ mus. Quid a Clemente XII. paucos ante annos petierint illius pa„ troni, supra indicavi. Alexander vero Septimus *Pietatem* Fidelium „ ei adhaerentium, Festumque sub ea significatione celebrantium tan„ tummodo laudat; hoc est qui *Pie credunt*, qui *Pie colunt* Virgi„ nem Sanctissimam sine labe Conceptam. Quod quum & ego prae„ stiterim, praeceptis ac menti Sanctae Romanae Ecclesiae satis me „ fecisse mihi persuadeo. Contra ii censendi sunt illius mentem at„ que intentionem fraudati, & mandata sprevisse qui *Certitudinem*, „ repugnante ipsa Ecclesia, in Piam Sententiam obtrudere nituntur, „ & contrariam Opinionem consequenter ita deprimunt, ut non Pro„ babilitate duntaxat carentem, sed *Erroneam* appellare non verean„ tur; & *jampridem enectam & profligatam* (quod Pater de Luca, „ ut alia illius dicteria omittam, ausus est dicere) & *spallata*, uti „ eam Declamator nominat, & *malviventi*, *o malcredenti*, qui Piae „ Sententiae non adhaerent, uti eos num. 69. idem effraeni temeri„ tate pronuntiat: quum tamen Sanctus Pius V. in sua Constitutio„ ne praeceperit, ut pendente judicio Ecclesiae, *neutra pars Quaestio„ nis hujus veluti Erronea praedicetur*. Quod repetitum videas a Gre„ gorio XV. scribente: *Dum tamen neutra veluti Erronea aut Haere„ tica damnetur*. Gregorii vero XV. Decretum postea innovavit Ale„ xander VII. Jam ergo manifeste laesam ab iis tenemus auctorita„ tem summorum Pontificum. Ad haec idem Declamator, & Par„ thenotimus, atque alii, ductore Patre de Luca, *Certam*, *Certissi„ mam* evasisse Sententiam Piam, quanquam nondum de Fide, ex „ institutione Festi grandibus buccis tradunt; atque adeo Certam vo-

„ lunt,

„ lunt, ut inde formido Erroris ſit omnino ſublata, quum in praeſcribendo Feſto & Cultu Sanctorum *Eccleſia errare non poſſit*. Hoc autem nihil aliud eſt, niſi irridendam dimittere Apoſtolicam Sedem Haereticis, quaſi haec *deciderit*, *& non deciderit controverſiam*, ut illi ajunt; ſimulque Catholicis illudere, dum ex timore Anathematum fingitur nondum *de Fide* Sententia eadem definita, quum tamen, poſito quod Eccleſia id ſtatuerit, *in quo errare non poſſit*, oporteat illud credere *de Fide:* certe enim ea ſpectant ad Fidem, in quibus ſtabiliendis immunitatem ab Errore Chriſtus Dominus Eccleſiae ſuae pollicitus fuit. Num his curae eſt Dignitas Apoſtolicae Sedis, qui eandem norunt proteſtantem, ſe noluiſſe decidere controverſiam, & nihil, quod eſt ad ſubſtantiam, detraxiſſe Thomiſtarum Opinioni; & nihilominus eam exhibent veluti ſui oblitam quaſi in inſtitutione Feſti Certiſſimam pronuntiarit Scotiſtarum Sententiam? Sed poſtquam de hoc Feſto ſupra egi, falſaque conſectaria inde ab adverſariis ducta repuli, nihil ultra addendum eſt.

„ Perpendamus potius, num hiſce Theologis multum curae fuerit de Honore Catholicae Religionis. Si vera, ſi firma ſunt, quae pluribus ego diſſerui de Imprudentia ac Temeritate Voti Sanguinarii Siculi, eoque magis Cuſentini: nemo non videt, quale lollium in doctrinam Sanctiſſimae Religionis noſtrae importare, atque in dies dilatare improvida iſtorum Devotio ſatagat. Gloriatur ipſemet Declamator num. *69*. multos nuper ad illud emittendum adductos, ac propterea *augeri quotidie triumphos & gloriam Immaculatae ſemper Virginis*. Sed quando ſtent meae rationes, latius propagari dicenda eſt Pietas vitioſa, & inconſultus atque damnabilis Deiparae colendae modus. In abſurdum hoc Votum me inſurrexiſſe, aegerrime tulerunt illius patroni, atque huc pertrahunt Sedis Apoſtolicae Decreta de non impugnanda *directe vel indirecte* Pia Sententia. Verum non ego, ut dixi, adverſus eam Sententiam certavi, ſed quidem contra pernicioſam Novitatem, & contra additamentum pravum eidem Sententiae factum ab intemperanti nonnullorum Pietate, nunquam ab Apoſtolica Sede probatum, & ſecundum verae Theologiae principia improbandum. Opus autem fuit ad detegendum ejuſdem Voti vitium, oſtendere, abeſſe a Pia Sententia *Certitudinem*, eamque contra Romanae Eccleſiae mentem ſtatui, hoc eſt dejicere fundamentum, ſupra quod fabricatum fuit Votum; ac nimium falli, qui quamquam concedant, Sententiam illam intra pomoerium Probabilitatis & Opinionis adhuc concluſam

„ licite nihilominus posse concipi Votum Sanguinarium arbitrantur.
„ Quum Sancta Sedes Thomisticae Opinionis professoribus silentium
„ indixit, num censenda est liberum quoque fecisse Piae Sententiae
„ asseclis alias comminisci Opiniones, quae in perniciem doctrinae
„ Catholicae, atque in suum ipsius dedecus verterentur? Quotiescun-
„ que laeditur doctrina Ecclesiae, jus unicuique est in arma pro ea
„ prosilire. Si ii pro incerto Honore Deiparae putativae Matris no-
„ strae tanto fervore decertant: nonne & Ecclesia Dei Mater nostra
„ spiritualis est, & quidem propria ac vera? Nonne pro certo illius
„ Honore, si occasio poscit, decertandum est? Jam Sanctitati insigni
„ Virginis Beatissimae nihil detractum, neque derogatum vidimus,
„ etiamsi Piae Sententiae non accedat Fidelis. At certum est, can-
„ dori Ecclesiae illos insidiari, qui perversas Opiniones procudunt, at-
„ que disseminant; ac propterea ejusdem Ecclesiae magni interesse,
„ Filios pro tutela Sanctissimae suae Matris insurgere. Imputent er-
„ go sibi auctores & patroni Voti Sanguinarii, si abutentes silentio
„ Thomistis indicto, novas postremis hisce temporibus Opiniones pro-
„ cuderunt, & confidentissime disseminare non cessant: quae si Dog-
„ matis Ecclesiae Catholicae adversentur, ut ego me evicisse reor,
„ nunquam excogitandum est, eidem Ecclesiae displicere posse; immo
„ censendum Deo & Ecclesiae gratissimum esse, uti in tot aliis casi-
„ bus, ita in isto quoque, certamen initum pro tuenda puritate do-
„ ctrinae, quam Catholici profitentur. *Privilegium omnino meretur a-*
„ *mittere, qui permissa sibi abutitur potestate*, uti habemus ex c. *Pri-*
„ *vilegium* 11. q. 3. & ex Legibus etiam civilibus, quas omitto.
„ Quod si Politicis quibusdam, quorum nunquam inopia est, forte
„ videatur, satius fuisse sinere, ut quisque abundet in sensu suo, ne-
„ que laudandos, qui turbas movent: serio perpendat quaeso, non
„ agi heic de Opinionibus, e quarum disputatione nullum in Eccle-
„ siam, & Rempublicam detrimentum formidari potest: quales quam-
„ plurimae in Scholis doctorum hominum ingenium exercent. Agi-
„ tur de re summi momenti, nempe de Vita hominum, tempora-
„ lium bonorum maximo, cujus custodiam Deus imperat, & quam
„ Reipublicae summopere interest, ne nos temere perdamus. Agitur
„ de inferenda in Ecclesiam inaudita & perniciosa Opinione, scilicet
„ licere occumbere pro Opinionibus quamquam Piis, e quarum sane
„ regno nondum exilivit Pia Scotistarum Sententia. Si haec levis
„ aut nullius momenti Politicis videntur, ac toleranda creduntur: il-
„ li hercle (dicenti ignoscant, rogo) neque Ecclesiam, neque Rem-
„ publi-

„ publicam amant, quarum Honor & conſervatio tam parum cordi „ ſibi eſt. Aliter profecto judicabunt meliores. Ex eorum ſententia „ ſi Votum Sanguinarium licitum atque laudandum demonſtretur, „ ero ego damnandus. Sin illud temere conceptum atque damnan„ dum appareat, laudanda erit tutela a me ſuſcepta Eccleſiae, ſi„ mulque Reipublicae in re tanti momenti. Neque expectandus Ty„ rannus, qui hoc hominum genus ad melius ſapiendum, & ad per„ ſpiciendam deformitatem Voti adducat. Si non liceret mori pro „ aſſerenda Praeſervatione Virginis, ne nunc quidem licet Votum il„ lud emittere; ac proinde praeſenti errori proſpiciendum, ne pejora „ aliquando ſuccedant.

„ Omiſſam heic nolo alteram adverſariorum querelam, nimirum „ me multa Sanctorum Patrum loca protuliſſe, quae adverſus Piam „ Sententiam militare videntur. Eadem profecto protuli, non ut of„ ficerem Piae Sententiae, ſed ut evincerem ab ejus patronis eximi „ non poſſe Deiparam a *Debito* contrahendae maculae originalis, que„ madmodum fecere Theologi Salmaticenſes Carmelitae Excalceati „ in Tom. IV. Diſp. XV. Curſus Theologici, ubi *de Vitiis & pec„ catis*. Eorum Libris ſuus eſt honor in Hiſpania, neque minor in „ Italia, ubi Anno 1678. Venetiis recuſi fuere. Nemini autem in„ terdictum hucuſque fuit impugnare Opinionem negantium in Dei„ para *Debitum* illud. Eoque juſtius in eam arma fuerunt & ſunt „ arripienda, poſtquam Novatorum inverecunda licentia eo uſque pro„ greſſa eſt, ut Votum Sanguinarium emiſerit pro hac etiam Opi„ nione tuenda, quamvis adverſus eam ſtet Communis Theologorum „ ſententia, ipſamque graviſſimi viri, Piae Sententiae cultores, ſuſti„ neri non poſſe ſine *Errore* affirment. Et potiſſimum quod ſine *De„ biti* aſſertione tot Sanctorum Patrum loca nemo tolerabili ratione „ poterit conciliare cum Pia Sententia. Exploratum porro eſt, duo „ eſſe dogmatum Catholicorum fundamenta, divinas nimirum Scri„ pturas, & legitimam Sanctorum Patrum Traditionem. Si in Scho„ laſticis Opinionibus cuiquam liceret contemnere ejuſmodi Traditio„ nem, aut ſolis argutiis & ſomniatis ratiunculis eamdem eludere: „ nae is, quantum in ipſo eſt, Religionem, & Eccleſiam prorſus „ proſterneret. Et qui id faceret, ut Opinionem falſam aut falla„ cem promoveret, quam Deiparae honorificam & gratam crederet, „ in Eccleſiae ruina ipſam quoque involveret Dei Genitricem San„ ctiſſimam. Nam ſi in uno duntaxat Dogmate Eccleſia Dei a con„ cordi Traditione Patrum diſcederet (quod ex promiſſione Chriſti

 „ nun-

„ nunquam fiet) actum esset de Infallibilitate Ecclesiae; & non tantum Haeretici, sed & ipsi Catholici de aliis quoque Ecclesiae Dogmatis in posterum dubitare, aut licentia simili oppugnare eadem possent. Itaque de Virgine Beatissima male mereri dicendi sunt Cusentini, qui ut Honorem Opinativum eidem tribuant, religioni sibi minime ducunt imaginationes suas praeponere Patrum Traditioni, & incaute fundamenta Ecclesiae Catholicae contemnere, minime animadvertentes, quid scriptum reliquerit, testibus ipsis Salmaticensibus, Laurentius a Ponte, cujus verba sunt: *Non sic Honori Mariae Sanctissimae addicti esse debemus, ut splendorem & majestatem Sanctorum Patrum denigremus &c. Sic nos Virginem Sanctissimam defendamus, ut semper sarta tectaque sit Sanctorum auctoritas.*

„ Instant tamen Piae Sententiae patroni, contendentes, exerenda non fuisse mihi ea Patrum loca sine solutione, ne Lectoribus dubitatio crearetur de veritate Piae Sententiae. At quandonam insoluta dimisi, postquam Cap. 25. pag. 203. disertissime Lectorem monui, attribuendo *Debitum* Virgini, curare Scotistas, ut haec minime Sententiae suae adversantia ostendant? Eos praeterea urit, me subdidisse: *An autem sit haec revera mens Literarum sacrarum, & an sufficiat interpretatio ista, ad rite explicanda tot loca Patrum, ac veterum Theologorum, erit Apostolicae Sedis nos infallibili judicio edocere, si quando controversiam a tot Saeculis inter Scotistas & Thomistas serventem, ad accuratum examen deducere, & quid firmissime de ea credendum sit, edicere voluerit.* En ut apud delicatos hosce Theologos crimen evasit vel ipsa mentio reservati sibi ab Apostolica Sede hac de re judicii: quod a Romanis Pontificibus toties repetitum videmus. An ferenda sit hujusmodi querela, quisque facile intelligit. Erumpit heic Declamator, minitans num. 22. *In breve si vedrà, come di Secolo in Secolo i Santi Padri o non parlano del Mistero, quando ancora non agitavasi, o ne parlano a favore &c. Certamente i Santi Padri, come regolati dal medesimo Spirito della Chiesa di Dio, son sempre stati unisoni, labii unius, con la Chiesa di Cristo.* Atque utinam magnifica isthaec promissa completa aliquando videremus, neque spuria, neque dubia, neque inania proferrentur: quod hactenus a compluribus factum fuit, uti Petavius vir Clarissimus antea monuit. Equidem fateor, me sincero amore veritatis exquisivisse in scriniis Patrum, quaenam hac de re fuerit eorum sententia, summopere apud eos invenire cupiens decantatum hoc Deiparae Privilegium: quis enim nisi perdite ma-

„ lignus

„ lignus & impius Sanctae Dei Genitrici Honorem hunc invideat, „ si certa ratione constare possit, illud a Patribus eisdem fuisse tributum? Moerens dico: ne unum quidem reperi: quod & antea contigerat praelaudato immortalis nominis viro Dionysio Petavio. Aut „ Privilegium istud se ignorasse ii produnt, aut etiam negasse videntur. Eorum autem verba tametsi Probabilitatem non adimant Piae „ Sententiae, quippe ad ea explicanda Probabiles interpretationes ab „ illius patronis adhibentur: attamen a Certitudine detegenda in eadem Sententia nos avertunt. Nisi hoc obstitisset, Ecclesia de cultu „ ac honore Sanctissimae Matris Dei sollicita, jamdiu litem sustulisset. Sed quia nondum post tot annos a Sixto IV. usque ad tempora nostra exclusa est formido, ne Traditio, necessarium in Ecclesia Dei Veritatis fundamentum, aut desit, aut obstet: propterea „ Romanae Ecclesiae vigilantissima Prudentia a finali sententia hactenus abstinuit, & *liberam cuique facultatem reliquit opinandi hujus „ controversiae quamlibet partem, prout vel magis Pium, vel magis „ probabile esse judicaverit*, uti statuit Sanctus Pius V. Hoc idem animadverterunt Salmaticenses Theologi supra laudati Tract. 13. de „ vitiis & peccatis Disp. 15. Dub. 5. num. 211. scribentes: *Sane „ cum videamus, Sedem Apostolicam fere ab hinc ducentis annis pro „ hujus articuli* (scilicet de Conceptione Immaculata) *declaratione „ iterum atque iterum summis precibus exoratam, nihilominus eam suspendere: expectare credenda est, ut ea quae ex Scripturis & Patribus difficultatem ingerunt, sufficienti Probabilitate omnino evincantur.* „ Ita illi, quanquam addictissimi Piae Sententiae. Certe, si Sancti „ Patres, uti venditat Declamator, unisoni hac in re forent cum „ Ecclesia: nemo non intelligit, nos jamdiu habituros fuisse peremtorium de Pia Sententia Ecclesiae ipsius judicium; & nunc Apostolicam Sedem aut supinae negligentiae, aut caecitatis tacite argui, „ quae concordiam hanc Sanctorum Patrum in asserenda Pia Sententia post tot Saecula nondum perspexerit.

„ Quapropter quum idem Declamator Eminentiae vestrae gratias „ agit, quod auctor nuper fuerit Sanctissimo D. N. BENEDICTO „ XIV. Pontifici Maximo de *Nihil innovando* in hac re, is fortasse „ fallitur, sibique facile est adulatus. Nemo litem movet Piae Sententiae; nemo optat, eoque minus suadet, ut de ea quidquam novetur. Fruatur illa suis Privilegiis, favoribus Ecclesiae Romanae, „ amplitudine sua. Eam ego semper laudavi, & dummodo a temeritate *Sanguinarii Voti* separetur, me semper atque alios laudatores

„ ha-

„ habebit. Pro tuendo eo Voto, quod caussam controversiae, inter „ me, & Parthenotimum virum doctum & pium agitatae, dedit, nihil fere Declamator adfert. Is unice furentem stilum (nemini, ut „ puto, probandum) exercet pro tutela Piae Sententiae, aerem verberans, atque Eminentiae vestrae falso supponens, me ejus Probabilitatem, aut Pietatem eidem adhaerentium impugnandam suscepisse. Fretus decretis Romanorum Pontificum (centies repetam) „ *Certitudinem* illi tributam duntaxat negavi; idque necessitate ductus, ut vitiosam Pietatem, ac Votum super ea structum in dedecus doctrinae Catholicae, & perniciem Reipublicae, minime ferendum demonstrarem. Quum vero diversa duo omnino sint, *Pia Sententia*, ac *Votum Sanguinarium:* meridiano Sole clarius est, intacta „ Sententia, posse abrogari, atque damnari Votum. Quod ubi accideret, nihil de Pia Sententia novaretur, sed improbanda tantummodo Novitas Voti illius auferretur. Veri igitur similius multis „ est visum, nunquam cogitasse Eminentiam vestram de commendando *Nihil innovari*, quasi ullum Piae Sententiae periculum immineret, sed ut obviaret periculis ipsius Sanctae Sedis. Invaluerat „ enim; & adhuc perdurat vox, caelum & terram, & praesertim „ piissimos Reges commovendos, ut a Sanctissimo Pontifice, qui bono Reipublicae Christianae natus nunc regnat, enixius quam antea „ petatur atque impetretur decretum, per quod ad Certitudinem, qua „ adhuc caret, Pia Sententia evehatur. Igitur sollicita Eminentia „ vestra de Honore Romanae Ecclesiae, ac de tutela sacrae Traditionis, consiliasse creditur, ne hac in re *Novitatis* quidquam fiat; „ & quod complures Sanctissimi Pontifices post natam de Conceptione Virginis controversiam, & ipsius Tridentini Concilii Patres, sibi faciendum minime duxerunt, & quod antea doctissimi & insignes S. R. E. Cardinales in consilium toties adhibiti, faciendum „ negarunt, ne nostris quidem temporibus fiat, quum nihil rationum „ additum hucusque fuerit, ob quas a prudentibus Praedecessorum „ Pontificum Constitutionibus sit recedendum. Quod certum est, ante paucos annos sub Clemente XII. P. M. Piae Sententiae patroni, teste Patre de Luca, nervos omnes intenderunt, ut Romanam „ Ecclesiam ad *Novitatem* in Quaestione ista pertraherent: id quod „ eis non bene cessit. Gratulandum est, quod iidem contrariis precibus ac votis *Nihil innovari* nunc cupiunt, reliquis concordes, qui „ nullo partium studio perturbati, quanti momenti sit caussa haec, „ intelligunt.

„ Ve-

„ Verum quod eſt ad *Votum Sanguinarium*, nihil obſtat, quomi-
„ nus ad ejus Cenſuram procedi poſſit ac debeat, ſi a doctrina Ca-
„ tholica alienum, ut ego puto, deprehendatur. Intereſt enim Ca-
„ tholicae Eccleſiae, amoveri quidquid contra Sanctiſſimae Religio-
„ nis principia pugnat, & vitas hominum temere in diſcrimen addu-
„ cit. Exceſſus autem irrepere poſſe in nobilem Virtutem Pietatis,
„ unuſquiſque fatetur. Nam, uti ajebat ſumme pius Cardinalis Bo-
„ na Lib. II. Cap. 17. n. 7. Rer. Liturg. *Perpetuae mutationi obno-*
„ *xiae ſunt res humanae, nec quidpiam tam ſancte inſtitutum eſt, quin*
„ *aliquando in SUPERSTITIONEM & pravos uſus degeneret.* Si
„ ex his unus ſit ejuſmodi Votum, cur diutius ferendum eſt? cur ſi-
„ nendum ut latius dilatetur: quod nunc tentari, & feliciter ſucce-
„ dere, teſtatus eſt idem Declamator? Nihil enim facilius, quam in-
„ docto Populo perſuadere, quaecumque lineamenta Pietatis gerunt.
„ Immo vel docti viri a fallacibus hiſce umbris non ſatis interdum
„ ſibi cavent: quod antea monuit ipſemet Sanctus Pius V. de Quae-
„ ſtione hac in ſua Conſtitutione loquens, dum eos arguit, *qui ſtul-*
„ *tas & ſine diſciplina quaeſtiones movent, quae generant lites, quas*
„ *nec frequens multitudo intelligere, nec Viri Sapientes, qui capiunt,*
„ *utiliter percipere valeant: praeſertim quoniam, ut experimento didici-*
„ *mus, ipſorum Concionatorum, qui ad Quaeſtiones huiuſmodi propo-*
„ *nendas facilius erumpere ſolent, Major Numerus Difficultatem Pror-*
„ *ſus Ignorantes, neque Intelligentes quae loquuntur, aut de quibus af-*
„ *firmant, Simplicium animos Indiſcretae Devotionis obtentu, vel po-*
„ *tius loquacitatis & oſtentationis affectu, ad tumultus & ſimultates*
„ *concitant &c.* Quod mirari ſubit, iidem ſe poſſe fucum facere con-
„ fidunt vel Eminentiae veſtrae, cujus tanta eſt perſpicacia mentis,
„ tanta Catholicae doctrinae peritia. Habeo Declamatorem, qui in
„ calce Epiſtolae ſuae certum Deiparae patrocinium Eminentiae ve-
„ ſtrae in hora mortis pollicetur, exemplum *Judithae* proferendo, &
„ ſupponendo de Virgine Sanctiſſima pronuntiatum: *Qui elucidant me,*
„ *vitam aeternam habebunt:* Gemmae iſtae ſunt rudi populo ſervan-
„ dae; non autem Eminentiae veſtrae, cui perſpectiſſimum eſt, nihil
„ ad hanc rem conferre Judithae exemplum; neque ad Deiparam
„ proprie pertinere illa Eccleſiaſtici verba, uti jam innui Cap. II.
„ circa finem de Superſt. Vit. Divinus enim Eccleſiaſtici Auctor, uti
„ ſacri Expoſitores docent, eos tantum laudat, qui praecepta Sapien-
„ tiae explicant, ſuiſque diſcipulis tradunt; cui Sancto operi ſpes &
„ praemium vitae aeternae promittitur. Denique, uti diximus, agi-

„ tur

„ tur heic de Honore hactenus incerto Deiparae; proptereaque sine „ certis tabulis offerri heic nequit a Declamatore Certitudo *Vitae aeternae*. Et potissimum in casu nostro, in quo quis audeat patrocinium Virginis negare tuentibus contrariam Opinionem, quod *Sanctificationem* putent (an jure ipsi videant) Traditioni sacrae magis consonam, ac Virgini, si talis sit, gratiorem? Certe Devotio „ erga Beatissimam Dei Matrem, uti justissima, & a doctrina Fidei „ commendata, laudanda est, promovenda est; plus enim ex ejus intercessione, quam reliquorum Sanctorum, nobis sperandum est. Sed „ ab hujusmodi Devotione excessum omnem removendum, Ecclesia „ ipsa nos docet. Neque id satis inculcari potest a zelatoribus purae „ doctrinae (quam praerogativam in Eminentia quoque vestra omnes „ agnoscunt, atque suspiciunt) quando videmus propugnatores Voti „ Sanguinarii neque illius excessum discernere, & alios in excessus „ ruere, atque incauto Populo intoleranda axiomata nunc etiam propinare. Audiat Eminentia vestra, quid alter ex iis, Panormitanus „ nempe Saguas, in Epistola adversus me typis tradita pag. 12. scripserit, inquiens: *Eh via persuadetevi, che non è Eccesso dir, che Dio abbia dato alla sua Madre la chiave de' suoi Tesori, sicchè a sua richiesta si concedan le divine Misericordie:* ita ut superfluum „ futurum sit deinceps ad reliquos Sanctos confugere, ut orent Deum „ pro nobis, & nihil nobis sperandum sit a Deo per Jesum Christum, nisi accedat Matris intercessio. Haeccine ferenda sunt in Ecclesia Dei? Ille tamen hoc persuadere se nobis posse arbitratur ex „ Sancto Bernardo scribente: *Omnia nos habere voluit per Mariam:* „ quae egregie dicta sunt, quum Deus non nisi per Mariam nobis „ dederit Christum, auctorem gratiae, atque omnis Boni Spiritualis, „ non vero quod ex unius Deiparae intercessione omnia in nobis „ identidem caelestia beneficia emanatura sint. Subdit Saguas haec „ alia verba, quae Sancto Thomae Aquinati tribuit. *Virgo Beata dimidiam Partem Regni Dei impetravit, ut ipsa sit Regina Misericordiae, cujus Filius est Rex Justitiae.* Ubinam Thomas haec dixerit, non prodit ille, Rosignolium Asceticum Scriptorem tantummodo memorans testem hujus dicti, quod quantum absit ab incomparabilis Sancti illius viri mente & circumspecta Theologia, quisque Theologus continuo intelligit. Si collecti in unum heic forent omnes Catholicae Ecclesiae Theologi, provolutus ego ad eorum pedes unumquemque precarer, ut edicerent, quid de Propositione hac ad Lydium verae Theologiae lapidem exacta sentiendum

„ sit

„ sit. Nonne omnem Temeritatis gradum excedit, tantam rem proponere Populo Christiano sine ullo divinarum Literarum, sacraeque Traditionis suffragio, immo contra patentia illarum Dogmata? „ Certe nullus dubito, quin Theologi omnes una voce testarentur, „ recte in Deiparam conlatum fuisse titulum *Matris Misericordiae*; „ nam confluentibus in eam cunctis Virtutibus, hanc prae ceteris „ habuisse, & adhuc exercere credenda est. Verum ii continuo adderent, ita ei tribuere velle veluti proprium ac peculiare illius munus *Misericordiam*, ut divino ejus Filio tribuatur tantummodo munus *Justitiae*; & unum dimidium Regni Deiparae assignare, alterum Christo Domino; neque nos nisi per invocationem Sanctae „ Mariae ullas sperare posse gratias ac dona a Deo; idque asserere „ in Libello Dogmatico: esse Theologi nondum scientis, quis sit Redemtor noster, aut a suis affectibus in nimis abrupta praerepti. „ Certe non sine horrore Propositio haec audiri potest; utpote quae „ nimium derogat honori ac dignitati Mediatoris nostri Jesu Christi, „ & Spei Confidentiaeque nostrae in ipsum, quasi non & ille sit „ *Pater Misericordiarum*, qualis ab Apostolo consubstantialis ejus Pater appellatur; quasi Misericordia non eum traxerit e Caelo; quasi non adhuc quaerere & ad se invitare pergat peccatores; & quasi post mortem pro nobis misericorditer toleratam, ineffabili Misericordiae & amoris sui invento quotidie nobiscum non versetur in „ Altaris Sacramento. Uno verbo, nonne Christianus quisque videt, „ ab ejus Corona abstrahi omnium speciosissimam gemmam, si *Justitiam* ei tantum tribuimus, *Misericordiam* negamus; sive hanc ei „ adscribimus non uti proprium illius Attributum, sed a Matris precibus dependens? Nonne assertionis hujus deformitatem unusquisque „ Sacerdos sentit, dum ferme quotidie in Horis Canonicis ab Ecclesia haec dicere jubetur: *Ipsius Pietas & Misericordia nos adjuvet*, „ *qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat*, & in incruento „ Sacrificio, ubi toties ipsius Filii Dei *Misericordiam* imploramus? „ Sed pluribus opus non est, ut Eminentiae vestrae gravissima consectaria Propositionis hujus edisseram, quando ipsamet melius quam „ ego eadem statim perspexit, & sine monitore ullo intelligit, non „ parcendum ejusmodi excessibus Pietatis, quibus Catholicae Ecclesiae purissima doctrina infici potest, & perversis dogmatis miser Populus imbuitur, nisi eisdem obsistatur. Panormitani vel hinc ediscere possunt, quam infidis ducibus se commiserint in amplectendo „ Voto Sanguinario. Quod profecto si inter Excessus intolerandos

 „ con-

„ connumerandum eſt, uti mihi videtur, quum hoc ſit grandis mo-
„ menti facinus, quia de hominum vita agitur: ſperandum eſt fore,
„ ut ad illud exſcindendum zelum ſuum Eminentia quoque veſtra
„ armet, prout poſtulat munus ampliſſimae Dignitatis ſuae, & ſacrum
„ Tridentinum Concilium jamdiu mandavit. Alioqui nobis inſulta-
„ bunt Heterodoxi, quod apud nos non ſolum toleremus, ſed & am-
„ plificari ſinamus Opinionem & Votum de Vita hominum Temere
„ prodigenda, quum haec nos ipſi fateri cogamur a Sanctiſſimae Re-
„ ligionis doctrina abhorrere. Ceterum pergat Eminentia veſtra fove-
„ re, tueri, commendare Piam de Conceptione Virginis Sententiam.
„ Bona eſt cauſſa, laudabilis haec Pietas. Verum Declamatori non
„ credat, quum *Certam ac Certiſſimam* ex falſis ſuppoſitis depraedicat
„ eamdem Sententiam; hoc enim eſt velle ſapere plus quam ſapiat
„ Romana Eccleſia noſtra Magiſtra, & in dedecus vergit tot ſummo-
„ rum Pontificum, eos culpando, quod aut Certitudinem hanc prae
„ ignorantia (ſi Superis placet) nondum animadverterint, aut ani-
„ madvertentes, prae languida erga Deiparam Devotione nondum
„ controverſiam dirimere voluerint. Tunc ſolum nobis Certa ac Cer-
„ tiſſima eſſe incipiet Pia Sententia, quum Romanus Pontifex, aut
„ Concilium una cum eo, ſatis proſpectum credens divinorum Libro-
„ rum, & ſacrae Traditionis veritati, definitivum hac de re judi-
„ cium pronuntiabit. Ego interea ſingulare meum erga Eminentiam
„ veſtram obſequium profeſſus, & ſacram Purpuram deoſculatus, eni-
„ xis precibus me illius gratiae commendo.

Dabam Mutinae X. Kal. Martii MDCCXLII.

„ Eminentiae veſtrae

Humillimus & Obſequentiſſimus Famulus
Antonius Lampridius.

Quid poſt hujus Epiſtolae lectionem, mi Azevede, colloquuti fuerimus Romanus Abbas, & ego, nihil eſt quod memorem. Ego certe in Lampridii ſententiam ambobus pedibus abii. An tu idem ſis praeſtiturus, incompertum habeo. Si quid novi in poſterum prodibit, labori non parcam, ut tu quoque conſcius fias. Vale.

Neapoli VI. Kal. Majas MDCCXLII.

Prae-

Praeclarissimo viro Azevedo suo Ferdinandus Valdesius S.P.

EPISTOLA DECIMAQUINTA.



NTE complures dies, Azevede amantissime, vulgatum fuit in amplissima hac Urbe, ad clementissimum hunc Regem Carolum Panormo advectum fuisse Librum laureatum, Phrygioque opere mire exornatum. Innotuit tandem, Libro huic, sub finem proxime praeteriti Anni 1741. edito, hunc esse titulum: *Lampridius detectus & castigatus, Auctore Laurentio Migliaccio Panormitanae Ecclesiae Canonico.* Liber ipse Regi dicatus, & grandi voce in Epistola ipsa ad Regem memoratur *Mariani Conceptus propugnandi, vel usque ad Sanguinem, Magnanimum Votum, quod Pietatis Hispanicae Praecipuum Decus est, atque ornamentum.* Nunquam conquievit Romanus Abbas, quocum mihi arcta & dulcior in dies est familiaritas, quousque ejus Libri exemplo potitus fuit; neque is mihi, quale foret suum de eo judicium, revelare unquam voluit, nisi & ego eum antea legissem. Equidem commodatum ab eo legi, sed fateor, per saltus potius, quam continuata lectione legi, toedium nempe perpessus, sive quod Logodiarrhoeam in eo deprehendere mihi viderer, sive quod inhonesta nimis appareret observata ab eo pugnandi ratio adversus Lampridium. Dubius tamen quum essem, an aliquo praeoccupatus affectu de hoc Libro judicassem, quum primum adii Romanum Abbatem, quid ipse sentiret, sum percontatus. Tum ille: Tibi nulla dubitatio futura est, quin ii, quibus piperata scripta prae ceteris palatum mulcent, & potissimum qui Scotisticae factioni nomen dedere, in Migliaccii Libro bellaria sint deprehensuri; sed aliud eorum, qui medii stant, judicium futurum esse arbitror. Ecquando enim gravissimae res Theologicae scurriliter ac mimice sunt pertractandae: quod factum in Migliaccii Libro vidisti? Sanctum profecto Hieronymum is in Praefatione exemplum sibi statuit, qui *apologetico jure liberalius est usus: nec propterea Christianam Caritatem neglexit, aut Literati viri officio defuit,* postea adtexens: *Quanto igitur potiori jure integrum nobis esse debuerat, qui semel atque iterum provocati illatas nobis injurias, neque illas leves, festivis dumtaxat salibus propulsavimus? Nam ut notavit Horatius,*

. . . . ridiculum acri
Fortius & melius magnas plerumque secat res.

Injuriarum postulat Migliaccius Lampridium, quod Sanguinarium Votum antea a paucis Panormitanis conceptum improbarit; reliquos omnes interea Panormitanos, quorum ingenia semper suspexit, & erga quos suum semper testatus est obsequium, ab hujusmodi prava, ut is putat, Opinione avertere contendens. En *injurias*, *neque illas leves*, Opinionibus diffidere ab aliis; & crimen hoc multandum *festivis salibus*, idest inhonesta ac perpetua irrisione, quamvis insulsa, in qua *Caritatem Christianam* omnino contemtam agnoscis, ipsaque Theologia gravius, quam Lampridius, laesa dicenda est, dum e gravitate & majestate, quae ipsam decet, in pueriles nugas & probra conjicitur. An ferendum sit hoc proeliandi genus, sive cacoethes, in Grammaticis, in Poetis, aliisque de humanis Literis inter se contendentibus, nolo in praesentia inquirere. Certe in Theologo homine, atque in novo isto Hieronymo, damnes, quem argumenti sublimis, & ad Religionem spectantis dignitas in officio continere debuit, & a ludicris abstinere jubebat, ita ut quemadmodum Apostolus praescripsit II. ad Tim. II. 25. *cum modestia corriperet* eos, quos *veritati resistere* credebat, & Opiniones, quas pravas arbitrabatur, insectaretur, non vero fratrum personas conviciis & dicteriis proscinderet. Eoque minus ferendus hic Scriptor, quod ubique ingenio suo mirum in modum blandiatur. Is Theologiae ad ostentationem peritus; in ea Lampridius infans. Is in Dialectica Hercules; Lampridius pumilio. Eo quoque progressa est hominis istius intemperantia Diss. VI. pag. 161. ut cachinnis minime temperaverit, quod unum offenderit locum in Lampridii Libro, a Grammaticae suae regulis discordem. Dixerat Lampridius Cap. 14. fol. 102. *Per me sane liceat Parthenotimo, & cuicumque Sententiam Scotisticam propugnanti, persuadere sibi certam ex illius tutela laudem relaturum, dum tutela in verbis, & in scriptis consistat. Sub ista conditione, cuiquam molestum esse nolo.* Quid ad haec Migliaccius? *Ita enim*, inquit, *Latine loqui amat Moderator ingeniorum*. Quanta sit prurigo censoria Scriptoris hujus, hinc habes. Certe, si ei animus fuit censoriam virgam heic agere, eratne, quaeso, honesto homini justa caussa insultandi, quasi Lampridius ex hoc uno ne Latini quidem sermonis gnarus sit habendus? Quando hic in integro hoc Libro, atque in aliis, si non elegantiam, certe regulas Latinae Linguae probe se tenere ostendit: poscebat honestas, ut hoc

potius

potius in Typographi incuriam, quam in Auctoris sphalma refunderetur. Hoc idem profecto praestitit honestissimus Theologus Pater Parthenotimus, dum hunc ipsum Lampridii locum memorans, *molestus* pro *molestum* scripsit, nullo addito epiphonemate, quo insultaret adversanti Lampridio. Sed quid si ridendus hanc ob caussam foret non jam Lampridius, sed sciolus ipse Censor? Parce tantisper tricis hisce immoranti, ab argumento nostro perquam nimium alienis. Franciscus Sanctius, quem inter Grammaticae Latinae Auctores pluris certe facias, quam Migliaccium, hac habet Lib. IV. Cap. 12. Minervae suae: *Cupio esse clemens. Laboras videri doctus, ita tritus est Hellenismus, ut Grammatici Latini regulam constituerint, quam non intelligunt. REGULA VERA est, ut semper post hujusmodi Infinita sequatur Accusativus, ut Cupio dici doctum.* Ita quoque Vossius de Arte Gram. Lib. VII. Cap. 20. ita Budaeus & alii. En exempla. Plautus in Cistell. sc. 1. *Quia ego Nolo meretricem dicier.* Et Merc. Act. 1. sc. 2. *Vin' tu te mihi esse obsequentem?* Epid. Act. 1. sc. 2. *Sed operam Epidici nunc me emere pretio pretioso velim.* Ita Lucretius Lib. 1. *Quippe etenim quam multa tibi me fingere possum somnia.* Aliis exemplis parco, neque enim pluribus opus est ad retundendam Censoris hujus puerilem jactantiam.

Quod potissimum nostra interest, quaerendum restat, num ad Votum Sanguinarium censurae eripiendum Migliaccius satis rationum atque argumentorum attulerit, contrariaque rite disjecerit. Is profecto sibi palmam atque triumphum hac in re non semel decrevit. Merito ne, an immerito, aequum minime est, nos pari facilitate statuere. Doctorum hominum, nulli factioni addictorum, erit hoc suo tempore judicium. Interea constare arbitror, quidquid rationum alicujus ponderis a Migliaccio ad caussam istam adductum fuit, ex Parthenotimi armamentario fuisse desumtum, atque aliis verbis in aciem deductum. Igitur si quae nos antea adversus Parthenotimum disseruimus, bene compacta & solida appareant, cum Parthenotimi, tum Canonici ipsius fundamenta collapsa dicenda jam erunt. Ulteriori proinde pugna supersedere possemus; sed juvat levi saltem brachio nonnulla excutere, quae peculiari conatu aut ab aliis Migliaccius in hoc certamen derivavit, aut in cerebro suo construxit. Reliquas ejus phaleras dimissas volo hominibus, quos terere tempus delectat. Is ergo Diss. III. Cap. 4. exemplum *Cultus sacrarum Imaginum* urget. Si ei fides, Patribus Concilii VII. Oecumenici, dum earumdem venerationem constituerunt, non solum nulla clara Traditio Patrum adfuit,

sed

sed etiam contraria Traditio obstabat: quam in rem testes profert Minucium Felicem, Tertullianum, Concilium Illiberitanum, ac Serenum Episcopum temporibus Gregorii Magni Romani Pontificis. Et nihilominus in eo Concilio sancita fuit sacrarum Imaginum veneratio. Ex quo deinde infert, nihil obstare debere *Traditionis* defectum ad referendam in Dogmata Catholica Piam Scotistarum Sententiam. Sed homini isti, Haereticorum hac de re calumnias adversus Catholicam Ecclesiam juvanti, & illudenti Catholicis, dum fingit, *Dogma istud de Imaginibus cum Ecclesia natum, sed occulte alitum*, ac postea Patres ab ea sententia aversos supponit, negatque *Traditionem* Dogmatis hujus: nihil aliud respondendum, nisi quod Bellarminus Lib. II. Cap. 6. de Imagin. Sanctor. reposuit Alphonso de Castro scribenti, *Serenum & Epiphanium excusari ab haeresi, quia res nondum erat determinata. Satis res*, inquit Bellarminus, *determinata erat usu totius Ecclesiae; sed nihil isti contra Fidem aut Veritatem egerunt, vel docuerunt. Ac praesertim Epiphanius, qui purgatur ab omni suspicione erroris circa Imagines in VII. Synodo. Et certe non sine TEMERITATE, & PRAEJUDICIO Catholicae Fidei, tam crassi errores tam magnis viris tribuuntur.* Certe vel primis Ecclesiae Saeculis sacrae Imagines in usu ac veneratione fuerunt, quod praeter alios evincunt Aringhius, Bonarota, Boldettus, atque alii, qui de Romanis Coemeteriis egere. Earum usum, utilitatem, ac honorem Ecclesia probabat, uti constat ex multis Patribus, & praestandum hunc honorem solidae rationes persuadebant. Quare ubi Iconomachi in eas saevire coperunt, Orthodoxi omnes pro iis continuo steterunt, ac Traditionem hostibus opponentes, legitime sui etiam Sanguinis profusione certarunt. Sed superfluis heic te detinere nolo. Haec nihil ad rem nostram. A quinque Saeculis in disputatione est Deiparae Conceptio. Nunquam Ecclesia improbavit oppositam Scotistis Thomistarum Opinionem, immo a duobus & ultra Saeculis interdixit, ne quisquam ei *Impietatem* aut *Errorem* objiceret, neve *Peccati* ejusdem professores argueret. Quid simile unquam excogitet Migliaccius cum sacris Imaginibus, ita ut sibi licere putet pro Pia Sententia mortem obire?

Porro si exspatiari juberet, atque ad stateram appendere, quae idem Censor Diss. III. Cap. 3. pro sua eruditione profert, quasi integrum Ecclesiae sit Dogmata statuere, *Traditione Patrum* inconsulta, immo eadem etiam repugnante, quum in his ei satis sit *Prudentia* sua uti: facile mihi foret ostendere, quam falsas merces novus hic Theologus ad mercatum adducat. Unum dicam. Quicumque talia

ven-

venditat, nihil aliud agit, quam Ecclesiae ipsius fundamenta covellere. Certum quippe est, nunquam ab Ecclesia disjungi, neque esse disjungendum Prudentiae praesidium, sive Dogmata speculativa aut moralia statuat, sive Disciplinae capita praescribat. Ad Disciplinam statuendam satis est ei unam plerumque Prudentiam adhibere in consilium. Verum in Dogmatis stabiliendis tum Prudentia suadet, tum Regula Fidei praecipit, ut non cujusquam arbitrio, sed Revelatione Dei decreta nitantur. Haec autem Revelatio non aliunde haurienda est, nisi e Libris divinis secundum interpretationem Sanctorum Patrum explicatis, aut ex Traditione eorumdem Patrum, qui Revelationem non scriptam nobis conservarunt, aut ex utrisque fontibus deducendo per legitima certaque consectaria sententias. A mente, atque ab usu perpetuo Ecclesiae aberrat, si quis aliter docet. Neque nodi isti secantur lepidis iis depromtis e Tirocinio Eloquentiae figuris, aut versibus, quibus orationem suam veluti flosculis exornat Migliaccius, dum exempli caussa eodem Cap. III. Diss. 3. pag. 71. in Tulliana haec verba erumpit: *At quousque tamdem abutere patientia nostra Lampridi?* Theologorum nemo hasce ineptias invideat novitio isti Theologo, quae imberbem juvenem in ludo literario garrientem, non virum gravem decent. Lectoribus deinde imponit illius Eloquentia Diss. III. Cap. 4. ubi fingit, a Lampridio generali sententia contemni Populorum Fidelium consensum & Traditionem: quod ille nunquam somniavit. Immo non levis habita ratio fuit hujusmodi suffragii contra Arianorum pestem, atque Iconomachorum furorem. Hoc ille tantummodo ait de Populorum consensu in Piam Sententiam; neque enim *Traditionis* nomen tribuas doctrinae, cujus exordium post mille annos a condita Ecclesia unusquisque fateri cogitur; & Populus Christianus ex frequenti praedicatione illius, & ex Probabilibus lineamentis Pietatis ad eam amplectendam adductus deinde fuit. Quaerimus heic Traditionem Sanctorum Patrum, qui sex primis Ecclesiae Saeculis floruerunt, non Traditionem, ut ita dicam, heri natam. Quamquam quid ajo? Insurgit heic eloquentissimus Canonicus, & pag. 93. longe alia bonam gentem docet, scribens: *Populorum iste confluxus in Piam Sententiam non ab heri, aut nudius tertius coortus est, sed POST HOMINES NATOS vetustissimus est. Argumento est igitur hanc SEMPER Traditionem viguisse in Ecclesia, cujus plerumque simplicitas Populorum fidelior custos est, quam Theologorum factiosae contentiones.* Nisi hinc agnoscas, quale sit pugilis hujus ingenium felix, locuples doctrina, obtusam mentis tuae aciem

ciem cave ne dicam. Hactenus sacrae Theologiae, sive Theologorum Scholis grandis honor est habitus. Fallebamur: neque enim a Theologis, qui veritatem suis *contentionibus* proscindunt, sed *PLERUMQUE a simplicitate Populorum* vera Ecclesiae doctrina expetenda est. An toleranda haec monstra sint in Ecclesia Dei aliorum erit decernere. Deinde fallorne ego, an recte interpretor voces illas *post homines natos*, idest *a creatione Mundi?* Ergo, si Theologum hunc auscultamus, nata est una cum primis hominibus Traditio de Immaculata Virginis Conceptione, eaque in posteros propagata per tot Saecula, felici cursu ad nostros usque dies inconcussa pervenit. Quin & hoc monstri simile omnibus rei istius gnaris videri possit, nullus dubito. Quid ergo non expectandum ab homine, qui aliena adeo a veritate tam placide confingit, atque aliis vult persuadere? Haec quaeso perpende, ac de hujusmodi capite quae tua sit sententia, mihi revelabis.

Totus deinde est eruditus Canonicus Diss. IV. & V. in ostendendo nihil officere Piae Sententiae loca Patrum, quae Lampridius produxerat ad refellendam *Debiti* exemtionem, quam Virgini tribuunt quidam posteriorum temporum Theologi. Utinam id illi bene cedat. Tum loca congerit Scripturarum, Sanctorum Patrum, ac Theologorum, ab Apostolorum temporibus exordio ducto, ut evincat, minime deesse vetustissimam eidem Piae Sententiae Traditionem. Ejus consilium probo, conatum laudo; & quoties ei animus sit conciliare duntaxat aut augere Piae ipsius Sententiae *Probabilitatem*, ego quoque lubenti animo fateor recte usurpatum in eum finem tantae Eruditionis cumulum. Verum ubi quisquam contenderet, per ea posse etiam suaderi *Certitudinem* ejusdem Sententiae, & Voti Sanguinarii auctoribus animos hinc esse addendos: auctor ei forem, ut ipsum Migliaccium adiens, ab eo clam sciscitaretur, ipsene unquam hujusmodi *Certitudinem* sibi persuaserit, an more Legulejorum caussae aliorum serviens ea coacervaverit, quae ipsemet inepta ad eam Certitudinem statuendam in corde suo probe agnoscat. Is certe pag. 4. se quidem professus est Voto obstrictum de tuenda Pia Sententia, addens tamen: *Fateor vero, non hactenus usque ad Sanguinem:* quod non perfunctorie dictum, nobisque praesertim notandum est. Fieri potest, ut reliqua etiam amico petenti fateatur. Scilicet se, uti ad Lectorem ait, *impar suis viribus opus* aggressum fuisse, ut votis obsecundaret Alphonsi Fernandez de Medrano eximii viri, atque ut paucorum qui Sanguinarium Votum concipiunt, conscientiae pro sua etiam virili parte solatio esset. Sed quidem aggregasse ea Patrum loca (quod &

P. Fer-

P. Ferdinandus de Salazar Anno 1622. aliique antea praestiterant) non quod ullam Piae Sententiae *Certitudinem* accedere posse ex iis locis arbitraretur: quando Romana Ecclesia vel post illorum aciem productam perrexit esse constans in relinquendo indecisam atque incertam hujusmodi controversiam; sed ut Thomistis demonstraret, ne in vetustis quidem Saeculis desiderari, qui Immaculatae Conceptioni favisse videantur. Ceterum non se adeo in Eruditione & Critica Arte hospitem esse, quin subodorarit, ad Apostolica tempora minime pertinere Acta Passionis *Sancti Andreae;* atque ex *Immaculatae*, *Impollutae*, aliisque hujusmodi titulis a Graecis aut Latinis Scriptoribus Deiparae tributis, nihil certi extundi posse, ut *Immaculata* etiam credatur illius Conceptio. *Sancti Irenaei* verba fortasse fateretur a se producta, ut apparatus cresceret, quamquam conscius foret, nullum eis locum esse in praesenti controversia. Nimis sero se animadvertisse, adulteratam a se incaute fuisse *Tertulliani* sententiam, quasi is scripserit de Eva: *Ut abjecta pareret, & in doloribus pareret Verbum, Diaboli semen illi fuit*, quum ille haec habeat: *Ut abjecta pareret, & in doloribus pareret, verbum Diaboli semen illi fuit*. Scilicet ibi comparatio instituitur inter verbum Serpentis, sive Diaboli ad Evam, & verbum Angeli ad Mariam, *Crediderat Eva Serpenti*, *credidit Maria Gabrieli;* ac proinde se vigilantem somniasse, dictum a Tertulliano, *Mariam non habuisse in carne antiqui seminis semen antiquum;* quibus verbis, *peccatum originis utique Evidenter excludit*, *hoc enim est Tertulliano semen Diaboli*. Praeterea in Homilia tributa *Origeni* eandem duntaxat occurrere comparationem inter Evam Serpenti credentem, & Mariam Angelo credentem. Se profecto non ignorasse, Librum de Cardinalibus Christi operibus foetum esse *Arnoldi Abbatis Bonae Vallis*, qui Sancti Bernardi aevo floruit; attamen se id dissimulasse, sperando futuros, qui *Sanctum Cyprianum* adhuc crederent ejusdem Libri Auctorem. Haec atque alia horum similia, quae praetereo, dicturus ille fortassis est.

Quod si aestuantem eum deprehendimus pag. 151. in Lampridium, quod hic negarit, ex Libro contra quinque Haereses, Praeservationem Virginis certo deduci posse: ille fortassis re melius perspecta in aliam postea sententiam concessurus credendus est. Et certe mirari cogeremur, quei homines docti iis utantur locis, quae non solum a Sententia sua abhorrent, eamque laedunt, sed etiam doctrinae Ecclesiae adversari videntur: nisi notum foret, quousque abripere ingenium hominum possit praeconceptus cordis vehemens affectus. Haec

ſunt de Chriſto Domino antiqui Auctoris verba contra Manichaeum. *Quid eſt, quod te promovet in mea Nativitate? Non ſum Libidinis conceptus cupiditate. Ego Matrem, a qua naſcerer, feci; ego viam meo itineri praeparavi, atque MUNDAVI.* Hoc eſt Spiritu Sancto obumbrante eam, ab omni inquinamento purgavi, quum Matrem meam feci, atque in ea conceptus fui. *Hanc, quam deſpicis Manichaee, Mater mea eſt, ſed manu fabricata eſt mea. Si potui inquinari, cum eam facerem* (ideſt cum eam facerem Matrem) *potui inquinari, cum ex ea naſcerer. Sicut tranſitu meo illius non eſt corrupta Virginitas, ſic mea ibi non eſt maculata majeſtas. Si Solis radius cloacarum ſordes deſiccare novit, eis inquinari non novit quanto magis ſplendor lucis aeternae, in quo nihil inquinamenti incurrit, quocumque radiaverit, MUNDARE poteſt, ipſe pollui non poteſt? Stulte, unde ſordes in Virgine, ubi non eſt concubitus cum homine patre? Unde ſordes in ea, quae nec concipiendo libidinem, nec pariendo eſt paſſa dolorem?* &c. *Sicut ille natus eſt SOLUS, inter mortuos Liber: ſic iſtius, ex qua natus eſt, Matris pudor Solus eſt integer. Eva inobediens meruit poenam, Maria obediendo conſecuta eſt Gratiam. Illa guſtando probibitum maledicta; haec credendo Angelo eſt benedicta.* Haec omnia attente perpendantur. Nihil aliud inde exſculpere poſſis, niſi Beatam Mariam in Conceptione Chriſti ab omni ſorde fuiſſe *Mundatam:* quam ſententiam tradidiſſe videtur & Nazianzenus in Orat. 38. de Chriſti Nativitate, ubi ſic de Chriſto ait: *Humana omnia, excepto peccato, ſuſcepit: conceptus quidem ex Virgine, corpore & animo praepurgata.* Idem quoque tradiderunt alii, quos memorat Ferdinandus Salazar Argum. XII. Cap. 41. Can. 4. Paria inſuper inſinuaſſe videtur nuper memoratus Arnoldus Abbas Bonae Vallis in verbis ab ipſo Migliaccio ſub Cypriani nomine productis, ubi Deipara dicitur poſt partum ſatisfeciſſe Legi Purificationis, *quaſi cum aliis mulieribus eſſet ei in hoc opere ratio ſimilis*, quum ipſa in Conceptione Chriſti caruerit voluptate. Propterea ſubdit: *Nihil in hac re petiit ultio, nec praecedens delectatio expetiit poenarum uſum. Spiritu Sancto obumbrante, Incendium originale extinctum eſt; ideoque innoxiam affligi non decuit; nec ſuſtinebat juſtitia, ut illud vas electionis communibus laſſaretur injuriis, quoniam plurimum a ceteris differens, natura communicabat, non culpa.* Quae heic *Culpa* dicitur, non eſt originalis, ſed quidem Puerperarum, uti Scriptura loquitur, *Peccatum*, praecipiente Domino Levit. XII. 6. ut *expletis diebus purificationis deferant agnum anniculum in holocauſtum, & pullum columbarum, ſive turturem pro Peccato.* Redeo

ad

ad Auctorem Libri contra quinque Haereses. Objiciebat Manichaeus, indignum esse Deo nasci ex Muliere, & inquinari sordibus, quibus tum in libidinosa conceptione, tum in partu foemina obnoxia est. Nihil horum accidisse ait Christianus Scriptor; nam Christus Mariam *Gratia* praeoccupeverat, quam *Gratiam obediendo* Dei mandatis per Angelum nuntiatis ipsa *consecuta est*; eaque ratione *viam suo itineri praeparaverat, atque Mundarat*. Neque is *Libidinis conceptus fuit cupiditate*. Neque in partu ullae sordes fuerunt; quippe Maria intacta virginitate Christum peperit. Quando etiam daremus, referendum esse *fabricata* ad tempus, quo Maria concepta fuit, aditum huc non haberet *Praeservatio*, sed quidem *Sanctificatio*; inquit enim *Mundavi*, & *Mundare* potui; nihil autem *Mundatur*, nisi quod antea inquinatum erat. Propior tamen sensui illius Auctoris est dicere, Matrem Domini fabricatam, & praeparatam fuisse, non quando Maria concepta fuit in utero Sanctae Annae, sed quando ad eam missus est Gabriel; tunc enim illam fecit Matrem suam, quum illam *Mundavit* per *Gratiam*, quam *Maria* tunc solum *obediendo consecuta est*, & *credendo Angelo* facta *est benedicta*. Porro omnem ambiguitatem deinde tollunt ea verba de Christo, qui *natus est Solus inter mortuos Liber*, idest Solus a Peccato Liber: quod tot alii Patres antea & post tradiderunt. Quo ergo abeant petulantia in Lampridium Migliaccii dicteria ad hunc locum, & quid de eo dicendum sit, dum postrema ea verba dissimulat, satis intelligis. Sed quia hinc aliquis inferre posset, inquinatam fuisse Virginem, quo tempore nuntius ad eam missus est Angelus Gabriel, factaque fuit Mater Filii Dei, locum heic habitura est doctrina Sancti Thomae, cujus sunt verba 3. p. Qu. 27. Art. 3. ad 3. *Dicendum, quod Spiritus Sanctus in Beata Virgine duplicem Purgationem fecit. Unam quidem quasi praeparatoriam ad Christi Conceptionem, quae non fuit ab aliqua impuritate culpae vel fomitis, sed mentem ejus magis in unum colligens, & a multitudine sustollens. Nam & Angeli purgari dicuntur, in quibus nulla impuritas invenitur, ut Dionysius dicit 6. c. Eccles. Hierarch. Aliam vero purgationem operatus est in ea Spiritus Sanctus mediante Conceptione Christi, quae est Spiritus Sancti opus. Et secundum hanc potest dici, quod purgavit eam totaliter a fomite.*

Locum ab omnibus laudatum ex Oratione Sancti Joannis Damasceni de Nativitate Virginis etiam Migliaccius profert, nempe: *Natura Gratiae foetum antevertere minime ausa est; verum tantisper expectavit, dum Gratia fructum suum produxisset. Siquidem oportebat eam*

Primogenitam in lucem edi, quae rerum omnium conditarum Primogenitum, in quo omnia coagmentata sunt, paritura erat. Subdit Canonicus: *Quid clarius pro Pia Sententia desiderari possit, penitus ignoro.* Sed quamvis & ista ad *Probabilitatem* Piae Sententiae conciliandam merito adhibeantur, nullam tamen *Certitudinem* praestare possunt: Nam si in his Migliaccius tam clare expressam videt *Praeservationem* Virginis, clare alii, & fortasse clarius, *Sanctificationem* deprehendent. Quotiescumque enim imaginemur, loqui Damascenum de Conceptione Virginis, ejus loci sensus hic erit: Natura non ausa est efformare aut animare foetum Mariae, nisi postquam Gratia Mariam produxit. Nonne heic habes hircocervum? Nondum naturaliter exsistebat Maria, & nihilominus in Mariam Gratia illapsa erat. Imaginationem hanc antea explosit Sanctus Thomas in 3. dist. 3. qu. 1. art. 1. negando, *Beatam Virginem ante animationem fuisse sanctificatam*, eique adstipulantur Suarius, aliique Theologi. Mitto inquirere, an ad Naturam referri possit animatio, quum Anima a Deo creata inferatur in Corpus. Quaenam ergo Damasceni mens? Mariam fuisse in utero *Sanctificatam*, antequam nasceretur; non enim ausa est Natura eam in lucem edere, nisi Gratia eamdem antea sanctificasset. Et certe de *Nativitate* Virginis est titulus Homiliae, atque de ea, non vero de Conceptione, est ibi sermo. *Quoniam*, inquit Damascenus, *futurum erat, ut Dei Genitrix Virgo ex Anna Nasceretur, Natura Gratiae germen antevertere non ausa est &c. Siquidem oportebat, eam Primogenitam in lucem edi*, sive *Nasci*. Non ergo de *Conceptione*, sed quidem de *Nativitate* Virginis, heic agitur; & Sanctificata per *Gratiam* dicitur Virgo, antequam Natura eam in lucem ederet. Luculentius autem apparet, non aliam fuisse Damasceno mentem, quando cum aliis Sanctis Patribus concors & ipse scripserit Homil. in Sabbatum Sanctum Cap. 20. *Deus quippe Verbum, ipse nostri conditor, omnia nostra nostri caussa in se suscipiens, nostrasque aegritudines expertus, cum similis nobis exsisteret sine Peccato, Legem implevit, SOLUS inter homines a Peccato Liber, ac proinde nec morti obnoxius.* Hisce verbis subtexenda sunt, quae idem Sanctus vir habet Hom. II. in Dormitionem B. Mariae Virginis, ubi ait: *Nam quae veram vitam cunctis protulit, quei tamdem morti subdita fuisset? Sed cedit Legi ab eo latae, quem genuit; & ut Filia veteris Adam, Paternam Sententiam subiit.* Reliqua a Migliaccio adducta non attingo, quae emunctioris naris viri expendent, si quando hac de re judicium solenne instituatur. Praetereundum tamen non est, eumdem Canonicum fortassis a-

gnitu-

gniturum, ſed ludum luſiſſe, quum pag. 140. Aedituos Panormitanae Eccleſiae lepide in ſcaenam traxit, quaſi ii eludere ſe poſſe putarint auctoritatem Sanctorum Patrum, qui *Solum* Chriſtum Dominum originalis labis expertem agnovere: ex eo quod idem Chriſtus dicatur in Hymno Angelico *Tu Solus Sanctus*, quum tamen & *Sancti* appellentur homines conſummatae virtutis; ille *per eſſentiam*, iſti *per gratiam*; & *Soli Deo honor & gloria* exhibenda ſit, quum tamen & *Sanctis* honor exhibeatur. Nam is jamdiu novit, & pro comperto habet, hiſce nihil evinci poſſe in praeſenti controverſia, quando Patres diſerte cauſſam memorant, cur *Solus* Filius Dei nullam in ſua Conceptione maculam contraxerit; nempe quia non ex virili ſemine, non ex concupiſcentia carnis, ſed obumbrante Spiritu Sancto, Unus & Solus in Virginis utero conceptus fuit. *Nulla voluptate carnalis concupiſcentiae ſeminatus ſive conceptus, & ideo nullum peccatum originale trahens*, inquit de eo Sanctus Auguſtinus in Enchiridio de Fide Cap. 41. addens infra Cap. 48. *Solus potuit ita naſci, ut ei non opus eſſet renaſci.* Idem ille repetit in aliis compluribus locis. Quam doctrinam Sancti quoque Ambroſius, Leo Magnus, Gregorius Magnus, atque alii Patres, & Thomas Aquinas tradiderunt, ac praecipue Sanctus Fulgentius docuit num. 16. & 17. in Lib. de Fide ad Petrum, qui olim Auguſtino tribuebatur. Sunt etiam ejuſdem Fulgentii verba n. 69. *Firmiſſime tene, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum originali peccato naſci, impietati ſubditum, mortique ſubjectum &c. A qua ira nullus liberatur, niſi per fidem Mediatoris &c. qui ſine peccato conceptus, ſine peccato natus, ſine peccato mortuus &c.* Quare non a ludente Migliaccio ſubſidium heic petant Piae Sententiae aſſertores, ſed quidem a Salazario in Defenſ. Immac. Concept. Cap. 41. num. 36. a Porrecta in Comment. ad 1. 2. S. Thomae qu. 81. art. 3. atque ab aliis Theologis, qui probabilem ſolutionem adhibent ad hujuſmodi SS. Patrum loca.

Ad *Votum Sanguinarium* (a ſe tamen nunquam emiſſum) progreditur tandem Canonicus Siculus Diſſ. VII. Sed nobis heic neutiquam immorandum, poſtquam ille nihil aliud praeſtitit, niſi quae in hanc rem doctiſſimus vir Parthenotimus Theologica gravitate diſſeruerat, in aciem rurſus declamatoria levitate educere, iiſque addere ornamenti loco quaecumque in os incurrerunt dicteria, ſarcaſmos, atque convicia. Disjecta, ut reor, Parthenotimi mole, Migliaccianam quoque proſtratam mihi perſuadeo. Quare tantum ſupereſt, ut pauca, quae peculiaria excogitavit Migliaccius, ad examen adducamus.

Ejuſdem

Ejuſdem Diſſertationis VII. Cap. 2. *nobis exhibetur impius Tyrannus, qui in odium cultus Deiparae per Piam Sententiam exhibiti, eamdem juberet a Fideli quopiam improbari, ſcilicet aegerrime ferens, tanto Chriſtiani Populi plauſu id Myſterium frequentari. Eo caſu nemini dubium, quin Fidei Praeceptum publice profitendae nos urgeat, ut dura quaeque ſuſtineamus, ne Piam Sententiam improbemus, in quo Martyrio perferendo, quamvis laus praecipua Fidei in Martyre eſſet, ſuas tamen partes obiret etiam Pietas, qua nec vellet, vel ubi cetera deſint, Deiparae Cultum deprimi, vel labefactari.* Sed quid ait inſignis iſte Theologus: *Nemini dubium?* Immo id ſolum nemini dubium futurum eſt, male haec omnia efferri, quippe ſine ulla diſtinctione, immo ea confuſione, ut Chriſti Fideles rapi in errorem poſſint. Primo: ſi quiſquam adigere nos velit ad affirmandum, non deberi Cultum Hyperduliae Beatiſſimae Virgini, neque utile atque laudabile eſſe ad illius interceſſionem confugere: danda eſt potius vita, quum ejuſmodi Cultus & Invocatio ad Fidei Dogmata ſpectent, & pro iſta cauſſa moriens, *Martyr* erit dicendus. Secundo: ubi quis velit, me Impiam aut Haereticam appellare Piam Sententiam, tunc, uti animadvertit Lampridius Cap. XVII. pag. 130. videtur mors potius eligenda. Praeſtaret tamen conſulere prius Apoſtolicam Sedem, quando mors etiam toleranda videtur, ne *Impia* aut *Haeretica* dicatur contraria Thomiſtarum de *Sanctificatione* Sententia. Tertio: ſi tantummodo Tyrannus mortem comminaretur ſuſtinenti Piam de *Praeſervatione* Sententiam Veram, aut Certam eſſe, & Virginem ſub ea ſignificatione publice colere non ceſſanti: graviſſime fallitur Migliaccius, dum ſpem *Martyrii* facit pro ea Veritate aut Certitudine occumbere volentibus. Vide Eminentiſs. Lambertinum, qui Lib. III. Cap. 19. num. 12. & ſequ. de ſerv. Dei Canon. docet, *Martyrem non eſſe, qui moritur pro Opinione aut Sententia adbuc ab Eccleſia non definita.* Tum num. 14. addit, *quod, uſquequo controverſia ab Eccleſia definita non eſt, ille, qui tuetur Beatiſſimae Virginis ſervationem a Peccato originali in ſua Conceptione, non poteſt non habere, Immo TENETUR habere formidinem de oppoſita Sententia: ex quo nimirum infertur, morientem ob dictam cauſam Martyrum Catalogo non eſſe adſcribendum, uti late Hurtado &c.* Addendum eſt, Theophilo Raynaudo praeceptum fuiſſe, ut expungeret id, quod ſcripſerat, ſcilicet: *eum futurum Martyrem, cui mors intentaretur, niſi Piam Sententiam de Conceptione Beatae Mariae Virginis Immaculata improbaret:* Animadverte illud *Improbaret:* Caveant ergo ab hujuſmodi Doctore Siculi.

Ecque

Eoque magis cavendum est eis, nam si vera ac solida sunt, ut mihi persuadeo, quae Lampridius, & ego in praeteritis colloquiis statuimus, qui pro Piae istius Sententiae tutela moreretur, non solum Martyribus adjungendus non esset, sed etiam Imprudentiae & Peccati reus foret habendus. Nihil aliud sane eam dicas nisi *Sententiam*, sive *Opinionem*, quae *formidinem Erroris* minime excludit. Exploratum autem puto, non Licere pro Opinionum tutela mortem oppetere; & Pietatem in Vitium deflectere, ubi Piam Sententiam tueri velit Sanguinis profusione. At inquit Migliaccius pag. 205. *Constat autem per Fidem, Deo gratum esse Cultum erga Deiparam, erga Deiparam, inquam, peccati originalis expertem. Id juxta Decreta Pontificum ab ipso Lampridio non semel didicimus.* Caveant, rursus ajo, Siculi ab hujusmodi Doctore, qui ab affectibus suis seductus ad suam gentem decipiendam praecipiti cursu fertur. Neque *Constat per Fidem*, Deo gratum esse Cultum erga Deiparam uti peccati originalis expertem; neque id uspiam Lampridius affirmavit: aliter nulla amplius restaret de hac re disputatio. Tunc per Fidem constabit, ejusmodi Cultum Deo gratum esse, si Apostolica Sedes definiendo controversiam, pro Pia Sententia pronuntiet. Interea Cultus est Opinativus, Pietas Opinativa: hoc est, tot motiva Probabilitatis in Piam Sententiam confluunt, ut Prudentia Ecclesiae laudabilem putet ejusmodi Pietatem, & commendet Cultum secundum eam Sententiam Virgini exhibitum. Nos autem recte Opinamur, non vero ex Fide credimus, Cultum ejusmodi Deo placere. Sed nihil refert funem contentionis longius producere cum Theologo, qui tanta cum petulantia & ostentatione ingenii ista pertractat, neque hactenus didicit, innumera esse, quae in Ecclesia Dei ad Pietatem ac Religionem spectant, dum Sanctos, eorumque Imagines & Reliquias colimus, neque tamen ad Fidei doctrinam referuntur, neque pro iis fas est Sanguinem nostrum impendere.

Subdit ille deinde Cap. III. pag. 208. occurrere posse circumstantias, *in quibus Piae Sententiae Certitudinem Fidelium poene omnium mentibus alte defixam Improbare, aut cavillis lacessere, grave Pusillis mentibus Scandalum pariat.* In hisce casibus, inquit, & Caritas & Pietas postulant, ut jugulum Lictoribus offeratur. Sed nugas ille nobis depraedicat. Nullum occurrere heic potest Scandalum, quando non probans Piam Sententiam dicat, se nescire, verane sit, an falsa, quum ipsa Romanorum Pontificum Decreta allegando, ostendi possit, in Incertitudine adhuc eandem Sententiam versari. Immo neque Scandalum

acci-

accidet, si adactus coram Tyranno Fidelis protestetur, se credere non *Praeservationem*, sed contrariam de *Sanctificatione* Opinionem, quando ipsa Romana Ecclesia interdixit, ne Impietatis aut Erroris altera haec Opinio accusetur, aut ejus sectatoribus Peccatum objiciatur. Praeterea, ut vitetur Pusillorum Scandalum, nemo tenetur ad nimis ardua, quale foret facere vitae aut fortunarum jacturam. Immo Gregorius Magnus in Homilia 7. super Ezechiel. scribit: *In quantum sine Peccato possumus, vitare proximorum Scandalum debemus*. Peccatum vero foret, vitam, cujus domini non sumus, ob stultas tantummodo Pusillorum imaginationes velle prodigere. Pergit Migliaccius Cap. IV. contendere: *Posse licite & cum laude sanguinem fundi pro tuendo Festo ab Ecclesia indicto secundum Piam de Intemerata Conceptione Sententiam. Immo instanti Tyranno, ut Festum ejusmodi reprobemus, praestare millies mori, quam morem gerere*. Ut hoc ostendat, in longam disputationem se conjicit a Theologis diverso studio agitatam, an Lex humana obliget cum vitae discrimine. Verba serere non heic est mihi animus. Id unum habeto. Si Tyrannus secures minetur, nisi improbes Cultum ex Fidei decretis debitum Deiparae, aut neges tributam Ecclesiae a Deo auctoritatem indicendi Festivitates sacras: tunc tibi mors potius eligenda. Sin ille hoc tantum velit, non celebrandum esse Festum Conceptionis, quia Sententiam Piam ille improbat, & a te aperte aut tacite improbandam jubet: tunc violentiae cedendum est, & Prudentia exposcit, ut a Festo illo celebrando abstineas, servesque vitam tuam. Nam Ecclesiastica Praecepta, uti toties diximus, quum mortis periculum imminet, plerumque non solum non obligant, sed etiam vetant, ne cum tanto Fidelium detrimento observentur. Eoque minus in casu isto mors est eligenda; nam Devotioni tuae erga Immaculatam Virginis Conceptionem tu alia ratione consulere potes. Ad haec falsum est, ab Ecclesia praecipi peragendum ab omnibus Christi Fidelibus Festum Conceptionis secundum Piam Sententiam. Licet adhuc illud celebrare sub significatione *Sanctificationis;* propterea que non te adigit Ecclesia ad probandum Objectum hujus Festi ad Scotisticae Sententiae normam; sed quidem postulat, ut tempori & violentiae cedens, vitam tuam imprudenter non projicias. Audiendus est etiam Migliaccius, quum Diss. VIII. Cap. 1. Patronum producit Pupilli & Viduae *vitam & bona omnia in judicio* tuentem. *Fac*, inquit, *ut de maximi momenti rebus, vita scilicet, & bonis omnibus clientum in judicio disceptetur, & praepotens Adversarius Patronum ab eorum patrocinio suscipiendo* mortis

mortis comminatione deterreat. Quotusquisque summam ejus Caritatem laudibus non extolleret, qui se interim potius sineret, quam Pupilli aut Viduae tam grandis aleae causam deserere? Panormitanos ingeniosissimos viros fungorum loco habeat Theologus iste necesse est, quando eis ejusmodi doctrinam propinat. Si comminatio ista accideret, deserenda sane non est Patrono tutela Pupilli & Viduae, sive cujuscumque alterius personae; sed is confugere ad Principem debet, qui injustum adversarium severa animadversione comprimet, periculoque Patronum eripiet. Sin Princeps muneri suo heic desit, aut Tyrannus ejus preces & querelas contemnat: tunc Patronus ille, dum Prudens sit, patrocinio renuntiare debet; & ubi pervicaciter tueri pergens clientes, Vitae potius jacturam pati velit, non Prudens, non laudandus, sed Demens dicendus erit, & ex evidenti quidem ratione. Nam ex ejus morte nihilo melior fieret clientum caussa, atque is interea omnium maximum detrimentum sibi conscisceret sine ullo clientum fructu.

Haec habes reponenda Migliaccio; cetera enim, ut dixi, quae is longa oratione persequitur, petita sunt e gazophylacio P. Parthenotimi, & enormi dicacitate, miroque fastu proposita, confutatione non amplius indigent. Miratus autem fuissem, si ab eloquentissimo isto Theologo praetermissum vidissem locum illum topicum, ad quem quisque Voti Sanguinarii patronus hactenus declinavit, objiciens Lampridio aut nullam, aut exilem Devotionem & Pietatem erga Beatissimam Dei Matrem. Ejusmodi calumniae sciat sese obnoxium esse, quicumque Excessus in cultum & invocationem Sanctorum irrepentes vel levi brachio attingere velit. Quot & quanta Lampridius praemiserit in laudem Deiparae, Cultusque, & Devotionis erga illam, jam non semel audisti. Quam inique nihilominus in eum declamarint Censores, memineris. Unum restabat jaculum, quod unus Migliaccius sibi intorquendum sumsit. Videlicet a Muratorio in Spiritualibus Exercitationibus pronuntiatum: ***La Divozion di Maria Vergine non è già necessaria, nè d'obbligo. Quae propositio***, inquit ille, ***si coram Theologis proferatur, fateor, nigrum utique theta, sed non imprudentiae, languentis atque suspectae pietatis notam effugiet.*** Sed quid si Theologi ipsi statuant, non aliunde, quam e Synagoga malignantium & desipientium prodiisse ejusmodi censuram? Photius in Bibliotheca n. 225. Beati Eulogii Episcopi Alexandrini Librum contra Severum & Timotheum Haereticos referens, Canonem hunc ab eo statutum ait, scilicet: ***Scripta dijudicare non oportere ex parte, neque fragmenta***

quaedam sumendo, ex his de tota Scriptoris mente judicium ferendum. Calumniatoribus hoc familiare esse, addebat Eustathius Antiochenus Episcopus Lib. 6. adversus Arianos. Idem quoque Sanctus Basilius cavendum mandavit, scribens: *Non decere per aliquot fragmenta & divulsiones Scriptoris Pietatem judicare.* Quin hanc aequitatis legem conculcaverit Siculus Censor, neutiquam dubitabis, dum animadvertias, quae ille divulsit ex Muratorii textu, & quae dissimulavit, ut color aliquis esset calumniosae censurae. En integrum Muratorii textum. *Ogni Cristiano Cattolico professa Divozione a qualche Santo suo Avvocato, e spezialmente alla Vergine Santissima, che più degli altri Santi è cara all' Altissimo. Tutto bene: ma ci ha da star davanti una gran verità, insegnata a noi dalla Chiesa Santa, nostra buona Madre ed infallibil Maestra. Cioè che è utile e lodevole la Divozione de i Santi, e massimamente di Maria Santissima; ma questa Divozione non è già necessaria, nè d' obbligo. Senza un tale ajuto si può tanto e tanto salvare. All' incontro non solamente è utile e lodevole la Divozione alla Sacrosanta persona di Gesù Cristo, ma è anche necessaria, e d' obbligo ad ogni Cristiano &c.* Appello nunc Theologos omnes, & Panormitanos potissimum, e quibus plerique recte sentiunt, & recta docent, ut dicant, an non in Siculum accusatorem merito vertenda sint verba Vigilii Tapsensis Lib. IV. contra Eutychen, ubi ait: *Quae cum ita sint, inhonesto uteris officio; Religiosis callide insidiaris, ut superiora demendo, ac sequentia non addendo, ita media eligis, ut verba sententiis exuens, de eorum nuditate pro arbitrio ludas. Redde igitur suis omnia locis, & propria sententiis indumenta restituas; & noli insidiosis fraudibus calumnias innectere.* Dicant etiam, rogo an non justo omnium Judici rationem redditurus sit accusator, qui pauca ab eo textu distraxit, & reliqua dissimulavit, ut proximo suo apud incautos & ignaros imprudentiae & suspectae Pietatis notam detestanda hac arte inureret? Denique dicant, an insipientiae & malignitatis notam effugere possit, qui suspectae Pietatis arguit fratrem suum ex eo ipso loco, in quo is Pietatem ipsam erga Sanctos, & *Potissimum* erga Beatissimam Virginem, commendat, *utilemque* & *laudabilem* profitetur? Prope est ut dicam, nisi in mentem parum sui compotem cadere haec non posse.

Neque is profecto negare ausus est, quin orthodoxa sit Muratorii sententia; eam tamen ad Populum deferri, Imprudentiae facinus putat. Immo Christianae Reipublicae interest haec vulgari, ut populus Christianus, dum commendari audit Devotionem erga Beatos Dei

Ser-

Servos, & Praecipue erga Mariam Sanctorum Reginam, simul addiscat quid differentiae intercedat inter illam Utilem atque Laudabilem, atque alteram Necessariam, quam Ecclesia habendam docet omnium Salvatori Christo Jesu. Immo Imprudentiae arguendus, qui Concilii Tridentini doctrinam depraedicandam negat, atque Heterodoxis novas oblatrandi in nos caussas ministrat. Obstruxerant eis ora Tridentini Patres, sententiam Ecclesiae antiquissimam & puram de Sanctorum intercessione, invocatione, & cultu proponentes, & *bonum atque utile esse suppliciter eos invocare* tantummodo statuentes. Quid Haeretici dicerent, immo quid non dicerent, Theologum Catholicum nunc offendentes, qui ejusmodi doctrinam evulgandam negat, & evulgantem imprudentiae & suspectae Pietatis insimulat? Et potissimum quando tot magni nominis Theologi laudarunt quidem cultum & invocationem Sanctorum (quod & Muratorius fecit) nullum tamen commune Praeceptum sive obbligationem jamdiu agnoverunt in hac Religionis parte, & libere id etiam praedicarunt. En quos ego novi, Jacobus Masenius, Franciscus Suarez, Martinus Becanus, & Dionysius Petavius, insignes Theologi e Societate Jesu. Idem publicis typis protestati sunt Adrianus & Petrus Walemburchii fratres, Natalis Alexander, Joannes Pontas, Bossuetus Episcopus Meldensis, Joannes Viguerius, Joannes Baptista du Hamel, & Cardinalis Gottus in Italico celebri Opere adversus Picininum Haereticum, & nuper P. D. Joannes Chrysostomus Trombelli Bononiensis Abbas Canonicorum Regularium Salvatoris in Libris de cultu Sanctorum. Num hi Imprudentes, an qui Dogma hoc occultum vellet, ut cum Siculo Saguas, cujus anomalias antea excussimus, alienam a Tridentino Concilio doctrinam, ac propositiones quasdam piorum virorum emolliendas, non exaltandas, misero Populo inculcare pergat? Evangelium certe, puramque Ecclesiae doctrinam erubescere nemo debet. Hanc ii tantummodo erubescunt, & evulgatam aegre ferunt, qui ab ea discedunt. Neque ullum pusillis Scandalum timendum unquam erit, ubi commendatam audiant *Devotionem erga Sanctos, & Praesertim erga Sanctissimam Dei Genitricem;* sed quidem sperandum fore, ut enixius studeant Necessariae Devotioni erga Jesum Christum, qui est suprema Spes nostra; *non enim est*, ut Apostolorum Princeps nos docuit Act. IV. 12. *in alio aliqua salus; nec aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Si Muratorius Tridentinum Concilium sequitur, si Lampridius Romanorum Pontificum Decretis innititur in Quaestione de Virginis Conceptione: quae sors

 futura

futura fit contrariae Migliaccii, ejusque commilitonum Sententiae, tot dicteriis saturatae, non incongruum erit conjicere. Unum restat, quod solatio esse possit Lampridio, considerandi, non tantummodo in se ipsum Literatorum postremum, sed & in ipsos rei Literariae Antistites Migliaccium debacchari. Dixerat Lampridius Cap. XXI. pag. 161. ab Hispanica Inquisitione proscriptum fuisse temporibus nostris eximium Opus, & celebre Eruditionis Ecclesiasticae promtuarium, scilicet Acta Sanctorum a P. Bollando Soc. Jesu, ejusque Successoribus collecta & illustrata quam plurimis Tomis, sed subinde pristino honori restituta. Quid ad haec Migliaccius? *Perinde*, is ait Diss. VIII. Cap. 4. pag. 266. *quasi grande piaculum admiserit Inquisitio Hispanica praescribendo* (is *proscribendo* scripserit) *Antuerpiensium Opus, quod deinde emendatum permisit, cum Neminem Eruditorum lateat, quot lacunae, quot INEPTIAE, quae Intemperantioris Criticae Exorbitantiae Opus illud Inficiant. Paucis ab hinc annis, quum Romae essem, ad manus habui quaedam folia incerti Auctoris, e proelo adhuc recentia, quibus amariori stylo hujusmodi Eruditorum nonnulli errores & nugae proscindebantur: quae si quis legerit, serium certe ridebit, & dicet:*

Sunt apinae, tricaeque, & si quid vilius istis.

Sed *Nemo Eruditorum* erit, qui non in hoc homine multum inscitiae certe parum verecundiae, offendat, quando is tam claros doctissimosque viros, eorumque volumina ob saniorem Criticam, atque ob Eruditionem uberrimam a melioribus quibusque probata, cachinnis excipit, ac temere proscindit. Levium profecto ingeniorum est, eos non ferre, qui Populum erroribus ab Ecclesia improbatis, Historiam Ecclesiasticam fabulis liberare contendunt. Et immani quidem censura adversus eadem Acta Sanctorum insurrexit P. Sebastianus a S. Paulo; sed rogandus est Migliaccius, ut legat *Responsionem* Cl. P. Papebrochii; tunc enim, si sapit, fortassis eum pudebit intemperantiae suae, ac discet, Ecclesiae Catholicae deceptores & destructores non tantum esse, qui fabulas, & potissimum qui sententias verae doctrinae adversantes spargunt, sed etiam qui sparsas refellendas & eradicandas negant. Neque ultra loquutus est Romanus Abbas, cujus sensa & argumenta literis Latinis a me mandata, mi Azevede, jam tenes, Vale,

Neapoli V. Non. Majas MDCCXLII.

Aze-

Azevedo suo Ferdinandus Valdesius P. S.

EPISTOLA DECIMASEXTA.

OPPORTUNE accidit, Azevede amantissime, ut dum novissimae literae tuae aliquid novi a me peterent de Voto Sanguinario, non mihi longe quaerendum fuerit, quo tuis votis obsecundarem. Ante aliquot dies amicus meus Romanus Abbas legendum mihi tradiderat Opusculum Italica Lingua conscriptum, & ex Panormitana typographia emissum, cui titulus: *La Risposta senza Maschera al Signore Lodovico Antonio Muratori del P. Attardi Agostiniano.* Auctor Libelli vir Clarissimus, utpote qui ex aliis Libris illustre sibi nomen antea quaesierat; immo is Siculorum omnium doctissimus, uti fidem faciunt Epigrammata in ejus laudem composita, ibique edita, quippe ibi legitur.

Tu il maggior dotto sei del nostro Regno.

Festivum illius stilum dicas, urbanitatem quoque praefert adhibita ab illo pugnandi ratio. Post Opusculi lectionem eumdem Romanum Abbatem adii, ut quae mea de illo sententia foret, exponerem; seu potius quid ipse sentiret, acciperem. Sed ille hisce me verbis praeoccupavit: Agitur heic, mi Valdesi, de egregio viro, quo cum mihi ab ineunte aetate arcta intercedit amicitia, immo & summa necessitudo. Is uti ceteros Libros suos, ita & hunc ad me misit, meumque pro sua humanitate de illo judicium poposcit. Quid ego rescripserim, quum voles, non te celabo. Me tunc rogante, ut sine mora voluptatis hujus compotem me faceret, is Epistolam suam exeruit, neque tantummodo legendam dedit, sed etiam describendam, si vellem, permisit. En ergo illius exemplum.

Clarissimo Patri Bonaventurae Attardo Ordin. S. Augustini N. N. bene omnia agere.

„ PRope fuit, ut de diurno silentio tuo conquererer, celeberri-
„ me Attarde, quum anxietatem omnem mihi eripuerunt li-
„ terae tuae novissime ad me datae. Gratissimae eae quidem,
„ sed gratiores, quod una cum eis Opusculum nuper a te composi-
„ tum acceperim. Quod solum dolui, primus legere non potui; alia

„ quip-

„ quippe exempla huc delata quam citissime fuerant, certantibus qui-
„ busque tua legere, tua mirari. Et quandoquidem judicium meum
„ consueta sinceritate, qua semper usus sum, paene extorques, quid
„ mihi acciderit, fortassis legere non te pigebit.

„ Dum die quadam cum doctissimis quibusdam amicis meis ver-
„ sarer, in Libellum a te pro Voto Sanguinario conscriptum sermo
„ deflexit. Erant, qui non una laude dignum asserebant; alii contra
„ mirabantur, te, quem alioqui magni faciunt, & instituto & doctri-
„ na Sancti Augustini filium, in hujusmodi agone ab eo defecisse,
„ quasi non omnia perspecta habeas, quae tantus Doctor tot in locis
„ de hoc argumento scripta reliquit. Equidem jocandi caussa repone-
„ bam: Putatisne, P. Attardum, tantae eruditionis virum, heic serio
„ egisse? Mihi certe aliter videtur. Ad me quippe is scripsit, se ab
„ hujusmodi controversia alienum, tot precibus eorum, qui Votum
„ concipiunt, pulsatum fuisse, ut victas tandem dederit manus, &
„ ad scribendum Opusculum hoc sese paene invitus contulerit, prodi-
„ turus, non quod ipse intimo in corde sentiret, sed quod pro ea
„ caussa Advocatorum more adferri posset. Contra clamarunt omnes;
„ ego vero in me recepi postera die ostendere, quam solida justaque
„ foret suspicio mea. Haec sane ludens primo loquutus fueram, ac
„ ludum continuare animus fuit; verum, Attarde carissime, forsan
„ ridebis, ubi audiveris post novum Libri tui examen suspicionem
„ meam ita adauctam, ut in certam quasi persuasionem conversa fue-
„ rit. Itaque altera die ad amicos regressus ajebam. Nemo ex vobis
„ est, ut reor, cui perspectissima non sit P. Attardi singularis erudi-
„ tio, & subactum judicium. Ubi in ejus Opusculo offendatis ratio-
„ nes nullius momenti, inanes difficultates, Sanctorum Patrum verba
„ perperam adhibita: quid aliud excogitandum est, nisi ipsum inservis-
„ se tempori, & amicorum importunitati cessisse, ea tamen pugnan-
„ di specie delecta, quae vera & efficax praeoccupatis nonnullorum
„ affectibus videretur, ficta vero & ludicra deprehenderetur ab aliis?
„ Quod hactenus dixi, confirmandum nunc mihi suscipio.

„ Inquit is pag. 19. debuisse Lampridium imitari moderationem
„ Sancti Augustini, qui de *Peccatis* loquens professus est, se nolle de
„ Maria Virgine loqui. En ejus verba Lib. de Nat. & Gratia Cap.
„ 35. *Excepta itaque Sancta Virgine MARIA, de qua propter hono-*
„ *rem Domini, nullam prorsum, cum de Peccatis agitur, habere volo*
„ *quaestionem. Unde* (sive *inde*) *enim scimus, quod ei plus gratiae*
„ *collatum fuerit ad vincendum omni ex parte Peccatum, quae concipe-*

„ *re*,

„ *re, ac parere meruit, quem constat nullum habuisse Peccatum.* Ad „ haec verba commentarium suum addit P. Attardus, inde inferens, „ Originalis quoque labis expertem fuisse Deiparam. Sed quis non „ agnoscat, perfunctorie ista ab eo fuisse prolata? Primo is probe noverat, „ nunquam asseruisse Lampridium, Virginem Sanctissimam incurrisse „ Peccatum originale; immo is centies agnovit uti Piam ac „ Probabilem, immo & Probabiliorem altera, sententiam eximentium „ ab eadem macula Beatam Mariam. Unum ille contendit, *Certitudine* „ carere ejusmodi Sententiam. Secundo, omnium maxime religiosissimus „ vir compertum habebat, eo ipso in loco Sanctum Augustinum „ agere de Peccatis Actualibus, scilicet mortalibus atque venialibus, „ non vero de Originali. Commemorabat Pelagius eos, *qui* „ *non modo non peccasse, verum etiam juste vixisse referuntur, Abel,* „ *Enoch &c. Annam filiam Phanuel, Elizabet, ipsam etiam Domini* „ *ac Salvatoris nostri Matrem, quam dicebat sine peccato confiteri necesse* „ *esse pietati.* Quid Augustinus? *Si omnes,* ait, *Sanctos & Sanctas,* „ *cum heic VIVERENT, congregare possemus, utrum essent sine* „ *peccato, quid fuisse responsuros putamus? Utrum hoc, quod iste* „ *dicit, an quod Johannes Apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in* „ *hoc corpore excellentia sanctitatis, nonne una voce clamassent: Si dixerimus,* „ *quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas* „ *in nobis non est.* Antea quoque dixerat, *non frustra etiam justos* „ *in oratione dicere: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus* „ *debitoribus nostris.* Certe Christianus quisque, sive justus, „ sive injustus, dicere potest, se Peccatum non habere originis, quia „ renatus ex aqua & Spiritu Sancto, in hoc non decipitur. Respicit „ ergo illud *Dimitte nobis debita nostra,* atque illud *Si dixerimus quia* „ *Peccatum non habemus,* Peccata actualia, Peccata actionis & omissionis, „ & Peccata, ut inquit idem Augustinus, *quae subinde ignorantia* „ *vel infirmitate committuntur* in vita hominis, non vero Peccatum „ originis. Ab hisce Peccatis actualibus exceptam vult Augustinus „ beatissimam Salvatoris Matrem, eamque revera ipsorum fuisse „ expertem, dogma est Catholicae Religionis. De hisce ergo ibi „ disputatio erat, uti reliqua evincunt, quae praetereo. Tertio, ubi „ ad quaestionem de Peccato originali venitur; exceptionem praedictam „ Augustinus non adfert; immo contra sensisse deprehenditur. „ Cap. 48. ejusdem Operis de Natura & Gratia Pelagius memorans „ Apostoli verba Rom. V. 12. *Per unum hominem peccatum intravit* „ *in mundum, & per peccatum mors, ita in Omnes homines pertransiit,*

„ *fiis*, *in quo Omnes peccaverunt*, contendebat, *cum dicuntur Omnes*,
„ *non semper Omnes omnino NULLO PRAETERMISSO intelligi*
„ *oportere*, huc advocando Apostolum ipsum infra dicentem: *Sic &*
„ *per unius justitiam in Omnes homines in justificationem vitae*, quum
„ tamen non Omnes justificentur. At Augustinus insurgens ait: *Si-*
„ *cut dictum est: Sicut per unius delictum in Omnes homines in con-*
„ *demnationem*, *ut NULLUS PRAETERMITTERETUR: sic &*
„ *in eo quod dictum est: per unius justitiam in Omnes homines in ju-*
„ *stificationem vitae*, *NULLUS PRAETERMISSUS est; non quia*
„ *Omnes in eum credunt*, *& Baptismo ejus abluuntur; sed quia Ne-*
„ *mo justificatur nisi in eum credat*, *& Baptismo ejus abluatur*. Si
„ in Omnes homines ita Peccatum originis pertransiit, ut *Nullo Prae-*
„ *termisso*, Omnes eadem damnatione teneantur: quid hac de re sen-
„ serit Augustinus, jam intelligimus, nullaque dubitatio est, quin
„ & P. Attardus hoc ante nos viderit, ac propterea loci illius men-
„ tione facta ludum duntaxat agere voluerit. Et quamvis ille pag.
„ 80. rursus instet, omissum a Lampridio fuisse hunc Augustini lo-
„ cum, quasi sibi contrarium, jam manu tetigisti, an revera ab aliis
„ suis locis discors ibi sit Sanctus Doctor, & an Certitudo Piae Sen-
„ tentiae inde elici possit. Liceat quidem adhibere haec verba ad au-
„ gendam illius Probabilitatem, non vero ad Certitudinem ei conci-
„ liandam.

„ Non dissimili stropha pergit doctissimus vir pag. 24. & sequ.
„ inhonesta quorumdam Siculorum adversus Lampridium scripta ex-
„ cusare, ratione hac utens: *noi non siamo stati i primi a provocare*,
„ *provocati siamo stati*. Putatisne, haec ex animo revera pronuntiata
„ fuisse? Equidem non puto. Non ignorabat Attardus, quum primum
„ Lamindus Pritanius Votum Sanguinarium obiter improbavit, nul-
„ lum de Siculis verbum fuisse factum. Opinioni illi is tantummodo
„ est adversatus; nemo ob id in judicium vocatus; nullus ex Siculis
„ accusatus. Quod plus est, neque Pritanius, neque Lampridius rem
„ contumeliis & maledictis egere. Detestandum hoc pugnandi genus
„ uni Siculi postea asurparunt, atque illud nunquam ferendum prae
„ ceteris P. Attardus novit, dum satis perspecta habet haec Origenis
„ verba in fine Lib. I. contra Celsum: *Ceterum quid attinet respon-*
„ *dere homini veritatis sermonem ad maledicta conviciaque detorquenti?*
„ *Hoc enim non est disputatoris*, *sed plebejum & indignum Philoso-*
„ *pho vitium*, *& furoris indicium: quum deberet rem propositam exa-*
„ *minare candide*, *& quantum fieri potest nihil alienum ab ea dicere*.

„ De-

„ Deinde religiosissimus vir demonstrandum suscipit, Sententiam Piam „ non amplius esse *Opinionem dubiam*, sed *Sententiam Fidei valde vicinam*, quia ut habet Alexandri VII. Constitutio, *jam fere omnes Catholici eam amplectuntur*. Sed ubi clam interrogare P. Attardum „ nobis liceret, sincere, ut reor, is fateretur, haec ad pompam dici, „ neque per ea Sententiam Piam ad gradum ullum Certitudinis hactenus assurrexisse, contra clamantibus ipsis Romanorum Pontificum „ Constitutionibus. Academiae vero eamdem amplectentes, nihil aliud volunt, nisi eam uti altera Probabiliorem tueri: quod de aliis quoque Scholae Opinionibus dicendum est. Neque ullum Sententiae Piae pondus addit Fidelis Populi pia in illam inclinatio „ mentis; Populus enim indoctus eo fertur, quo Docti viri in Pietatis rebus ipsum impellunt. Anno proxime praeterito integrum ferme Panormitanum Populum nullo negotio adduxere nonnulli humanis artibus usi (quod non antea factum) ad Votum Sanguinarium amplectendum. Ex illius Populi consensu, quem P. Attardus „ pag. 50. non paucis Rhetoricis coloribus extollit: num honestum, „ licitumque, & Deo ac Virgini gratum evasit hujusmodi Votum? „ Apage. Immò circulatorias hasce artes ne ipsi quidem Attardo probatas fuisse mihi persuadeo, quum nihil caussae prosint, & contra „ vix Temeritatis absolvas, dum in discrimen hominum Vitam adducunt, Populo veluti Certa ea proponendo, quae adhuc in disputatione versantur, & Apostolicae Sedis judicium expectant.

„ Ut autem evidentius intelligatis, P. Attardum speciosis duntaxat armis usum fuisse, importunis amicis negare hoc officium non „ ausus: animadvertite, quid is habet pag. 39. Petit ille, ut Lampridius diserte edicat, Prudensne, an Imprudens sit Dubitatio de „ Veritate Piae Sententiae. Si postremum is asserat, caussam obtinuere Panormitani. Sin primum, Panormitanos minime de ea Veritate dubitantes, uti imprudentes, stultos, ac superstitiosos ille arguet, eosque gravius laedet, atque ad iram provocabit. Haec Attardus, quanquam conscius, Lampridium non semel confessum fuisse Prudenter credi, Prudenter depraedicari, atque defendi a suis asseclis Piam Sententiam, dum tutela consistat in Scholasticorum armorum apparatu. Nulla est hac de re Lampridii controversia cum „ Panormitanis. De *Certitudine* tantum disputatur, ac de ista quin „ Prudens Dubitatio occurrat, nemo neget, qui sine praeoccupatis affectibus Sanctos Patres consulat, nobis a Deo post Divinas Scripturas ad Veritatem duces relictos; & praesertim consideret, quid ha-

„ ctenus tum de ista Sententia, tum de opposita, summi decrevere
„ Pontifices. Quare ubi quisquam Sanguine proprio Piam Sententiam
„ tueri velit, tunc eo magis Prudens Dubitatio insurgat necesse est,
„ liceatne an non hujusmodi facinus. Rationes Dubitationis hujusce
„ a Lampridio propositas nihil attinet refricare, dum eas insolutas
„ P. Attardus dimittit, & nondum ostendit, ea Certitudine constare
„ Piam Sententiam, pro qua Vitam impendere liceat. Atqui P. At-
„ tardus pag. 45. negat *Hominum Vitam pretiosum*, *&* *ingentis pre-*
„ *tii donum* esse, uti Lampridius scripserat, quando Sanctus Augusti-
„ nus Lib. I. Cap. 16. de Lib. Arbit. *Corpus hominis partem vilissi-*
„ *mam* appellavit. Lampridius vero (subdit Attardus) *vorrebbe trat-*
„ *tare il nostro Corpo da Padrone e non da Servo; non da Schiavo,*
„ *ma da Signore, ed avvezzarlo alle morbidezze, alle lusinghe. Ecco*
„ *come valuta la Vita del nostro Corpo.* Nisi heic deprehenditis evi-
„ dentius quam alibi jocantem Attardum, tarditatis ingenium ve-
„ strum accusabo. Utique componere cum Anima Corpus nostrum si
„ velimus, *partem vilissimam* appellare licebit: Sejunctum ab Anima,
„ plus etiam vilescere dicas. Ast ubi Corpus cum Anima copulatum
„ incedit, quod nos *Vivere*, seu *Vitam* dicimus, tunc alia adhibenda
„ statera est, Augustinus non *Vitam Corporis*, sed *Corpus partem vi-*
„ *lissimam appellat.* Finge tamen de Vita id dici. Nihil facilius,
„ quam congerere veterum dicta de misera conditione Vitae nostrae,
„ Corporisque nostri, Declamatorum more, qui eamdem rem susci-
„ piunt modo deprimendam, modo exaltandam, pro diverso videli-
„ cet rerum aspectu. Sed ridebat, uti opinor, Attardus haec effun-
„ dens; uno quippe stans pede, si voluisset, fassus fuisset, vivens ho-
„ minis Corpus, sive Vitam hominis, ceteris temporalibus bonis prae-
„ stare. Ipsemet Augustinus praecedenti Capite haec enumerans in-
„ quit: *Ea autem sunt: Primo hoc Corpus, & ejus quae vocantur Bo-*
„ *na, ut integra valetudo, acumen sensuum, vires, pulcritudo, & si*
„ *qua sunt cetera, partim necessaria bonis Artibus, & ideo pluris pen-*
„ *sanda, partim viliora &c.* Dies prius nos deficeret, si singula per-
„ pendere velimus, quae nobilem Corporis conditionem commendant,
„ dum viget illius unio cum Anima, sive mirabilem Physicam ipsius
„ structuram spectantes, de qua multa habent S. Basilius in quadam
„ Homilia sua, S. Ambrosius Lib. 6. Cap. 9. Examer. & Cassiodo-
„ rius Lib. de Anima Cap. 16. sive ipsum uti habitaculum Animae
„ considerantes, cui famulatur ad innumera peragenda, atque ad i-
„ psam Vitam aeternam consequendam, & sine cujus famulitio &
„ con-

„ consortio Anima quid agere possit, quaeso edicite. Id nunc meminisse sufficiat, ab Apostolo 1. Cor. VI. 15. appellari *Corpora nostra membra Christi*, ac *templa Spiritus Sancti*. Silicet, uti S. Augustinus ait Serm. 18. de verb. Apost. *Propter Corpus Christi Corpora nostra membra sunt Christi. Propter inhabitantem Spiritum Christi, Corpora nostra sunt Templum Spiritus Sancti*. Eaque tantae dignitatis, ut in Caelum transferenda sint, quum corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem. Sed quid plura quaerimus? Homicidium & Suicidium quantopere detestentur divinae ac humanae leges, nemo ignorat. Controversiam denique heic omnem dirimit Dominus, inquiens Joann. XV. 13. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Potes impendere fortunas tuas, potes & Regnum: minoris ista erunt in comparatione Vitae, si des illam pro Deo. I nunc, & Corpus, sive Vitam hominis inficiare, si audes, ingens ac pretiosum hominis Bonum, quando majus sacrificium Deo praestari nequit, & idcirco meritis quibuslibet Confessorum merita Martyrum Ecclesia praefert. Nihil horum latet P. Attardum. Consequens igitur est, ut is calamum suum joci tantum caussa in Corporis, seu Vitae nostrae contemtum excurrere siverit, quasi levibus de caussis, atque ad arbitrium nostrum eamdem prodigere fas sit, & pro Opinionibus, hoc est pro incertis rebus, tantum ac tam certum Bonum dare, Imprudentia ac Temeritate careat. Atque haec ego dicenda habui; nam quae reliqua apud eundem P. Attardum prostant, tantummodo velitationes hominis ludentis ipsa quoque videntur, ac vobis propterea discutienda relinquo. Neque plura addidi. Subsequutum tunc fuit amicorum murmur non leve, nonnullis suspicioni sive opinioni meae *assensum* praebentibus, aliis vero negantibus. Tuum nunc est, amantissime Attarde, qualis revera fuerit, sitve animus tuus, mihi sincere aperire; fidem enim meam obligo, si forte probes quae dixi, me nunquam confessione tua usurum, sed mihi duntaxat gratulaturum, quod praesenserim, te non aliam fovere sententiam, quam quae Augustinianum, egregiumque virum deceat. Vale. Neapoli III. Non. Apr. MDCCXLII.

Quomodo, & quam diversis studiis procedant negotia haec, mi Azevede, ex istis intelliges. Mihi interea nuntiatum est, aliam nuper emersisse Siculorum Dissertationem adversus Lampridium, quam mihi comparare non desinam. Atque heic excidit mihi vox illa *Siculorum*, quum tamen ea nihil aliud significet, nisi Panormitanos;

eosque non omnes, Sanguinario Voto dicatos. Quid enim reliqui Siculi heic sentiant, incompertum est mihi. Haec dabam Neapoli Pridie. Id. Majas MDCCXLII.

Azevedo dilectissimo Valdesius.

EPISTOLA DECIMASEPTIMA.

MULTA ante paucos dies ad te scripseram, Azevede Amantissime. Differente in dies discessum navita, cui literas eram traditurus, novas addere statui. Nam interea supervenit Liber, Panormitanis typis hoc eodem Anno 1742. procusus, cui titulus: *Lampridius ad trutinam revocatus, Auctore Josepho Ignatio Milanese Soc. Jesu, in Panormitana Collegii Maximi Academia Theologiae Professore*. Ostendendam is sibi sumsit *Immaculatae Mariae Conceptionis Certitudinem, ejusdem Immunitatem a Debito Proximo Originalis culpae contrahendae*. Fateor, tantum mihi temporis & patientiae non fuit, ut spissum Opus continuata lectione percurrerem: quaenam enim voluptas, qui fructus, aliis verbis repetita legere, quae alii antea, neque semel, nobis exhibuerant? Paucis ergo accipe, quodnam fuerit meum de hocce Libro judicium. In isto sane Auctore neque scientiam, neque eruditionem desideres. Magistralis pro more illius stylus, & stylus quidem in iram & prope in contumelias pronus. Optandum tamen foret, ut qui Theologiam profitentur, eamque alios edocturi sunt, puriori doctrinae studerent enixius, & ab iis, quae Superstitionis speciem referunt, diligentius sibi caverent. Sanctissimam Dei Parentem *Spem nostram* appellare, fas licitumque dixerat Lampridius. Quum enim Intercessionem Sanctorum apud Deum Ecclesia semper laudaverit, utilemque Christiano homini censuerit, justa *Spes* sit necesse est, quam in eorum precibus collocamus, & praesertim in Deiparae praesidio, quae supra ceteros Sanctos gratiam invenit in oculis Dei. At ipsam dicere *Spem Unicam Peccatorum*, quo nomine donatur in Sermone quodam, S. Augustino perperam tributo, Lampridius minime probaverat, atque emolliendam ejusmodi appellationem senserat, ita ut significet *Spem grandem*, non vero *Solam* Peccatorum. Insurgit heic P. Milanese Cap. VI. §. 85. *delicatissimam*

Lam-

Lampridii *conscientiam*, ejusque religionem ac timorem ridens; quando Sancti Patres Caelorum Portam dixere Virginem Sanctissimam, & S. Bernardus *Unicam Peccatorum Advocatam* appellavit. Sed viro doctissimo animadvertendum erat, laudabili translatione Mariam commendari uti Caelorum Portam, quippe quae Salvatorem genuit, per quem aperti sunt Caeli, nobisque aditus est ad beatissimum illud Regnum: *Unica* vero *Peccatorum Advocata* quum dicitur, emollienda & heic est hujusmodi phrasis, ut *potentem* & *grandem* significet, non vero *Solam*. Alioqui mentientem faciemus Joannem Apostolum, dum testatur (I. Joann. II. I.) nos, si peccaverimus, *habere Advocatum apud Patrem*, *Jesum Christum justum*. Rursus Catholicae doctrinae adversabimur, quae non Virginem tantummodo, sed & ceteros Sanctos agnoscit nostros apud Deum Advocatos, neque de eorum patrocinio dubitat.

Ad haec ait P. Milanese, Academiam Parisiensem Anno 1736. instaurasse decretum de celebranda Missa solemni *die sacra B. Mariae Immaculatae Virginis Conceptioni*, *ut religiosam* (hoc est *religiosa*) *Populi Christiani in gloriosissimam Dei Genitricem*, *UNAM HUMANI GENERIS SPEM*, *Patronam*, *ac Matrem*, *Devotio*, *Pietas*, *&* *Caritas in dies magis foveatur*, *ac augeatur*. Subinde vero religiosus vir addit: *Facultas Sorbonica non est anicula quaedam*, *quae foco assidens fabulas puellulis narret. Coetus est perillustrium virorum: quem si pro mille Lampridiis habendum dixero*, *vix ullus falsi me postulaverit*. Equidem tanti ego facio scientiam & sapientiam celeberrimae Facultatis Parisiensis, ut vix ad credendum inducar, excidisse ei tam crudam, adeoque exorbitantem sententiam. Attamen quum P. Milanesius de hoc dubitare nos non sinat, atque decretum illud Parisiensibus etiam typis commissum affirmet: heic appello ego universos Theologos non summi tantum, sed & infimi subsellii, rogaturus, ut edicant, sitne toleranda, an potius recensenda inter Haereses contraria adeo divinis Scripturis, & Dogmatis Ecclesiae Catholicae, doctrina. Quis enim non illico videat ac fateatur, novum his verbis nobis obtrudi Evangelium, Evangelio Catholicae Ecclesiae nimis injurium, ac per ea verba destrui divinam *Spei* Virtutem, cujus proprium seu praecipuum objectum *Deus* est, a cujus potentia & misericordia, atque ab infinitis *Salvatoris nostri* meritis speramus beatitudinem aeternam, & auxilia ad eam consequendam? Si *Una Spes* nostra Virgo depraedicatur, & vox *Una* significat, non in alio objecto, nisi in Virgine, collocandam esse *Spem* Christianorum:

rum:

rum: non amplius ad Deum convertenda erit Spes nostra, sed ad Deiparam *Unam:* quod quis Catholicorum excogitare audeat, immo non horreat? Ad haec passim divinae Scripturae sperare in Deo nos docent ac jubent. *In Deo Salutare meum, & gloria mea; Deus Deus auxilii mei, & Spes mea in Deo est* Ps. LXI. 8. *Domine, Spes mea a juventute mea.* Ps. LXX. 5. *Quoniam tu es Domine Spes mea.* Ps. XC. 9. Apostolus vero nos laetificat mentionem faciens 1. Tim. I. 1. *Christi Jesu Spei nostrae.* Et Colofs. I. 27. *Christus in vobis Spes gloriae.* Propterea in antiquissima Ecclesiae Romanae Liturgia, a Cardinali Bona in Liturgicis edita, Confessionem suam ita Episcopus in Missa exprimebat: *Suscipe confessionem meam, Unica Spes salutis meae, Domine Deus meus Jesu Christe &c.* Reliqua loca praetereo, uti & Sanctos Patres pari concentu idem tradentes; nota quippe haec sunt cuicumque sacris literis operam danti, & praecipuae quae S. Augustinus habet Enarr. in Psalmum LX. Quod mirum est, haec ignorare nequit, & nihilominus informi quadam Devotione eo abripi se sinit P. Milanese, ut *Unam Spem* Christiani Populi agnoscat, aut se agnoscere fingat beatissimam Christi Domini Matrem. Et ne quis dubitet, an persuasio haec altas in illius corde radices egerit, eumdem audiamus in Praefatione fatentem, se *pro Virgine Sanctissima* decertare, *quam ipse a teneris unguiculis Parentis loco habui, cui quidquid in me est, quidquid erit, refero, & referam acceptum.* Nemo Catholicorum est, qui praecipuo amore & cultu Deiparam non veneretur, invocet, atque ejus ope se plura a Deo impetraturum speret; intercessio enim ipsius apud Dominum supra ceterorum Sanctorum efficax est. Sed Ecclesia nos docet, quidquid boni est in nobis, ad Deum esse referendum, a quo beneficia cuncta procedunt per Filium ejus Jesum Christum, *qui solus noster Redemtor, & Salvator est.* Quare quid dicas de Theologo protestante, nulla Dei mentione facta, se Beatissimae Virgini acceptum referre quidquid boni in se est, atque erit, hoc est Peccatorum remissionem, Gratiam Dei, rectas cogitationes, inspirationes, atque Virtutes? Utinam & heic non exclamet Dominus per Hieremiam 11. 13. *Me dereliquerunt fontem aquae vivae.* Certe Heterodoxi, quorum mos est Ecclesiae Catholicae perperam tribuere privatorum hominum anomalias in Religionis doctrina, dum Patrem Milanesium audiunt docentem, *Unam humani Generis Spem* esse Mariam, seque ei, non vero omnium donorum largitori Deo, debere quidquid boni in se deprehendit: non aliud inde elicient, nisi Deiparam non solum *Parentis*, sed etiam *Dei* loco esse

huic

huic Theologo; & saltem rudi Populo nihil aliud quam perniciosum hoc dogma aut saltem Superstitionem olens, in mentem venire posse. Nos interea animadvertentes, patentia doctrinae Catholicae documenta perverti, & neutiquam ad verae puraeque Theologiae lydium lapidem ab ipso exigi suae Devotionis immodicum fervorem: nihil postea mirabimur, si eundem offendemus in alios quoque declinare excessus, dum *Certitudinem* Piae Sententiae de Immaculata Virginis Conceptione persuadere nobis contendit, dum *Sanguinarium Votum* dealbandum suscipit, dum e *Debito proximo* Sanctissimam Redemtoris Matrem eximit.

Ad Piae Sententiae *Certitudinem* statuendam quod attinet, multa is congerit, rationes, consensum Academiarum, Festum Conceptionis, Concilia nonnulla, Theologos quamplurimos, & quid non? Sed quae antea Lampridius attulit, quaeque & ego ad te, Azevede amantissime, scripsi; jam nihil aliud exposcunt, ut appareat, quam fluxo in loco ejusmodi Certitudinis fundamenta jacta fuerint. Rogandus autem est egregius iste Pugil, ut sincere edicat, quale sit obsequium suum erga Apostolicae Sedis doctrinam, & Romanorum Pontificum Constitutiones. Is, ut arbitror, continuo fatebitur, sibi pluris esse Romanae Ecclesiae dogmata & praecepta, quam propriae imaginationes, & subtilia foecundaque sui intellectus cogitata. Credere par est, non aliam mentem fuisse atque esse ceteris Catholicae Ecclesiae filiis, qui Petri Cathedram tanta veneratione prosequuntur, ejusque judicium opinionibus suis quibusque praeponendum norunt. Quamobrem quicumque hactenus amplexi tutatique sunt Piam Sententiam, aut adhuc tuentur, non aliud sensisse aut sentire censendi sunt, quam quod Romana Sedes sensit & sentit. Meridiano autem sole clarius est, in Ecclesia Romana haberi quidem Piam & Probabilem, & liceat etiam dicere, altera Probabiliorem, Scotisticam Sententiam, non vero Certam. Sub gravissimis poenis vetuerunt hactenus Romani Pontifices, quibuscum concors perrexit Tridentinum Concilium, ne quisquam *Peccati* aut *Haeresis* alterutram de Conceptione Opinionem sive Sententiam insimularet. Pius etiam V. praecepit, ne quis *Erroris* Thomisticam argueret. Vel ipse Alexander VII. Pontifex, quamvis prae ceteris favorem Scotisticae impartitus, & Academias, & omnes fere Catholicos in eam consentientes agnoscens, nihilo tamen secius Sixti IV. aliorumque praecedentium Pontificum hac de re Decreta confirmat; neque Pii V. Bullae suam vim detrahit, immo dum Gregorii XV. Constitutionem de verbo ad verbum renovat, Pianam quoque

a se

a se confirmatam ostendit. Satis etiam in aliis literis ad te datis demonstratum arbitror, nunquam interdictam ab Apostolica Sede fuisse celebrationem Festi Conceptionis sub significatione *Sanctificationis*. His positis, quicumque habet (habere autem omnes debemus) honorem decretis & judiciis Romanae Ecclesiae Matris nostrae nequit non agnoscere, laudandam quidem esse Piam Sententiam, pro Certa vero minime esse habendam, & commendandos, qui eam amplectuntur; at nequaquam probandos, ubi ingeniis suis nimium fidentes ea se videre putant, quae nondum vidit sapientia procul dubio major, & cunctis veneranda Romanorum Pontificum.

Superfluum proinde est legere quae P. Milanese ex Historia proscripta de Conceptione Deiparae, atque ex Salazario, Sfondrato, aliisque notissimis Libris erasit, sperans, se propinaturum exoptatam Certitudinem Scotisticae Sententiae incautis Lectoribus, qui momenta contrariae Opinionis aut ignorant, aut non satis accurate perpendunt, quia animo jamdiu affectibus praeoccupato in ejusmodi quaestionem invadunt. Haec profecto Romana Sedes novit; attamen quum post tantum temporis, post tot preces & conatus ipsorum Regum, dimoveri se quidquam de sententia sua non sit hactenus passa: quid aliud censendum restat, nisi summis Pontificibus in unam Veritatem, & custodiam Catholicae doctrinae intentis, Probabilitatem quidem, non vero Certitudinem, apparuisse in Scoti Sententia? Si apparuisset, tanta est illorum, totiusque Christiani Populi justa erga Deiparam Devotio, ut pendentem tamdiu non reliquissent, neque etiamnum relinquerent hujusmodi controversiam. Conquiescamus igitur in judicio minime fallaci Magistrae omnium Apostolicae Sedis, neque plusquam illa nos sapere & videre arbitremur. Quoniam vero P. Milanesius protritae hac de re Eruditioni unum addidit non antea visum testem, aliquid & mihi liceat heic addere. Quo tempore floruit Joannes Duns Scotus, celeberrimus inter Fratres Minores Theologiae Doctor, idest vergente in finem Saeculo XIII. magnum quoque nomen sibi peperit *Engelbertus Abbas Admantensis* Ordinis S. Benedicti. Tractatum eximii hujus viri *de Gratiis & Virtutibus B. Mariae Virginis* luce donavit Anno 1721. P. Pezius Monachus Benedictinus Tom. I. Noviss. Anecdot. Thesauri. Ejusdem vero Engelberti Par. IV. Cap. 3. sunt haec verba a P. Milanesio producta. *Conceptio, quam festivat Ecclesia, non est Conceptio seminalis materiae, sed est potius Conceptio Animae & Gratiae; quia Sanctificatio non fit nisi per infusionem Gratiae, quae praeexigit infusionem Animae, ita quod infusio Gratiae simul*

mul tempore fiat cum infusione Animae: licet infusio Gratiae, naturali consequentia sit posterior infusione Animae. Tum Cap. *6.* haec alia adjicit: *Sciendum tamen, quod secundum Communem sententiam Sanctorum & Doctorum B. Virgo successive tribus gradibus Sanctificationis usque ad summum purificata, & mundata & sanctificata fuerit. Primo in utero, quae Sanctificatio simul facta fuit tempore cum infusione Animae, & vivificatione conceptus, & haec abstulit originalem maculam & culpam per infusionem Gratiae*. Post haec P. Milanesius subdit: *Adnotet Lampridius, quod Piam Sententiam Communem Sanctorum & Doctorum Sententiam vocat hic Auctor Scoti Synchronus, vel antiquior*. Non hoc adnotabit Lampridius, sed quidem quam verum sit, praeoccupata judicia vel doctissimis hominibus praeripere vim recte judicandi. En ut P. Milanese *Piam Sententiam* deprehendit in hisce Engelberti verbis, quum tamen palam sit, unam ibi tradi Thomisticam Sententiam. *Communis Theologorum Opinio* ante Scotum fuit, Virginis Beatissimae Animam in Conceptione contraxisse labem primi parentis, & successisse illius *Sanctificationem*. Neque alia tunc erat sententia eximiis Theologis ex Ordine Minorum, ad quorum mentem accedens S. Antonius Patavinus, Serm. in Feria V. de Passione ajebat: *Sicut qui fuerunt Sanctificati in utero, de quorum numero fuit Beata Virgo*. Hoc idem Engelbertus statuebat. *Sanctificatio non fit* (sunt ejus verba) *nisi per infusionem Gratiae, quae Praeexigit infusionem Animae. Infusio Gratiae naturali consequentia est Posterior infusione Animae*. Ergo Engelbertus infusam prius Animam credit, ac propterea originali macula consperſam, deinde Sanctificatam. Illud *Simul* veritatem rei offuscare non potest; semper enim posterior infusione Animae est infusio Gratiae. Idem Engelbertus Cap. 3. dixerat: *Conceptio Animae fit in tempore vivificationis foetus & infusionis Animae. Conceptio vero Gratiae fit Post infusionem Animae, cum Anima sit subjectum Gratiae; subjectum vero oportet accidenti Praeexsistere tempore, vel natura, vel utroque*. Et infra: *Sicut vivificationem per Animam Praecedit generatio per naturam, ita Sanctificationem per Gratiam Praecedit vivificatio per Animam*. Quare non *Praeservatio*, uti nunc Piae Sententiae adhaerentes volunt, sed *Sanctificatio* subsequens Conceptionem, seu infusionem Animae, tunc erat *Communis Theologorum sententia*, hoc est Mundatio a culpa jam contracta. *Haec Sanctificatio ABSTULIT Originalem culpam & maculam per infusam Gratiam:* inquit Engelbertus. Attamen P. Milanese haec legens, Praeservationem ibi videre se putat, quum *Auferre culpam originalem* ma-

nifeste contrarium indicet; hoc est culpam jam exsistentem atque contractam, quae postea aufertur. Quod Engelbertus ipse etiam Cap. 4. manifestius nos docuit, scribens de Virgine: *Non in Seminali Conceptione fuit sanctificata in utero. Quae* (idest Sanctificatio) *fuit facta postea in infusione Animae; nec antea poterat fieri, quam Anima infunderetur, cujus est MACULATIO, & Infectio Originalis, & per consequens MUNDATIO ab ipso Originali, & Sanctificatio.*

Quamobrem hinc intelligas, Azevede carissime, quam bene composita sint eorum ingenia, qui tutelam suam Voto Sanguinario dicarunt, quando Piam ibi Sententiam reperisse se putant, ubi aperte contraria legitur. Simul habes, Engelberti etiam tempore, non Scoti Sententiam, ut P. Milanese suo nimium indulgens affectui imaginatus est, sed Thomisticam *Communem Sanctorum & Doctorum Sententiam* fuisse, quod & Cajetanus, Suarez, Salmaticenses, aliique veluti rem nulli dubitationi obnoxiam tradiderunt. Atque haec ex necessitate mihi dicenda fuerunt, ne quis nimium fidens Theologo isti, aliquod grande fulcrum accessisse putet Voto Sanguinario, de cujus deformitate toties egimus, & quam prodere nimium interest Catholicae Religioni atque Reipublicae. Ceterum non ex isto loco, sed ab aliis bene multis colligenda est Piae Sententiae Probabilitas. Rursus quum idem religiosus vir Engelbertum *antiquiorem Johanne Duns Scoto* fuerit suspicatus: rogandus est, ut P. Pezium consulat in Differt. Isagog. ad Tom. I. Thes. Anecdot. pag. 62. ubi comperiet, Engelbertum Abbatem vitam cum morte commutasse Anno Christ. 1331. Norunt autem Eruditi, Joannem Scotum e vivis excessisse Anno Christ. 1308. Ex his autem discimus, non continuo (uti nonnulli censent) Scoti auctoritate immutatam fuisse Theologorum veterum Opinionem de Conceptione Deiparae. Praeterea ediscet P. Milanese, ipsum quoque P. Pezium jam animadvertisse, Engelbertum in controversia hac a recentioribus Theologis nimis dissidere. *Quae noster*, ait, *de Beata Maria Virgine miraculose concepta & sanctificata modo ab hodiernis Scholis diverso disputat, eidem tempori, quo Pia Sententia de Immaculata Deiparentis Conceptione tantum nondum obtinuit, tribuenda sunt. Quod si nunc vivens adeo vulgatam constantemque Doctorum ea super re consensionem videret, in eorum sine dubio sententiam vir, honoribus Beatissimae Virginis tantopere deditus, manibus, ut ajunt, pedibusque concederet.* Ceterum nihil est quod referam quae pauca habet P. Milanesius ad Voti Sanguinarii praesidium. Ejusmodi Votum nutet oportet, si Certitudo Sententiae, hoc est illius fundamentum dehiscit. Plura prae-

ra praeter haec is commentatur de *Immunitate a Debito*, ridenda accusatione & ipse Lampridium arguens, quod *Debitum Proximum a Remoto* minime distinxerit. Nam uti antea ad te scripsi, sat Lampridio fuit Salmaticenses Theologos pro se adferre, qui late ostendunt, ne a Proximo quidem Debito Immunitatem Virgini Sanctissimae esse tribuendam. Quod plus est, controversiam hanc tantummodo indicavit, non invasit Lampridius; & nulla distinctione opus erat pugnanti contra unos Cusentinos, qui Sanguinem & Vitam vovent (repetere liceat) pro *hac Veritate*, scilicet, *Mariam semper Virginem, Dei Matrem, & Dominam nostram, in Conceptione sua non solum non contraxisse Peccatum Originale, sed ne ipsius quidem Debitum, quum transfundi nequeat infelix haereditas Adami in illam, quae ut Mater futura Verbi aeterni praevisa fuit in signo antecedenti Adamum*. Nihil a Remoto Debito Proximum distinguunt Cusentini; immo utrumque negare videntur: cur ergo distinguendum Lampridio fuit?

Pro Cusentinis interea nemo hactenus clypeum, nemo censuram Lampridii aperte oppugnandam arripuit. Unice pugnat heic P. Milanese pro se, aliisque Theologis, quibus solenne est e *Debito Proximo* sacratissimam Dei Matrem eximere. Et quando pro hac sententia nemo ex iis, ut arbitror, Sanguinarium Votum concipit: nulla nobis de eorum conatibus futura est sollicitudo. Attamen res poscit, ut animadvertamus, quanta postremis hisce temporibus fuerit in Theologorum Scholis novandi licentia, quam qui sapit aegre semper ferat, immo detestetur. Sicuti Salmaticenses Theologi, quaestionem hanc omnium gravissime & fusissime pertractantes, antea ostenderunt, veteres Theologi fere omnes (etiamsi Originalem maculam in Virgine quidam ex iis non admitterent) necessarium tamen in ea *Debitum* agnoscebant; atque ubi invalescere coepit Novatorum Opinio de Immunitate a Debito, eidem fortiter obstitere. Quid est ergo quod P. Milanese tantopere urget heic recentium Theologorum copiam, non solum Culpae, sed & Debiti Immunitatem Beatissimae Virgini tribuentium? Non inde certe ulla exsurget Certitudo Piae Sententiae, neque exclusio Debiti statuetur. Antiquos Theologos aliam de Conceptione Virginis sententiam foventes, immo cum SS. Patribus consentientes, nonne recentiores contemsere? Rursus Debitum culpae Scholae omnes olim Virgini tribuebant: Consensum hunc veterum posteriores postea, uti nunc videmus, flocci fecere. Antiquisne, an recentibus plus credendum est? Sed quod potissimum in tutoribus Immunitatis a Debito considerandum est, ii nobis diven-

dunt imaginationes suas, acutaque meditamenta ingenii sui, tanquam dogmata, ad quorum sonum procumbere debeat omnium intellectus, quum tamen unicum *Nego* ad ea in leves auras solvenda satis superque sit. Isti, ut scite S. Hieronymus de Origene scripsit, *ingenii sui adinventiones faciunt Ecclesiae sacramenta*. En ut ii ascendunt in sacrarium Divinitatis; ibi decreta, sed in cerebro suo duntaxat nata, comminiscuntur. Haec certe sine tabulis. Facta ejusmodi tantummodo a Revelatione scripta aut tradita haberi possunt; ea deficiente, in nubibus aedificatur. Sed quid ajo, desiderari haec subsidia? P. Milanese, Cap. XIV. num. 150. & seqq. divinarum Literarum loca quaedam adfert, multos etiam Sanctos ex Salazarii officina depromtos producit, ut ex iis immunem statuat a culpae *Debito* Virginem Sanctissimam. Ad ista quid ego? Si quando ad te illius Liber deferatur, tuum erit singula diligenter expendere; atque, ut arbitror, mecum decernes, doctissimi hujus viri eruditionem in rudem atque indigestam molem resolvi. Nullus ibi melioris Criticae usus, nullus delectus rerum. Quaecumque vel levis umbra occurrat, tanquam praeconceptae opinioni favens, extemplo arripitur; & quae contra militant, caute dissimulantur. Norunt eruditi homines, nihil ex sacris Scripturis extundi posse, quo revera ostendatur Deiparae Immunitas a culpa, nedum a Debito: & nihilominus loca quaedam ex iis producuntur. Compertum est, ut alias ad te scripsi, *Acta S. Andreae* inter saltem dubia monumenta recenseri; ad *Origenem* minime spectare Homiliam I. in Matthaeum; non esse S. Cypriani Tractatum Libri *de Cardinalibus Christi Operibus;* facile in statuendis quorundam Sermonum, Homiliarum, & Liturgiarum Auctoribus, nos falli posse: nihil refert: ad scaenam omnia sunt apta. De Immunitate Virginis a peccatis actualibus complures veterum loquuti sunt: hos etiam juvat obtorto collo trahere ad Culpam originalem, immo & ad Debitum, & Graecos praesertim, qui teste Petavio quaestionem de Originali peccato aut ignorarunt, aut minime pertractarunt. S. Anselmi dubia aut supposititia adducuntur pro Pia Sententia, quum contra in illius Operibus germanis contrarium legatur. Idem de S. Thoma inquias. Scotum agnovisse Debitum in Virgine tradunt Salmaticenses; & nihilo secius contra sensisse heic traditur. Joannes quoque Baconus adfertur in 4. dist. 2. art. 3. quasi is e Debito Proximo Deiparam exemerit. Sunt ejus verba ibidem art. 4. *Quod dicitur, quod mox post suum esse conceptum fuit Mater Dei exemta* (Necessitate contrahendi) *intelligendum est, quod ly Mox dicit ordinem Naturae,*

turae, non temporis, ut sic in eodem instanti fuerit concepta sub Necessitate contrahendi, & exemta: ideo verum est dicere, & quod in Conceptione contraxit Necessitatem, & post immediate fuit exemta in ipsa Conceptione &c. Hanc eandem Sententiam tradidit Suarez in 3. p. S. Thomae qu. 27. art. 2. disp. 3. sect. 4. qui certe Immunitatem a Debito Virgini negavit. Ne te fastidiam, reliqua praetermitto peculiari examine tibi pensanda. Haec tamen tam pulchro apparatu, & quidem sine ulla contradictione, exposita, satis Patri Milanesi videntur, ut oculis imperitae gentis Opinio haec de exemtione a Debito uti probabilis suadeatur. Fortassis etiam spem victoriae, si Superis placet, eidem ingerunt.

Sed quid haec ad Cusentinorum Votum, adversus quod praecipue Lampridius pugnavit? Jam in aliis literis tibi significavi, quantopere Opinioni huic adversentur Romanorum Pontificum Zosimi, & Leonis, tum S. Augustini, aliorumque Patrum, veterumque Theologorum placita. Tute ipse legeris, quae hanc in rem summo studio congessere supra laudati Salmaticenses Theologi, atque utinam & reliqui legerent. Probabilitatem tamen in ejusmodi Opinione fingamus: quod unum P. Milanesius contendere potest. Quid tum? Num pro Opinionis tutela licuit unquam, licebitve in Ecclesia Catholica Sanguinem vitamque vovere? Si impium facinus, si Superstitionem una cum Lampridio appellem Cusentinorum Votum, nonne justo titulo id ego faciam? Pietas vera profecto sublimis Virtus est, Catholicae Religionis singulare decus. Optandum nobis est, ut sollicite foveatur, atque ut in dies crescat. Sed simul dolendum, quoties homines Novitatis amantes, sive se plus placere Deo aut Sanctis improvide credentes, sive ingenii ambitione, sive siti gloriae praerepti, ne dicam quaestus aut adulationis caussa, novas invehunt sententias, sed laxas, aut temerarias, in quibus desideratur aut laeditur germana Ecclesiae doctrina; aut novum Dei Sanctorumque ejus Cultum procudunt, ab Ecclesiae documentis & disciplina abhorrentem. In Cultum hunc atque in doctrinam nemo est qui nesciat, quot abusus atque anomaliae irrepere possint. Excusanda plebs indocta; Pastorum vero, gentisque doctae munus & obligatio est eandem monere, rectamque Ecclesiae doctrinam ad normam Catechismi Romani docere. Fucum sibi aliisque faciunt, qui vulnera Pietati inferenda timent, si ad hujusmodi abusus dignoscendos Populus adducatur; nihil enim timendum, experientia teste, dum vera Ecclesiae mens simul eis aperiatur. Sed quid si Pastores ipsi fallantur & fallant? Moralis Theolo-

giae

giae exceſſus novimus; ne iis quidem Scholaſtica caret, ingeniis nimium ad Novitatem proclivibus. Neque perſpiciunt interdum pii alioquin homines, Pietatem ipſam in luxum, in ambitionem, in fabulas poſſe declinare. Quod ex iis nonnulli ſolidis Theologiae principiis parum ſtudeant, quod Criticam artem negligant, immo irrideant, aut etiam probris inſectentur, a ſpuriis ac dubiis certa minime diſtinguunt; immo quidquid Pietatis ſpeciem refert, licet fabuloſum, confictum, ambabus ulnis excipiunt. Si quid minus recti excidit Sanctis Joanni Damaſceno, Bonaventurae, Bernardino Senenſi, aliiſve poſteriorum Saeculorum viris piiſſimis, ſive ob immodicum devotionis aeſtum, ſive ob parum circumſpectam eloquentiae licentiam: id quidam nullo adhibito criterio, parum cauti viri non ſecus ac divinarum Literarum effatum amplexantur, ac ſuper illud aedificant. Num hoſce egregios Theologos dicas? Decernas etiam velim an quemquam iſtorum ſimilem Sicilia nutriat, regio alioqui felicium Ingeniorum parens & nutrix, ubi etiam cordati & melioris notae viri innumeri habentur, qui nullius artibus & blandiciis ad probandum Sanguinarium Votum paſſi ſunt ſe adduci. Meſſanenſes potiſſimum inter iſtos adnumero. Sed plura addere neque juvat, neque vacat. Vale.

Neapoli XIII. Kal. Aug. Anno MDCCXLII.



IN-

INDEX
EPISTOLARUM.



Di-

QUINTI TOMI FINIS.





